UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

De Primis Et Ultimis Temporibus, Seu De Principio Et Fine Mundi

Ulloa, Joannes de

Augustæ Vindelicorum [u.a.], 1719

urn:nbn:de:hbz:466:1-81404

Visual Library

Th. 871a

C IV
1

DE
PRIMIS ET ULTIMIS
TEMPORIBUS,
SEU
DE
PRINCIPIO ET FINE
MUNDI,
DISPUTATIONES QUATUOR,
CUM TRIBUS INDICIBUS,
PRIMO,
QUÆSTIONUM, QUÆ EX PROFESSO AUT
OBITER EXPLICANTUR.
SECUNDO,
LOCORUM SACRÆ SCRIPTURÆ QUÆ,
EXPONUNTUR.
TERTIO,
RERUM ET VERBORUM.

AUTHORE
R. P. JOANNE DE ULLOA,
MADRITANO SOC. JESU,
Sacro-Sanctæ Theologiæ in Universitatibus Camplutensi, & Romana
Lectore, Episcopatus Carthaginiensis, & Archi-Episcopatus Toletani
Synodali Examinatore, Sacræ Rituum Congregationis
Consultore Theologo.

Cum Superiorum Permissu.

AUGUSTÆ VINDELICORUM, & GRÆCII,
Sumptibus PHILIPPI, JOANNIS, & MARTINI VEITH, Fratrum.
ANNO M DCC XIX.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

MICHAEL ANGELUS TAMBURINUS
PRÆPOSITUS GENERALIS SOCIETATIS JESU.

CUm Librum, cui Titulus: De Primis & Ultimis temporibus, ſive de Principio & Fine Mundi, Auctore P. Joanne de Ulloa, Societatis noſtræ Sacerdote, aliquot ejusdem Societatis Theologi recognoverint, & in lucem edi poſſe probaverint; facultatem facimus, ut typis mandetur, ſi iis ad quos pertinet ita videbitur: cujus rei gratia has Litteras manu noſtra ſubſcriptas, & Sigillo noſtro munitas dedimus. Romæ 15. Martii 1716.

(L.S.) MICHAEL ANGELUS TAMBURINUS.

Imprimatur extra Urbem ſervatis ſervandis. Datum Romæ ex Ædibus noſtris in Palatio Apoſtolico Quirinali. Die 11. Aprilis 1716.

Fr. GREGORIUS SELLERI, Ord. Prædicat. Sacr. Palat. Apoſtolici Magiſter.

PROLOGUS.

HÆc duo extrema, quia ſcita digna, & vulgò minus nota eſſe ſolent, diſputanda ſuſcipio: Et quidem, quemadmodum eſt res indigna, hominem rationis compotem habitare tot annos hunc mundum, & neſcire qui finis eum maneat; ità turpe eſt, domeſticum eſſe ſuperbi hujus, & ſtupendi Palatii, & nil aliud ſcire illius, quam ſtabula, & culinas; nimirum partem hanc infimam, in qua nati ſumus, & beſtiis convivimus; cum à longe ſaltem illius veſtigiis inſiſtere deberemus, qui ajebat: *Noſtra autem Converſatio in cœlis eſt*: Propter hanc cauſam crebris, & graviſſimis verbis pigros nos, & dormitantes, excitat Spiritus DEI ad contemplandum excelſa illa mundi conclavia, quæ in principio ipſe fabricavit; *O Iſraël! quam magna eſt domus DEI, & ingens locus poſſeſſionis ejus*: Quæ verba, licet de Palæſtina dicantur, ut infrà explicabo, nil prohibet, quod de Empyreo etiam intelligantur: Item: *Delectaſti me Domine in factura tua, & in operibus manuum tuarum exultabo, quam magnificata ſunt opera tua Domine; Nimis profundæ factæ ſunt cogitationes tuæ*: Item: *Glorioſa dicta ſunt de civitas DEI.* Item: *Videbo cœlos tuos, opera digitorum tuorum, Lunam, & Stellas*, Sol non ità facilè permittit ſe oculis, *quæ tu fundaſti*: Item: *Peto nate, ut aſpicias ad* Cœlum, *& Terram, & ad omnia, quæ in eis ſunt, & intelligas, quia ex nihilo fecit illa DEus*, quibus verbis ſancta illa fœmina minimum ſuum Filium corroboravit, ut truculenti Tyranni minas, & tormenta ſuperaret. Item: *Non enim habemus hic manentem civitatem, ſed futuram inquirimus*; quia ut prius ſcripſerat: *Dum ſumus in corpore, peregrinamur à Domino*, undè poſteà acuit noſtra deſideria, inquiens: *Feſtinemus ergò ingredi in illam requiem*: Parco aliis non minus obviis: neque latuit homines ſæculares hæc, quam Divina providentia habuit, cura, ut ſurſum oculos attollentes cœlum aſpiceremus: Ex illorum namque Scholâ prodiit vox illa: *Pronaque cum ſpectent animalia cætera terram, os homini ſublime dedit cælumque tueri; Juſſit, & erectos ad ſydera tollere vultus.*

Ad Philip. 3. 20.

Baruc. 3. 24.

Pſalm 76. & 80. & 86.

2. Macab. 7. 28.

Ad Hebr. 13. 14.

2. ad Corinth 2.6.

Ad Heb. 4. 1.

Metamor. 1.

Conabor igitur imitari egregios Doctores Baſilium, Ambroſium, Auguſtinum, Thomam, & alios, qui de opere ſex dierum copioſas nobis lucubrationes reliquerunt, exponentes Caput primum Geneſis. Fateor multa hic Philoſophica inveniri; ſed

sed quæ avidè bibenda sunt à Theologis; pudendus etenim est Theologus, quem puduerit vestigia illorum Patrum sequi, imo & Theologorum omnium, quorum unus è præcipuis Tractatibus est, qui dicitur: *De opere sex dierum:* Qui Scripturam exponit, exponere debet, quæ Scriptura dicit; ergo quando hæc docet nos res naturales, & Philosophicas, Philosophica, & naturalia non potest dedignari Theologus, alioquin Pharisaicam illam, & puerilem imitabitur affectationem: *Recede à me, non appropinques mihi, quia immundus es:* Testis est Augustinus omni exceptione major; quantum profit salubriori Theologiæ, bona, & salubris Philiosophia: Gratissimo fuit ille animo erga *quemdam Ciceronem*, ut ipse dicit, eo quia Libro hujus, qui *Hortensius* inscribitur, debuerit primum impulsum ex his sensibilibus, ut sensibilibus rebus, dorsum obverteret: Ter saltem id posteris testatum reliquit:

Isai. 65. 5.

Aug. 3 Confess. cap. 4. & Lib. 8. c. 7. & Lib. 1. de beat vita in Præf.

Ille verò liber mutavit, inquit, *affectum meum, & ad te ipsum Domine mutavit preces meas, & vota, ac desideria mea fecit alia: Viluit mihi repentè* &c. Et rursus. *Ex quo ab undevigesimo anno ætatis meæ lecto Ciceronis Hortensio excitatus eram studio sapientiæ* &c. Et iterum: *Postquam in Schola Rethorum Librum illum Ciceronis, qui Hortensius vocatur, accepi, tanto amore Philosophiæ succensus sum, ut statim ad eam me transferre meditarer*: Si ergò unius Ciceronis Hortensius juvenem ingeniosum in flore tunc ætatis exultantem, atque in cœno vitiorum submersum à fluxis rebus abstrahere incæpit, quid non faciet Spiritus Sancti doctrina super sublimibus illis mundi Palatiis, quæ pro suis amicis fabricavit DEus Initio Mundi, quæque vetustate non sunt collapsa? quanto jure ajebat S. Ignatius: *Quam sordet tellus, dum cœlum aspicio!*

Igitur in hac prima parte duas dabo Disputationes: Prima erit de Creatione Mundi in communi, atque in singulari quoad singulos eos sex dies, quos meminit Moyses Capite 1. Geneseos: Secunda erit de Hominibus illis, qui hunc globum terraqueum incoluerunt usque ad Diluvium, quo novem exceptis, nempe Henoc, & octo illis, quos Moyses, & Petrus meminerunt, cuncti homines, qui tunc vivebant, submersi sunt.

DISPU-

DISPUTATIO PRIMA,

De Creatione Mundi.

Abire jussō prisco illo errore de æternitate Mundi, præambulas quasdam explanabo prius difficultates tempore & loco, in quibus DEUS hunc mundum fabricavit, de *Vespere*, *Mane*, *Die*, ac *Nocte*, de *Luce* illa primitiva, de *Figura*, sub qua hunc mundum condidit DEUS, & de systemate toto creationis, quod eruere possumus ex dicto Capite primo Geneſis, quibus omnibus expositis, singulorum dierum opera disputabo.

CAPUT I.

Negantur tria supposita trium Quæstionum.

I.

MEmineris esse aliqua verba, quæ ex communi usu connotant locum, aut tempus determinatè, vel saltem vagè: v. g. *ubi*, *quandò*, *antè*, *postèa*, *ultrà*, *citrà*, *suprà*, *infrà*, & similia: Si his verbis proponantur tibi quæstiones de rebus pro circumstantiis, in quibus nec locus, nec tempus erant, quæstiones erunt de falso supposito: Undè si protinus illas admittas propter solitam præcipitationem in respondendo, volens currere, cades: Volentibus namque intelligere, aut explicare per saltus, contingit, quod habentibus debilia crura, nequeunt firmo, & virili gradu incedere, & ideò currunt, cespitant, & ruunt. Non est illa agilitas, sed nervorum debilitas; quæstionibus itaque falsum supponentibus, quid verum responderi potest absolutè? negandum ergò est suppositum quæstionis, v. g. substantia entitavè accidentalis est corporea, vel spiritualis? nego suppositum ob manifestam implicationem in terminis: Universale à parte rei est rubrum, an violaceum? nego suppositum: DEUS estnè suprà, & ultra Empyreum, in spatio imaginario! nego suppositum: Vide quæ hac super re scripsi in Philosophia naturali Disp. 4. à num. 168. similiter respondendum huic quæstioni, cujus meminit S. Augustinus. Quid faciebat DEUS ante mundi creationem, seu ante illud principium, de quo dicit Moyses, *In principio creavit DEUS cœlum, & terram*: Reprobat S. Doctor, ut jocularem responsionem cujusdam, qui respondit, *alta scrutantibus gehennas parabat*: Ego respondeo, negando suppositum, sicut negaretur huic: quid facit DEUS in aliis ex mundis purè possibilibus? si enim non est, nec fuit nec erit physicè, ac realiter *in illis*, quid facere potest *in illis*? Respectu primæ actionis ad extra, quâ Deus creavit cœlum, ac terram, non fuit ullum *ante*, quia hæc vox ex communi usu tacitè imbibito in ista quæstione, significat, seu connotat tempus. At prima illa individua actio fuit absque omni tempore, tum extrinseco quia hoc physicè consistit in motu firmamenti v. g. ut jam dicam, & individua illa actio nulli hujus motui coëxtitit, quippe nondum erat factum firmamentum, tum intrinseco, quoniam hoc consistit physicè in serie aliqua durationum, sive successivarum actionum, cum sit numerus motuum secundum prius, & posterius, individua autem illa actio non erat series durationum, sed quasi primus annulus hujus seriei; Ergo quæstio ista connotat id, quod non fuit: ergò nego suppositum. *Lib. II. Conf. cap. 12.*

II. Respondeo II. Oportet meminisse ex Philosophia, esse tempus reale,

nimirum iliud, quod verè, ac simpliciter est, ut modò sunt verè ac simpliciter meæ durationes, nec non motus firmamenti: Item tempus imaginarium, sed non chymericum; videlicet tempus illud, quod non est, quodque idcirco vocatur, *imaginarium*, verè tamen, ac simpliciter est possibile: Meminisse quoque oportet ex Theologia, esse duas species actionum divinarum; unæ dicuntur *ad extra*; alteræ *ad intra*: Dico igitur: Istud *ante* mundi creationem, vel significat tempus reale, intrinsecum, aut extrinsecum, & sic nego suppositum, ut jam explicui, vel significat tempus imaginarium; Et sic quæro iterum: vel loqueris de actione *ad extra*, & sic nego etiam suppositum: quoniam ut optimè Augustinus, ubi nuper-*Utinam sic sciam quidquid utiliter scire cupio, quemadmodum scio, quod nulla fiebat creatura, antequam fieret ulla creatura*, vel de actione *ad intra*, & sic dico, quod DEus Pater generabat Filium: quia nullum est possibile tempus sive intrinsecum, sive extrinsecum ex illis, quæ imaginari possumus ante primam creationem mundi, in quo, sive cum allusione ad quod non posset dicere
ad Heb. 13. 8. prima ad secundam Personam: *Filius meus es tu, Ego hodie genui te*: quia: *JEsus Christus heri, & hodiè, ipse, & in sæcula*: Et propter eandem rationem spirator spirabat, sive physicè producebat Spiritum Sanctum: Quod si inferas, hunc saltem fuisse physicè otiosum, quandoquidem nil physicè producebat: Distinguo. Ità ut haberet totam perfectionem producendi physicè concedo; Ità ut non haberet illam nego: Dixi Tractatu de Trinitate, relationes divinas nil addere entitatis, aut perfectionis suprà essentiam, quam sanè habebat Spiritus Sanctus. Undè licet nil sit hic operatus physicè in ea æternitate, fruitus tamen est tota perfectione operandi physicè, & consequenter non habuit imperfectionem otiositatis; sicut licet neque sit Pater, neque Filius, gaudet tota perfectione Paternitatis, atque Filiationis. Præterea cunctæ tres divinæ Personæ eodem prorsus intellectu cognoscebant quidquid in prima & post primam illam individuam creationem mundi fuit, & quidquid non fuit, quidquid est modo quo ad nos, & quidquid non est, quidquid erit, & quidquid non erit, Quidquid esset sub quavis hypothesi, & quidquid non esset: quidquid est possibile, & quidquid juxta vulgum loquendo, est impossibile: Et hæc cognoscebat combinando alia cum aliis, nempe quæ nobis sunt longè præterita, aut longè futura, cum eis, quæ sunt nobis præsentia: Combinando item, quæ multis ab hinc sæculis acta sunt, aut scripta in sacrâ, vel sæculari litteratura cum affectibus, quos nunc excitant, vel coërcent in unoquoque nostrum v. g. combinando *Hortensium* Ciceronis, quem profectò Librum scripsit hic prorsus ignarus affectionum, quas excitaturus erat in Juvene quodam Africano post multos annos nascituro, cum affectibus, quos in se movisse illum librum, toties fatetur Augustinus ipse: Similiter quando Romæ condebatur lex Porcia de qua Livius, ne Civis Romanus verberaretur, consulebat DEus paulò post longa tempora venturo in mundum *quid acturus es? Hic homo Civis Romanus est, &c. Protinus ergò discessserunt ab illo, qui eum torturi erant*, & similiter de innumeris aliis combinationibus rerum, quæ valdè disparatæ sunt quo ad nos. Eratne otiosus DEUS in illa æternitate hæc omnia contemplans:

III. Considera perspiciacissimam mentem ex loco edito intuentem, ac dirigentem longum processum hominum, incedentium per viam: Hi profectò parum, vel nil sciunt, alii de multis actionibus aliorum v. g. Priores parum, aut nil sciunt de posterioribus, & medii de utrisque. Ille verò, qui ex alto intuetur, & dirigit omnes, omnes simul videt, aliorum motus, & quietes combinat cum quietibus, ac motibus aliorum, multa præscribit, vel permittit his propter proportionem cum actionibus illorum, qui præcesserunt, vel subsequuntur, laborantibus utrisque ignorantia hujus proportionis, & propter hanc ignorantiam murmurantibus interdum contra supremum illum Directorem. Lege quotidiana

Lib. 3. Confes. cap. 7.

tidiana exempla, quæ hac ſuper re conglobat Auguſtinus, defendens antiquos Patriarchas à crimine fornicationis, adeò ſeverè prohibitæ in lege Evangelica: Longè altiore modo contemplabatur tota beatiſſima Trinitas ante primam mundi creationem, quæ poſt illam facturæ erant, & quæ non facturæ erant ſuæ creaturæ: Videturne tibi fuiſſe otioſa, prout otium coincidit cum inertia? Item in eo tempore imaginario, ſeu in ea æternitate decernebat, volebat, nolebat, præcipiebat, vetabat, permittebat tacitus apud ſe quæcunque poſt creationem mundi manifeſtavit ſe velle, nolle &c. ergò ſi ab æterno fuit tota ſancta Trinitas in eisdem penitus actualibus exercitiis intellectûs, & voluntatis, in quibus eſt modo, (quandoquidem actus vitales intrinſeci DEI non ſunt tranſeuntes, & corruptibiles, ſicut noſtri, ſed æterni, ac permanentes) ſi modo non eſt otioſa cuncta intuens, comprehendens, & gubernans, neque tunc otioſa fuit: Demum in tota illa æternitate fruebatur ſe ipſa, tam felix, ac beata, quando nulla erat creatura, quando à nemine cognoſcebatur, adorabatur, colebatur, quàm modò eſt, quando à tot creaturis cognoſcitur, & adoratur; hæc enim gloria extrinſeca, quamvis in ſe magna ſit, non auget præſens, neque minuit abſens, intrinſecam, & ſubſtantialem gloriam, & felicitatem divinam; quoniam ſicut *eſſe hominem* conſiſtit eſſentialiter in hoc, quod eſt, *eſſe animal rationale*, & non eſt alia ratio à priori, neque illam poſcit homo mediocriter ſaltem rationalis. Ita *eſſe DEum*, conſiſtit eſſentialiter in eo, quod dixi, quia eſt. *Fungi omni perfectione poſſibili purà ab omni imperfectione*: Et non eſt alia ratio à priori.

IV. Similiter reſpondetur huic ſecundæ quæſtioni, quando creavit DEUS cœlum & terram? Reſpondeo quod *in principio*: Sed quando fuit hoc principium? Reſpondeo. Vel loqueris de *quando*, id eſt de tempore extrinſeco; vel de *quando*, id eſt de tempore intrinſeco: Si primum, nego ſuppoſitum: quippe cum tempus extrinſecum ſimpliciter tale, quod modò habet genus humanum, tanquam menſuram firmam, & communem ad menſurandum majorem, aut minorem durationem creaturarum, nil aliud ſit phyſicè, ac realiter, quam Aſtrorum circumvolutio, ſequitur nullum fuiſſe tempus extrinſecum reale (quidquid ſit de imaginario, quod ineptum eſt ad explicandum iſtam quæſtionem) quando nulla erat Aſtrorum circumvolutio: At prima illa individua actio, quâ DEus creavit Empyreum, non coëxiſtit ulli circumvolutioni Aſtrorum, quia nec firmamentum, nec aſtra fuerunt producta primo die, ut conſtat ex primo capite Geneſis. Item nec coëxtitit circumvolutioni Empirei ipſius, quia hoc non conſtat moveri localiter; non demum motui illi, quo paſſum dicitur moveri ab agente: quia DEUS non produxit Empyreum in *aliquo ſubjecto*; nam de hoc redit eadem difficultas; ergò prima illa creatio non coëxtitit ulli tempori extrinſeco; ergò negandum eſt ſuppoſitum quæſtionis, ſi procedat de *quando* extrinſeco; Sin de *intrinſeco*, cum hoc conſiſtat phyſicè, ac realiter, ut nunc ſuppono, in ſerie durationum rei, hoc eſt in linea, & quaſi catena actionum phyſicè indiviſibilium, & tranſeuntium, quibus DEUS ſucceſſione continua producit rem, quæ continua ſucceſſio productionum eſt rei conſervatio, cum hoc inquam ſit tempus intrinſecum rei, quærere *quando*, ſeu tempus intrinſecum, in quo DEUS creavit cœlum v. g. eſt quærere primam illam individuam actionem, quâ DEUS cœlum creavit, antequam nulla omninò fuit hujus creatio, & poſtquam fuerunt omnes actiones, quibus DEUS cœlum conſervat; Ecquis mortalium par eſt illam digito, aut verbis oſtendendo?

V. Quæſtio tertia, ubi, ſeu in quo loco creavit DEUS mundanam hanc machinam? Reſpondeo idem: vel quæritur locus extrinſecus, vel intrinſecus: Si primum, nego ſuppoſitum, quoniam locus extrinſecus rei eſt ultima ſuperficies corporis primo continentis

tinentis illam, ut ſuppono; ergò quando nulla dabatur ſuperficies ullius corporis continentis hunc totum mundum, nullus dabatur locus extrinſecus illius, ſive nullum *ubi* extrinſecum: At quando DEUS creavit hanc machinam, nulla dabatur ſuperficies ullius corporis totam illam continentis; aut aſſigna ſine proceſſu in infinitum, quodnam fuit faſtiſſimum illud corpus, quod undique circumplexum fuit totam hanc mundanam machinam; Ergò nullibi, quoad locum extrinſecum creavit DEus hunc mundum: Et propter eandem rationem nullibi eſt modò quoad locum extrinſecum tota hæc machina, quia in nulla ſuperficie ullius alius corporis recumbit. De illo quippe erit eadem difficultas, nempe *ubi*, in quo loco extrinſeco eſt illud corpus? & abibimus in infinitum: Tota igitur machina mundana complectens cœlum, & terram, & quidquid intra hæc duo extrema continetur, nullibi fuit, & nullibi eſt, ſi de loco *extrinſeco* loquamur: Lege Auguſtinum hæc diſputantem: Sin de *intrinſeco*, cum *locus*, *ubi*, *ſpatium*, intrinſecum rei, nil aliud ſit, quàm ipſius rei præſentia, quærere *ubi*, locum ſive ſpatium intrinſecum, in quo DEUS creavit totam hanc machinam, eſt quærere individuam illam primam præſentiam, cum qua DEUS creavit illam: Ecquis hoc ſcit, niſi DEUS, & cui DEUS revelare voluerit? quoad partem ſupremam hujus mundi, ſcilicet quoad cœlum Empyreum videtur individuam præſentiam, quam habet nunc, eſſe individuam illam, cum qua fuit creatus mundus: Nam cum præſentia rei non mutetur, niſi per motum localem, aut alterationem aliam illius rei; Et cum Empyreum nec moveatur localiter, nec alterationem ullam patiatur, quia puriſſimæ illæ elementares aquæ inter ipſum, & cœlum ſtellatum poſitæ, quamvis infra ſe habeant multa ſydera ignea, potuerunt hæc ita diſponi per divinam providentiam, ut neque fumis, neque vaporibus, neque ullo alio modo operentur in Empyreo; idcircò videtur, quod conſervet eandem præſentiam, ſub qua fuit creatum, juxta quam doctrinam quæſtioni reſpondendum eſt. Empyreum eſſe creatum in illo *ubi*, ſpatio, ſeu loco intrinſeco, in quo eſt modò.

S. Aug. lib. 11. Confeſs. cap. 5.

VI. Aliter phyloſophandum eſt de *ubi* ſeu loco intrinſeco *imaginario*, id eſt de loco intrinſeco, quem potuit habere tota hæc mundana moles, ſed non habet; Et idem reſpectivè dico de tempore, ſeu de *quando* imaginario, id eſt de tempore intrinſeco, aut extrinſeco, in quo DEUS potuit illam condere, ſed non condidit; unde quæ dicam de loco, intellige reſpectivè de tempore: Sit Concluſio. Potuit DEus abſque ulla violentia contra ſubſtantias naturales, quibus hic mundus conſtat, condere illum in ſpatio, ſeu *ubi* intrinſeco, quod reſpectu hujus præſentis eſſet magis ſurſum verſus noſtrum *zenith* poſſibile, aut magis deorſum verſus noſtrum *nadir* poſſibile, aut magis antrorſum, aut magis retrorſum, aut magis dextrorſum, aut magis ſiniſtrorſum: unde præſens centrum univerſi non eſt eſſentialiter tale: Et hic Romæ, ſumptæ non quoad locum hunc extrinſecum, neque quo ad intrinſecum hunc realem, ſed quo ad imaginarium verè tamen poſſibilem, potuit DEus ponere centrum univerſi, & damnatorum carcerem, vel cœlum Empyreum, vel æquatorem, vel apogæum, aut perigæum ſolis, aut lunæ &c. quod tamen intelligendum de ſola medietate rerum, quibus hic mundus conſtat, altera quippe medietas nec divinitus potuit alibi eſſe, quam ubi modo eſt.

VII. Explico, & probo primam partem cunclusionis: Tametſi de facto elegerit DEUS individuum illum hominem Adam, ut eſſet primus Patriarcha humanæ ſobolis, hujusque caput morale, potuit eligere te, aut me, aut quempiam alium. Tametſi defacto elegerit individuam illam humanitatem hominis JEſu ad unionem hypoſtaticam cum verbo, potuit eligere tuam, aut meam, aut quampiam aliam. Tametſi de facto elegerit individuam illam perſonam MARIAM, ut eſſet Mater DEI, potuit

eligere

eligere te, aut me, aut quampiam aliam personam humanam, cum nulla habeat ex sua essentia esse potius marem, quam fœminam, aut viceversa. Quidni potuerunt hæc contingere? ergo quamvis de facto ex omnibus spatiis possibilibus elegerit determinatè hoc, in quo mundum de facto condidit, potuit eligere aliud, quod respectu hujus de facto existentis, (quod tamen non existeret tunc, sed esset merè possibile, & consequenter tunc esset spatium imaginarium) haberet proportiones, & improportiones dictas: Et sicutide facto condidit mundum, & modò conservat illum per seriem actionum successivam incipientem ab actione A essentialiter anteriore respectu actionis B, potuit per incipientem ab actione, essentialiter posteriore respectu illius actionis B. 2dò. Quamvis defacto indiderit DEUS huic mundo figuram sphæricam, siquidem ex quacunque, & in quacunque parte scindatur, nimirum oculis, apparet orbicularis, nisi per accidens occurrat inæqualitas montium, aut vallium; unde benè infertur illum orbicularem esse, ut constat ex Discursu, quo demonstrari solet propositio conversa primæ propositioni libri primi sphæricorum Theodosii, potuit aliam illi dare v.g. ovalem, quadratam, pyramidalem &c. ut dixi in Phylosophia naturali Disp.3. num.3. ergò quamvis defacto illi dederit hunc situm, quem modo habet, potuit illi dare alium. 3tiò. Describe mente in hac carta, vel in pariete circulum aliquem, ita ut benè apprehensum habeas illum: Cur non potes describere posteà in facto circulum alium, cujus periphæria transeat per centrum v.g. aut paulo suprà, aut paulo infra totam periphæriam illius alterius, quem mente conceperas? Hoc in præsenti potuit DEUS, quando in principio creavit cœlum, & terram, ducere totius hujus machinæ periphæriam, aut centrum, aut æquatorem, aut unum polum, aut alterum, per situm, per locum, per spatium hujus urbis, aut alius, qui tamen situs esset tunc imaginarius, urbis hujus; sed simpliciter possibilis.

VIII. Ratio autem est: Spatia possibilia versus omnem differentiam loci respectivè ad hunc, quam modo habet mundana machina, sunt infinita: Et medietas rerum, quibus constat hic mundus non est essentialiter affixa uni potius spatio, quam alii; ergò quando DEUS condidit hanc machinam in hoc spatio, potuit illam condere in alio ex infinitis possibilibus habente cum hoc spatio proportiones, aut improportiones illas, ita ut si tunc daretur hæc individua præsentia, quam modo habet Roma, foret intime penetrata cum eo, quod tunc esset centrum universi, aut cum eo, quod tunc esset polus arcticus, aut cum particula illius, quod tunc esset Empyreum &c. explicatur. Individua illa res, quæ vocatur Empyreum, & individua illa, quæ est centrum universi, & individua illa, quæ est polus arcticus &c. non habent per se essentialiter, quod si semel existant, existant cum ea individua præsentia, quam defacto habent. Tum quia non probatur ista essentialis, & inviolabilis connexio rerum istarum cum istis suis individuis præsentiis; tum propter generalem rationem, qua probatur res absolutas distingui à suis præsentiis; ergò istæ individuæ res, quas dixi, potuerunt existere cum aliis præsentiis. Ergò potuerunt esse in alio situ, sive loco intrinseco ab eo, quem nunc habent; ergo potuerunt esse respectivè in hoc situ, & loco, quem nunc vocamus *Romanum*, & tunc aliter vocaretur; quia locus *Romanus* extrinsecus est superficies hujus terræ, & hujus partis Atmosphæræ ambientis nos, locus Romanus intrinsecus est præsentia hæc, horum omnium corporum, quæ modo sunt hic permanenter, in qua præsentia consistit inadæquatè distantia eorum, à quibusvis aliis fixis, aut non fixis; tunc autem nil horum daretur, sed præsentia substantiæ solaris, si DEUS solem hic posuisset, quod si per suam potentiam poneret hic etiam hæc ædificia, hos homines & penetrarentur simul locus, aut situs Romanus, & locus, aut situs solaris: quapropter possibile est, quod Regio, per quam sol gyraret pe-

netraretur cum hac urbe, si DEUS eam conservaret cum hac individua præsentia, quam modo habet. Secundam partem conclusionis circa centrum universi, & circa violentiam non inferendam tunc substantiis naturalibus nunc existentibus probavi Disp. 3. Physosophiæ naturalis num. 2. & 3. illud autem de *Medietate* dico, quia totus hic mundus constat *rebus*, & rerum *præsentiis*: Omne enim quod est, alicubi est quoad locum intrinsecum. Res ipsas omnes poterat DEUS alibi ponere dando illis præsentias alias, cum eadem proportione inter se, quam modo habent; quamvis proportio illa esset respectu præsentis systematis magna improportio, sed non respectu systematis illius v. g. si DEus posuisset centrum mundi, ubi modo est Perigæum solis, molaris lapis velociter tenderet hinc illuc, quia tunc motus ille non esset sursum, sed deorsum: Cæterum præsentias ipsas formales, quas modo habent res, non potest DEus alibi ponere, quia ut explico, & probo Disp. 4ta. Physicæ speculativæ num. 72. Impossibile omnino est unam præsentiam alibi poni, adhuc per superadditam aliam præsentiam.

CAPUT II.

Præambulum ad Systema Creationis mundi.

IX. CUm Moyses toto capite 1. Geneseos scribat creationem hanc, utaturque toties his verbis *vespere, mane, dies*, significantibus quasdam partes temporis, Moysem non intelligemus, nisi tempus ipsum, quod olim tot difficultates Augustino movit, intellectum habeamus: Igitur tempus acceptum non secundum illam vulgarem locutionem - *Est bonum tempus, est malum tempus*, quia hæ locutiones alludunt ad alterationes propitias, vel adversas hujus Atmosphæræ intrà quam degimus; sed præcisius acceptum definitur - *Numerus motuum secundum prius, & posterius* Totam hanc rem fusè explicui Disp. 4 Physicæ speculativæ à num. 1. unde manu levi carpam, quæ nunc necessaria sunt:

Lib. 11. Confes. à cap. 4

Arist. 4. Phy. cap. 10.

Est duplex: unum extrinsecum, alterum intrinsecum cum similitudine ad locum, qui etiam est, vel extrinsecus vel intrinsecus. Tempus extrinsecum est series illa, seu ordo, seu numerus motuum (unicus autem, non tam est tempus, quam temporis particula) externus, stabilis, & universalis: quo utimur, aut uti possumus tanquam mensura communi ad taxandum, & metiendum majores, aut minores durationes rerum: Cum autem multis rebus uti possimus, & soleamus ad taxandum durationem aliquarum rerum, ut motibus arenæ, aquæ, rotarum horologii, pronuntiatione continua, & successiva Psalmi, Poëmatis &c. Inde est, quod multæ res sunt capaces, ut dicantur *tempus*; sed minus propriè, dumtaxatque sunt tempus particulare; Quoniam tempus extrinsecum proprie tale debet esse illud quod possit esse *commune* omnibus hominibus ad mensuram dictam; ergò debet esse series, seu numerus motuum firmus, stabilis, & in suis etiam irregularitatibus constans, publicus, & omnibus gentibus notus, quo omnes uti possint commodè ad sciendum majorem, aut minorem durationem aliarum rerum, distantiamque aut indistantiam temporalem earundem inter se: Atque omnia hæc in solis motibus cœlorum, & præsertim solis inveniuntur, ut videtur certum, & per hunc motum regulantur ista alia, quæ minus propriè dicuntur *tempus*; ergò quamvis aliorum motuum successivorum continuata series possit vocari etiam tempus; simpliciter tamen, & propriùs loquendo, solus numerus, & series continuata motuum cœlorum, & præsertim solis, est tempus extrinsecum: Sic mensuræ, atque bilances Reipublicæ propriè tales non sunt privatæ illæ quibus privatus quisque uti potest, non regulatæ per publicam, & communem; sed publica hæc, & communis, seu aliæ per hanc regulatæ: Scio autem Augustinum non multum faviſſe huic explicationi temporis, quam à *quodam Docto* se audiviſſe inquit, & contra eam sunt difficultates, quas §. 30. hujus capitis solvam, nihilo tamen minus videtur, quod

Lib. 11. Confes. cap. 30.

quod Moyſes hanc explicationem temporis docuit: ſcribit namque de
Gen. 1. ſole, luna, & ſtellis: *Sint in ſigna & tempora, & dies* &c. ſed non aliter, niſi ſuis motibus ſucceſſivis, & continuis, ſunt *tempora & dies*; ergò videtur DEUS, decreviſſe, ut ſupremus gubernator Reipublicæ humanæ, quod tempora, & dies (extrinſeci utique, publici, ſtabiles, omnibusque gentibus noti) conſiſterent in continuis ſucceſſivis motibus cœlorum, præſertim ſolis, lunæ &c. Id eſt, voluit, quod hi motus eſſent hominibus regula communis, publica, & univerſalis ad dignoſcendum aliarum rerum durationes, nec non diſtantiam temporalem inter ipſas; ita ut res illa magis duret, quæ pluribus, & minus duret, quæ paucioribus motibus illis coexiſtat: & res magis diſtent invicem temporaliter, inter quas plures illi motus medient, & illæ diſtent minus, inter quas pauciores ſint illi motus: non enim eſt revera menſura univerſalis aptior, licet ſint multæ aliæ particulares, & privatæ, quas ſibi quisque præfinire poteſt. Et ſic reſpondetur difficultatibus, quas ibi movet S. Doctor Auguſtinus.

X. Quanquam autem in his motibus cœleſtibus ſit magna varietas, atque idcircò aliæ gentes utantur numero motuum lunarium ad menſurandum quarundam rerum durationes, atque diſtantias temporales, unde fit, quod lunaris motus ſit reſpectu illarum gentium, ſeu quoad illas res, tempus extrinſecum; aliæ verò plurimæ utantur circumvolutionibus ſolis, pauciſſimæ demum utantur numero motuum ſtellarum fixarum; Nihilominus communior, & univerſalior uſus, & in ordine ad res magis communes, atque univerſales, videtur eſſe per numerum motuum, ſolis; quamobrem continuata ſeries, ſeu continuatæ circumvolutiones diurnæ ſolis, quibus ille movetur ſemper ab ortu in occaſum, & ſemper obliquè, obliquitatibus, quas explicui in Philoſophia naturali Diſp. 4. num. 19. & 53. eſt abſolutè, ac ſimpliciter tempus extrinſecum. Circumvolutiones quippe lunæ ſunt breviſſimæ, quippe quæ uno menſe finiuntur. Aliorum Planetarum, & fixarum gyri non ſemper exactè percipiuntur, quia ſtellæ ac planetæ non videntur in toto Hemyſpherio toto illo tempore, quod non modicum ſolet eſſe, quo incedunt cum ſole. In nullius itaque rei aliùs motum aptius cadit definitio temporis, quam in motum ſolis. Porrò illa magna diverſitas, quam ipſis oculis experimur in motibus cœleſtibus jam verſus ortum, jam verſus alterum ex polis, provenit ex eo, quod luna v. g. nunquam redit exacto, & perfecto ſpatio 24. horarum mente Angelica, aut Divina menſurandarum, per menſuram mox dandam, ad idem punctum ſuæ Regionis, quod habuit heri, ſed reſtat retro, & magis vicina horizonti horientali. Similiter ſol cum proportione: ſimiliter fixæ, ut conſtat ex æquinoctiis juxta ea, quæ dixi Diſp. illa 4. & hæc quotidiana major propinquitas reſpectu orizontis orientalis eſt ratio, propter quam vulgo ponitur cœlum illud, quod vocant *primum mobile*, & propter quam ajunt planetas, & ſtellas omnes, & apogæum ſolis moveri motu proprio in orientem; Lunam quidem velociſſimè, Solem magis tardè, Saturnum tardius, Stellas fixas tardiſſimè: Ad quæ explicanda excogitata fuit illa farrago epiciclorum, Ecclypticæ, motus retrogradi &c. ſed multò ſimplicius explicari poteſt res per reductionem temporis extrinſeci (quod nunc magis, nunc minus, velox eſt, pro ut fuerit motus ille, in quo poſueris tempus extrinſecum) Ad tempus intrinſecum, quod eſt eſſentialiter invariabile, quodque licet longius, aut brevius eſſe poſſit, eo quia pluribus, aut paucioribus particulis poſſit conſtare; nequit tamen eſſe magis, aut minus velox; item per minorem velocitatem illâ, quam poterat DEus aſſignaſſe corporibus cœleſtibus.

XI. Explicatur: Scit DEUS, & ſciunt Angeli, ſi hi circumagunt aſtra, quot puncta temporis intrinſeci, phyſicè indiviſibilia, id eſt, quot indiviſibiles durationes aſtrorum v. g. id eſt,

quot

quot indivisibiles successivæ, & continuatæ ipsorum productiones à DEO, (sicut continua successione emittuntur à sole radii lucis versus omnem differentiam loci, quin atteratur solis substantia, & sicut continua successione egrediuntur aquæ ex mari, quin hoc minuatur) quibus indivisibilibus successivis, & continuis productionibus constat tempus intrinsecum, ut mox dicam: Scit inquam quot ex his successivis punctis respondent uni exactissimæ horæ, hoc est uni integræ, atque exactissimæ circumvolutioni astrorum ab ortu in occasum, faciendæ per circulum spiralem, & absolvendæ per motum velocem, ut octo v. g. non enim sunt æquales omnes velocitates, neque hæc consistit in indivisibili. Fingamus, ut mutuo intelligi possimus, illa puncta, sive illas successivas continuatas productiones esse centum, tunc sic. DEus quia ita expediebat ob arcanos fines suæ providentiæ ita stabilivit, & coordinavit quarta die mundi astrorum motus, cum posset aliter eos stabilire, ut elapsis centum illis solis punctis temporis intrinseci, sive successivis, & continuis productionibus primæ stellæ arietis v. g. idem respectivè de aliis fixis, nondum reversa sit ad illud præcisum punctum æthereæ Regionis, in quo incæperat suum motum versus occidentem; sed retrò versus orientem restet per unum digitum v. g. ita ut non dederit illi velocitatem, ut octo, sed tantum, ut 7. Unde eget centum, & decem durationibus, ut revertatur ad idem præcisum punctum, æthereæ regionis, à quo moveri incœpit. Similiter ita stabilivit motum Saturni, ut transactis illis centum durationibus nondum reversus sit ad punctum illud suæ Regionis, unde cæpit moveri versus occasum, sed multo magis retrò versus orientem restaret, v. g. per triginta digitos: Quapropter nec velocitatem ut septem dedit illi, sed tantum ut sex, unde ut rediret ad illud punctum egebat centum triginta aliis durationibus v. g. similiter ita stabilivit motum solis cum suis collateralibus Venere, atque Mercurio, ut transactis illis eisdem centum durationibus non rediret ad punctum Regionis, ex quo moveri incæpit; sed adhuc multo magis retrò versus orientem restaret v. g. per sexaginta digitos; unde non præfinivit illi, nisi velocitatem ut quatuor v. g. atque ut rediret ad punctum dictum egebat centum sexaginta durationibus, suppositâ ea minore velocitate, quam accepit à DEO. Tandem ita stabilivit motum Lunæ, ut elapsis illis eisdem centum durationibus, nondum reversa esset ad illud individuum punctum, ex quo cæperat moveri versus occasum; sed adhuc multo magis restaret retrò versus orientem v. g. per centum digitos: & his quotidianis, semperque obliquis retardationibus, jam versus unum, jam versus alterum polum, fiunt menses lunares, sicut similibus quotidianis, obliquis etiam retardationibus solis, versus alterum ex polis, fiunt Anni solares: Quocirca non dedit DEUS Lunæ nisi velocitatem, ut duo v. g. atque, ut redeat ad punctum dictum eget 200. durationibus. Idem respectivè dico de Planetis aliis, & sociis eorum. Cumque hæc omnium syderum quotidiana retardatio, & retardationum inæqualitas contigerit per tot, & tot sæcula, singulis horis dictis, hoc est, singulis illarum durationum centenariis; hinc fit primò, quod stellæ fixæ egeant plusquam triginta millibus annorum, ut redeant in illud individuum punctum suæ Regionis, quod nunc in hoc momento habent; quia illarum Regio est omnium amplissima, & illarum quotidiana retardatio, beneficio cujus debent redire ad illud punctum, est omnium minima, & suus motus est obliquus etiam. Saturnus eget triginta annis, ut redeat in illud punctum, quod in hoc instanti occupat; Jupiter eget annis duodecim; Sol uno Anno. Luna uno suo mense. Quia hæc corpora non erunt cras in puncto dicto, sed in laterali.

Genes. 1.

XII. Fit secundò, quod licet primis seculis mundi forsan non adverterint homines dictam retardationem fixarum, seu dictam quotidianam distantiam versus orientem à puncto, quod pridiè occupabant, eo quia homines illi

illi hoc non curarent, vel quia ea retardatio nondum erat perceptibilis in hoc mundo inferiore; nunc eſt jam adeò magna, adeoque ſenſibilis ea retardatio, ut ferè triginta gradus ſint magis orientales dictæ ſtellæ modò, quam olim erant. Die namque æquinoctii verni videntur in noſtro hemyſphærio adhuc poſt occaſum Solis fere per duas horas ſtellæ arietis, hoc eſt, prima hujus ſigni ſtella eſt adhuc in noſtro hemiſphærio, tametſi æquinoctium fuerit ante duas horas. Et die æquinoctii autumnalis adhuc poſt occaſum Solis videntur etiam in noſtro hemyſphærio fere per duas horas, quibus reſpondent triginta gradus ſphæræ cœleſtis, ſtellæ libræ, quia prima hujus ſtella, nempe, quæ eſt magis occidentalis, ſolet eſſe apud nos quamvis ante duas horas factum ſit æquinoctium autumnale. At variatio hæc non poteſt conſiſtere in ipſo puncto æquinoctiali, quoniam licet hoc varietur quoad longitudinem, quatenus poteſt eſſe magis orientale, aut magis occidentale; Eſt tamen invariabile quoad latitudinem, quoniam debet eſſe æquidiſtans ab utroque polo mundi; ergò videtur neceſſarium, quod variatio contigerit in ipſis ſtellis fixis, quatenus propter defectum majoris velocitatis, ſeu propter quotidianas retardationes ab initio ſuæ creationis non aſſecutæ ſint poſt centum illas ſolas durationes punctum ſuæ regionis, ex quo motũ incæperunt, & reſtent retro verſus orientẽ ſingulis diebus, hoc eſt ſingulis centenariis durationũ, demũ poſt tot ſæcula appareat ingens hæc diſtantia primæ ſtellæ arietis v.g. à puncto æquinoctiali. Cumq; cæteræ omnes fixæ habeant ſemper eandẽ proportionem cum illa ſtella arietis, ſequitur, quod ſi hæc per 30. gradus ſiſtit verſus orientem à puncto æquinoctiali, cæteræ omnes cum proportione ſiſtant verſus orientem, diſtentque modo ab eo puncto ſuæ Regionis, à quo cæperunt moveri. Porro hæc diſtantia arietis à puncto æquinoctiali non fuit ab initio; Quoniam in variis ſæculis notata fuit minor, & poſtea major, & iterum major, & modo maxima, ut oſtendo in Philoſophia naturali Diſp. 4. num. 116. Fit 30. quod per hanc ſolam ſimplicem retardationem aſtrorum, ſemper tamen obliquam verſus alterum ex polis mundi, ſeu per majoris velocitatis carentiam reſpectivam, poſſunt commode explicari diverſitates illæ, quas in aſtris experimur oriundæ ex diverſitate motuum, quin neceſſe ſit, recurrere ad turbam illam motuum retrogradorum & directorum, motuum naturalium, & violentorum primi mobilis, ſignorum imaginariorum, Ecclypticæ, Epiciclorum, Circulorum, Eccentricorum, Concentricorum motuum Apogæi &c. quæ tamen non nego eſſe utilia tanquam hypotheſim, & forſan etiam neceſſaria, licet non ad rem ipſam; Ad calculationem tamen, explicationemque harum rerum humano modo faciendam. Fit 4to. quod cum motus cœlorum, & præſertim Solis, ſit hominibus notiſſimus, dicti autem gradus velocitatis ſint minus noti, ſeriesque, & numerus durationum indiviſibilium, & ſucceſſivè continuatarum ſit ignotiſſimus vulgo hominum, hac de cauſa quamvis dixerim longitudinem, parvitatem, æqualitatem, atque inæqualitatem temporis extrinſeci, & reliqua ſimilia, revocanda tandem eſſe in majorem, aut minorem velocitatem, quam præſcripſit DEUS ſyderibus, nec non in tempus ipſum intrinſecum, id eſt in ſeriem, ac numerum ſucceſſivarũ durationum; nihilo tamen minus communis modus computandi tempora partialia, ſcilicet horas, dies, annos aliarum rerum, eſt per hunc ſenſibilem firmum, ſtabilem, & ſemper difformiter uniformem motum Solis. Dixi autem illa de tempore intrinſeco, ac de minore velocitate explicandi ergò phyloſophicè experientias, cujus vulgus etiam eſt particeps, atque revocandi gratia in ſua principia diverſas apparentias, quas in aſtris obſervamus.

XIII. Fit 50. ſicut tempus extrinſecum ob nuper dicta conſiſtit in motu Solis nunquam recto, ſed ſemper obliquo, & ſpirali, tum verſus polos mundi, tum verſus firmamentum ubi eſt ſuum Apogæum, tum verſus terram ubi habet

bet perigæum: Ita hora extrinseca, dies extrinsecus, annus extrinsecus, mane extrinsecum, vesper extrinsecus consistunt in diversis portionibus, & locis hujus motus solaris. Hora extrinseca consistit in eo numero motuum localium quibus Sol conficit 15. gradus antrorsum versus occidentem. Dies extrinsecus artificialis est numerus ille motuum, quibus transilit totum unum hemysspherium ab horizonte orientali usque ad occidentalem inclusive. Dies extrinsecus naturalis est ille numerus motuum quibus circumit totum globum terraqueum à puncto A v. g. non usque ad idem in individuo, sed usque ad proxime collaterale versus alterum ex polis, & proximè vicinius orienti, & proxime vicinius firmamento, aut terræ: Cumque, si horas mensuremus per motum fixarum, aut per numerum durationum respondentium motui earum veloci, ut octo, quem non habent juxta dicta, sed poterant habere, sint jam elapsæ 24. horæ, & multum plus, quando hodie Sol redit ad punctum collaterale, inde est, quod expendit plusquam 24. horas, si eo modo mensurentur. Annus extrinsecus est ille numerus motuum, quibus à primo puncto arietis v. g. movetur versus occidentem, versus firmamentum, versus nostrum polum, versus terram, & versus polum alterum, donec redeat in illud, vel in vicinum punctum arietis: Cumque totum hoc iter citius absolveretur, si moveretur Sol velocitate illa, ut octo, aut saltem velocitate fixarum; hac de causa annus extrinsecus vulgaris, & communis, longior est anno, qui regularetur per motum ita velocem, sicut est motus diurnus fixarum, aut per numerum durationum respondentium velocitati, ut octo. Rursus *mane* extrinsecum est ille numerus motuum, quibus Sol percurrit spatium, quod in sphæra recta, nempe sub æquinoctiali, est inter sextum decimum plus, minusvè gradum, infrà horizontem orientalem (tunc quippe incipere solet diluculum) & meridianum, quia licet hoc consistat in indivisibili, sicut media nox, cæteræ portiones diei habent magnam latitudinem; unde mirum non est, quod matutino tempori demus tantum numerum solarium motuum. Vesper demum extrinsecus est ille numerus motuum, quibus percurrit Sol spatium, quod est inter 45. gradum ultrà meridianum (tunc enim est hora tertia pomeridiana) & sextum decimum circiter infrà horizontem occidentalem: quia tunc finiri solent crepuscula vespertina, nimirum sesqui hora post occasum Solis. In his tamen calculis attendendus est situs Regionum, & solis ipsius. Hactenus de tempore extrinseco totali, atque partiali.

§. Secundus.

XIV. TEmpus intrinsecum est numerus durationum, quibus singulæ res conservantur, hoc est continuè, successivè producuntur à DEO, una quippe sola duratio non est tempus, sed temporis quædam indivisibilis particula, unde quamvis tempus extrinsecum sit unum tantum v. g. motus Solis, aut si malueris motus fixarum, tempora intrinseca tot sunt, quot sunt res creatæ, quæ permanentes sunt; Imo cum plerique ex effectibus quos experimur, possint produci à causis valdè diversis, & consequenter numero, & tenore actionum valdè diversarum, fit, quod multæ res sint capaces habendi tempora intrinseca valdè diversa. Neque est inconveniens, quod multiplex sit tempus illud, quod non est publica, cõmunis, universalis mensura durationum rerum, quale non est tempus intrinsecum; Et quod sit unicum tempus illud, quod est publica, stabilis, universalisq; mensura durationum rerum, quale est tempus extrinsecum. Suppono igitur ex his, quæ fusè explicui in Physica speculati: Disp. 4. à cap. 1. quod sicut sunt physicè ex parte rerum quædam entitates, quas ibi dixi esse modales, quæ vocantur *præsentiæ*, prout præsentia distinguitur à forma extrema, & figura, quæ solet dici bona, aut mala præsentia, quæq; constituitur partim per præsentias partium illius rei, partim per aliarũ præsentiarũ carentias. Ita sunt verè ex parte rerum aliæ entitates modales apud me, quæ dicuntur *durationes*: Et sicut per illas formaliter iñediatè constituitur res in tali aut

aut tali loco extrinſeco, quando hic datur, ita per has conſtituitur res in tali, aut tali tempore extrinſeco, quando hoc datur; Et ſicut per illas conſtituitur res formaliter immediatè diſtans localiter ab aliis rebus, ſaltem quo ad locum intrinſecum, adeò, ut quamvis DEus deſtrueret omnem locum extrinſecum, adhuc poſſet producere duas creaturas, inter quas poſſet ponere alias; ita per has durationes conſtituitur vel formaliter immediatè diſtans temporaliter quoad tempus intrinſecum ab aliis rebus, adeò, ut quamvis ceſſaret omnis motus cœlorum, nullumque foret tempus extrinſecum, adhuc poſſet DEus producere duos homines, quorum unus jam eſſet mortuus, quando inciperet vivere alter. Et ſicut quævis creatura ex illis, qnæ non ſunt eſſentialiter affixæ loco, poteſt habere longam ſeriem præſentiarum, quarum unæ ſunt eſſentialiter poſt alias, quatenus habent ex ſua eſſentia, ut ſi exiſtant in rebus unæ, exiſtant ultrà, aut citrà alias; Ita quævis creatura ex illis, quæ non ſunt eſſentialiter affixæ tempori determinato poteſt habere longam ſeriem durationum, quarum aliæ ſint eſſentialiter poſt alias, quia quævis eſt eſſentialiter determinata, ut ſi exiſtat, exiſtat tunc, & non ante, neque poſt. Et ſicut præſentiæ ſunt locus intrinſecus, ſive *ubi* intrinſecum rei; ita durationes ſunt tempus, ſive *quando* intrinſecum rei. Et ſicut præſentiæ, utpote rationes formales diſtandi localiter, ſunt eſſentialiter incapaces, ut ſint in eodem loco, nempe quando ſermo eſt de præſentiis, quæ poſſunt exiſtere in eodem tempore, quin exiſtant in eodem loco, adeò ut nec divinitus poſſit contingere, ut individua illa mea reſtricta præſentia, quæ dicitur *Madritana* penetretur cum individua ea mea præſentia reſtricta, quæ dicitur *Romana*; ita durationes utpote rationes formales diſtandi quo ad tempus eſſentialiter ſunt incapaces, ut exiſtant in eodem tempore, adeò ut nec divinitus poſſit fieri, ut illa mea individua reſtricta duratio quæ dicitur *hodierna* coëxiſtat illi, quæ vocatur *heſterna*. Tametſi enim rationes formales ſubeundi aliquam denominationem, multoties non ſubeant eam, nempè, quia multoties ſunt incapaces ſubeundi eam (ut cognitio eſt incapax, quæ cognoſcat, quia non eſt potentia cognoſcitiva, ſed actus cognoſcendi) aſt quando capaces ſunt ſubeundi eam denominationem, ut præſentia, quæ verè diſtat localiter ab alia præſentia, & duratio, quæ verè diſtat temporaliter ab alia duratione, per ſe immediatè, ac formaliter, & non per aliud habent eam denominationem: Quippe ſi illam haberent per aliam reflexam rationem formalem, de hac eſſet eadem difficultas; num ſcilicet per ſe immediatè, an per aliud ſubiret illam denominationem: Unde abiremus in infinitum. Demum ſicut linea, ſeries, aut complexum multarum præſentiarum mearum dicitur meus locus intrinſecus *realis*, quando illæ exiſtunt modo ſibi proportionato; Et dicitur meus locus intrinſecus *imaginarius*, quando non exiſtunt, poſſunt verò exiſtere; Ita ſeries, tenor, linea, complexum ex multis meis durationibus, dicitur meum tempus intrinſecum *reale*, quando illæ durationes exiſtunt modo ſibi proportionato, nimirum aliæ poſt alias: & dicitur tempus merè imaginarium, quando licet nec ſint, nec fuerint, nec futuræ ſint, poſſunt tamen eſſe. Hac Philoſophiâ loco citato explicatâ, & hic ſuppoſitâ, ſolvuntur pleræque difficultates, quas proponit Auguſtinus. *Lib. 11. Conf. à cap. 15.*

XV. Sed quid ſunt phyſicè ex parte rerum hæ durationes, quarum ſeriem, & ſucceſſivè continuatam lineam, dico eſſe tempus intrinſecum: Reſpondi jam Diſput. illa 4. Phyſicæ ſpeculativæ, nunc breviter dico quid eſt phyſicè ex parte rerum, fluxum aquæ fontanæ *durare*, *continuari*, & *perſeverare*. Et ne multitudine linearum, ſeu filorum aquæ obruatur imaginatio, hanc contrahamus ad unum filum, ſive lineam phyſicè indiviſibilem quoad latitudinem. Profecto hæc duratio, perſeverantia, ſive continuatio fontis non ſtat adæquatè ac præciſè in eo, quod arceantur impedimenta, quoniam licet alia omnia arcerentur,

si aqua non daretur, aqua certè non flueret ex fonte: Stat ergò illa duratio, seu continuatio in successivis continuis indivisibilibus *egressionibus* indivisibilium guttarum illius lineæ aquæ ex fonte ipso: v. g. Egreditur guttula A, immediatè post datur egressio alia, quæ est guttulæ B, immediatè post egressio alia, quæ est guttulæ C &c. atque his continuis successivis egressionibus positis, durat, perseverat, & conservatur fluxus aquæ fontanæ; idem dico de duratione, ac conservatione fluminis. Stat quippe in successivis, & continuatis sine parenthesi *egressionibus* aquæ illius ex mari. Idem dico de durationepluviæ: stat in successivis, continuatisque *lapsibus* aquæ ex nubibus: similiter. Quid est physicè ex parte rerum, lucernæ lucem durare? Requiritur utique, quod non detur impedimentum lucis; ast non consistit in hoc præcisè, sed in successivis continuis productionibus, quibus flamma jam accensa producit alias flammulas in particulis ceræ, aut olei successivè, continue liquefactis, atque successivè continuè conversis in lucem quoad puriores, & pinguiores suas particulas. Verum est, quod hæc verba *rem durare, continuari, conservari, perseverare*, vulgò hominum sonant immunitatem à prævalente hoste; at philosophicè loquendo non consistit formaliter immediatè in hac sola immunitate, sed in continuata serie successivarum indivisibilium actionum, quibus DEus, utpote causa prima universalis producit continuè, successivè rem illam. Hæc quippe successio cum sit quid physicum, & reale & non pure apparens aliquando incipiens, aliquando desinens, poni debet in aliquo physico, & reali; In nullo autem melius, quam in productione ipsa rei, quando hæc est permanens, sive capax existendi per aliquod tempus. Meritò itaque duratio, & conservatio vocantur; *Continuata productio*: quia verò protectio, & immunitas è contrario, alias rem destructuro, est magis nota vulgò hominum, & quia DEus tanquam Author naturalis non pergit conservare rem, quando fortius adest hujus contrarium, & pergit conservare illam, quando hoc non adest: hac de causa invaluit apud vulgus, quod duratio, perseverantia, continuatio, sive conservatio rei apprehendatur per speciem protectionis, sive immunitatis rei à contrario fortiore. Hinc fit, quod quamvis multæ causæ creatæ producant, non tantum dispositivè, sed verè, formaliter immediatè effectus creatos; nulla tamen creatura occidit plusquam merè dispositivè rem aliam viventem, quam formaliter immediatè non conservat. Duntaxat enim facit aliquid in cujus sensu composito nequit DEUS, ut Author naturalis, pergere in serie, seu linea actionum, quibus illud vivens continuè producat; De cætero cum nequeat ulla creatura facere contra subjectum vivens actionem physicam externam saltem ex his, quas novimus, in cujus sensu composito non possit DEus pergere in serie productionum illius viventis, quandoquidem nulla creatura conservat immediatè, positivè, ac directè aliud vivens, sed tantum suas proprias actiones; inde est, quod nullius creaturæ actio est per se essentialiter destructio formalis, & immediata viventis alius; ergo una creatura non nisi dispositivè occidit rem viventem, Considera omnia genera mortis, quæ homines excogitarunt, & exercuerunt, certe poterat DEus absolute ac simpliciter conservare, in sensu composito earum actionum vitam illius, qui occiditur, hoc est continuare seriem actionum successivarum, quibus illum prius producebat continue successive.

XVI. Igitur duratio, tempus intrinsecum continuatio perseverantia rei stat physice ex parte rerum in serie productionum, quibus successive continue egreditur res à causa sua; non quidem egressione locali sicut aqua egreditur ex fonte, & fluvius ex mari; sed egressione physicæ causalitatis, sicut radii solares à sole, calor ab igne &c. Et sicut non est labor, aut imperfectio solis quod sit in successiva, continua productione lucis per cuncta hemysphæria; ita non est imperfe-

perfectio, pensum, labor, aut fatigatio divinæ omnipotentiæ, quod sit in actuali continuo exercitio producendi cunctas creaturas, quibus mundus constat. Hæc duratio, sive conservatio hujus chartæ v.g. potest dici una sola, sed in eodem sensu, in quo hæc eadem charta dicitur *una*, nempe unitate compositionis; sicut non hæc charta ita est una, ut sit physice divisibilis in innumera puncta papyracea physice indivisibilia; sic duratio tota, sive productio æterna animæ rationalis est quidem una sola; sed physice divisibilis in infinitas indivisibiles actiones, quibus successive continue DEus illam in æternum producet, Quia nullum est assignabile momentum, in quo nequiret DEus cessare à productione illius animæ, si non decrevisset illam æternum conservare; ergò productio illius per totam æternitatem à parte post non est una simplex, ac indivisibilis, sed est una unitate compositionis ex innumeris successivis continuis indivisibilibus productionibus (quæ sunt instantia intrinseca ipsius animæ) sicut quodvis aliud continuum quoad localem longitudinem, est unum unitate compositionis ex innumeris particulis physicè indivisibilibus actu, & extensis versus longitudinem. Indivisibiles illæ successiæ productiones sunt id, quod vocamus *durationes*, & quibus dicimus constare tempus intrinsecum creaturarum: DEus autem quamvis capax sit loci intrinseci, quia titulo suæ immensitatis est ubique physicè, ac realiter præsens non minus quam nos præsentes sumus in eo loco, in quo sumus; Ast incapax est temporis intrinseci, & consequenter incapax est durandi, quoniam incapax est successionis in se ipso: Omne autem tempus imbibit successionem, quia est numerus motuum *secundum prius, & posterius.*

§. Tertius.

De Vespere, Mane, Die, ac Luce, quæ fuerunt ante Solis productionem.

XVII. Hinc primo. Cum nulla sit possibilis creatura permanens, quam non possit DEUS producere quando & quamdiu voluerit, inde est, quod respectu omnis creaturæ permanentis, physiceque indivisibilis, idem respective dico de physice divisibilibus, est possibilis linea, seu series infinita, constans infinitis successivis continuis, physiceque indivisibilibus productionibus ejusdem, & etiam discretis, quia rem destructam potest DEUS reproducere, sicut reproducet cunctos mortuos in die judicii: Ex tota hac linea productionum possibilium in infinitum extensarum, individua illa, quam DEus libere elegit: & antequam nulla alia ex possibilibus illius lineæ fuit, est, quæ dicitur prima productio rei. Individuæ illæ ante quas fuit alia, & post quas alia erit, vocantur durationes; Individua tandem illa, ante quam fuit alia, & post quam immediatè non est alia, est ultima pro tunc duratio rei, & hæc deficit, non tunc sed in instanti immediatè subsequente. Hinc 2do sicut tempus extrinsecum divisi supra in horas, dies, vesperam, mane, menses, annosque *extrinsecos*, regulatos per motum Solis. Ita tempus intrinsecum dividi potest similiter regulando membra dividentia per numerum durationum rei, respondet enim illi portioni temporis extrinseci, de qua fuerit sermo: v.g. vesper intrinsecus est ille numerus durationum, qui respondet motui Solis à meridiano usque ad 45. gradum versus occidentem &c. sed cum hic numerus non sit nobis perceptibilis, sicut nec perceptibiles sunt durationes ipsæ, aut successivæ productiones rerum, ideò hic modus supputandi horas, dies &c non est practicus, sed speculativus, non est humanus, sed Angelicus: Duntaxat enim possumus dicere abstractè, impropriè, ac per modum exempli, una hora intrinseca constat centum millionibus successivarum indivisibilium productionum hujus chartæ v.g. in ordine quippe ad hunc calculum perinde se habet charta hæc, atque Empyræum, cum tam indivisibiles successivæ, ac continuæ sint productiones hujus chartæ, quamdiu illa durat, quam productiones Empyræi; una dies in-

trinseca constat 24. centenariis millionum productionum successivarum indivisibilium, & continuarum. Unus mensis &c. mens agnoscit rem hanc esse physicam, & realem, sed non est pro frequente praxi in hac vita. Habet tamen duas utilitates: una est ad intelligendum, quomodo ante creationem, & motum Solis posuit scriptura diem, vesperem, & mane, quoniam hæ portiones temporis debent esse pure imaginariæ, aut si sint partes temporis realis debent esse temporis intrinseci, ut infra dicam. Altera est ad intelligendum, quomodo deficiente omni tempore extrinseco, poterant aliæ entitates durare, sive existere plusquam aliæ: Poterat enim DEus producere unas pluribus successivis durationibus, quam alias, & hoc poterant homines advertere saltem in confuso, quamvis non ita exacte, sicut modo, quando habemus hanc sensibilem, atque stabilem mensuram motus Solis ad taxandum, & dignoscendum majores, aut minores durationes Rerum. Contingeret tunc, quod modo quando videmus rem A habere majorem, quam B, & pronunciamus absolutè illam majorem esse hac; sed quando non habemus ad manum publicam aut privatam legitimam regulam, nequimus certo definire, quanto una excedat alteram.

XVIII. Hinc 3ò. sicut tempus extrinsecum aliud est reale, aliud pure imaginarium; ita tempus intrinsecum aliud est reale, nimirum, quod constat multis durationibus, hoc est multis successivis continuis productionibus rei physicè existentibus suo modo scilicet successivo; aliud imaginarium, nempe quod constat durationibus nunquam existentibus, potentibus verò existere, & imaginamur illas, ut de illis loquamur, sicut de rebus aliis pure possibilibus loqui solemus. Hoc tempus intrinsecum est virtualiter, & æquivalenter tempus extrinsecum respectu saltem Angelorum, quatenus noscentes hi, quis, & quantus numerus successivarum, indivisibilium productionum hujus chartæ respondeat uni circuitui Solis, poterant durationibus, sive productionibus hujus chartæ metiri, si opus esset, majorem, aut minorem durationem alius rei; sicut circuitibus Solis metimur nos: Quocirca perinde se habet respectu illorum tempus nostrum intrinsecum, ac tempus extrinsecum imo interdum etiam respectu nostri, ut nuper dicebam. Hac etiam distinctione temporis intrinseci, & realis, & imaginarii, quod sit æquivalenter tempus extrinsecum solvuntur illæ difficultates, quas movet S. August. ubi supra: Et solvitur etiam objectio, quæ fieri potest contra illud, quod supra dixi num. 9. videlicet tempus extrinsecum absolutè tale consistere in motu circulari Solis, & quod caput est, solvitur molesta difficultas, quæ assurgere potest contra verba illa *Vespere, Mane, Dies,* Gen. 1. *Lux,* quibus utitur scriptura ante quartum diem mundi, in quo die factus est Sol, ac moveri cæpit. Objicies ergo: Tres dies sunt partes temporis; sed ante motum, imo ante creationem Solis fuerunt tres dies; quia quando scriptura refert DEum posuisse Solem, Lunam, & Stellas in firmamentum, ut essent signa temporum, & dierum subjungit. *Factum est vespere, & mane dies quartus;* ergò ante motum, & creationem Solis fuit tempus; &c. hoc non consistit physicè immediate in motu Solis. Lib. 11. Conf. cap. 13.

XIX. Distinguo majorem. Tres dies regulati per hunc, quem experimur motum Solis, aut firmamenti sunt partes temporis concedo. Regulati per numerum durationum incipientem à prima creatione cœli, & terræ, & respondentem tribus ex nostratibus diebus naturalibus sunt temporis partes, subdistinguo: Temporis intrinseci concedo: temporis extrinseci subdistinguo iterum, sunt virtualiter, & æquivalenter partes temporis extrinseci concedo, actu formaliter nego: Cum autem illi tres dies, qui præcesserunt ei, in quo Sol cæpit esse, ac moveri, non fuerint regulati per motum hujus realem, ut patet, sed per numerum durationum, hoc est, successivarum productionum cœli, &

terræ

terræ à prima horum creatione, solum habebimus, quod ante quartum diem, in quo Sol cæpit esse, ac moveri, fuisset jam tempus intrinsecum reale, quod ut dixi, potest etiam vocari extrinsecum virtualiter, & æquivalenter, & tempus imaginarium, nempè motus Solis, qui non fuerunt, potuerunt verò esse, secus autem tempus reale, formaliter extrinsecum, de quo solo dixi, consistere in motu Solis, vel firmamenti. Explicatur. Scit DEUS, & etiam Angeli, quot instantia intrinseca, id est, quot durationes, sive successivæ continuæ indivisibiles productiones cœli v. g. respondent uni ex solitis conversionibus diurnis Solis. Respondent singulis v. g. mille milliones. Vocat ergò scriptura *primum diem* complexum ex mille illis millionibus; & *secundum diem* complexum aliud ex aliis mille millionibus durationum; & *tertium diem* complexum aliud ex aliis mille millionibus durationum cœli, & terræ: Unde tres illi dies, qui præcesserunt creationi Solis, fuerunt tria complexa, unumquodq; ex mille millionibus successivarum durationum cœli, & terræ; ergò fuerunt tres dies temporis intrinseci, & tres dies temporis æquivalenter extrinseci, & tres dies nostrates imaginarii, quia licet eis complexis non coëxtiterint, potuerunt tamen coëxistere tres conversiones diurnæ Solis, quales sunt hæ, quas experimur. A quarto autem die quando stellæ, & Sol cæperunt moveri versus occidentem Paradysi terrestris, jam cæperunt esse dies temporis extrinseci realis, & actualis, sicut hi nostrates; unde quos ab eo numerat scriptura puto dies, sicut nostrates, nempe solares. Absurdum autem non est, quod in eodem contextu ejusdem historiæ eadem vox *Dies* significet diversas species dierum: Tum quia hæc diversitas est pure materialis, siquidem eadem penitus est distantia, & mensura temporalis, sive vox *Dies* significet unam conversionem diurnam Solis, sive significet mille milliones durationum successivarum, quem numerum supponimus respondere exactè singulis conversionibus diurnis Solis. Tum quia non est absurdum, quod in eodem contextu eadem vox significet res diversas, quando contextus ipse dat fundamentum ad hoc dicendum: At in præsenti dat: siquidem ante productionem, & motum diurnum Solis, & Stellarum, ponit scriptura *tres Dies*, ut constat ex Cap. 1. Geneseos; unde vox illa *Dies primus*, *Dies secundus* non potest significare dies, qui sint partes temporis consistentis in motu physico, & reali Solis; post hujus productionem ponit scriptura dies etiam, & nil impedit, quod hæc vox *Dies quintus*, *Dies sextus* &c. significet partes temporis consistentis in motu physico, & reali Solis; ergò. Quod si volueris scripturam dicentem quintum diem, sextum diem, persistere in eadem significatione dierum, alludentium nimirum ad tempus intrinsecum: transeat: quia perinde se habent uni dies, atque alteri in ordine ad ad distantiam, & mensuram temporalem: Quandoquidem dies temporis intrinseci constant indivisibilibus successivis, & continuis durationibus exactè respondentibus quotidianis conversionibus Solis.

XX. Instabis. Scriptura non solum ponit dies, verum etiam vesperem, mane, & lucem, ante quartum diem; ergò ponit motum aliquem alicujus rei corporalis, nempe illius lucis materialis creatæ, in prima die, cujus lucis præsentia causaret mane, & cujus imminens absentia causeret vesperem, ut subsistat illud *factum est vespere, & mane dies* &c. quod ter scribitur ante quartum diem: ergò ante hunc ponit tempus extrinsecum non solum virtuale, & æquivalens; sed etiam actuale, & formale: Dies namque ille creationis Solis, & Stellarum non potuit dici quartus, nisi relatè ad aliquod extrinsecum tempus verè, & formaliter tale, & hominibus notum, quia his scribitur illa historia Geneseos, & non Angelis, modus autem vulgaris, & humanus computandi dies, à quo stylo non discedit scriptura, cum utatur ibi stylo historico, est per dies, qui sint partes temporis extrinseci, & non solius temporis intrinseci, quoniam hoc soli DEO, & Angelis notum est.

Mul-

Multum probat objectio. Cum enim vulgaris, & humanus modus computandi dies, nec non mane, & vesperem, sit per motum, per ortum, & occasum hujus determinatè Solis, quo fruimur; Si Moyses ante quartum diem ponit dies mane & vesperem *juxta vulgarem modum loquendi*, sequetur, quod ponit Solem ante quartum diem, cum tamen ipse post scriptos tres dies & post illud *vespere, & mane* dicat. *Dixit autem DEus fiant luminaria in firmamento cœli* &c. & concludat postea: *Factum est vespere, & mane dies quartus*: Quamobrem sicut ante quartum diem non ponit tres alios dies artificales, aut naturales, neque *vespere, & mane* cum allusione ad Solem; ita necesse non est, quod ponat hæc eadem cum allusione ad tempus extrinsecum, quod sit reale, & actuale; sed cum allusione ad solum tempus extrinsecum *imaginarium*, quatenus inter primam creationem cœli, & terræ, atque diem quartum potuerunt esse tres circumvolutiones diurnæ Solis, quamvis non fuerunt. Vel cum allusione ad tempus reale intrinsecum, (quod jam dixi esse æquivalenter tempus extrinsecum hominibus notum) quatenus inter primam illam creationem, & creationem Solis tot præterierunt successivæ, continuæ, indivisibilesque productiones cœli, quot modo prætereunt in tribus circumvolutionibus Solis, quæ circumvolutiones sunt dies physici, & reales, nostrates. Neque aliud quàm alterutrum ex his duobus elicitur, ex eo, quod ille stylus sit historicus, aut ex eo, quod Moyses scribat historiam non Angelis, sed hominibus. Similiter exponi potest illa definitio Lateranensis, quod DEus ab initio temporis utramque ex nihilo condiderit creaturam, angelicam scilicet, & mundanam, quibus verbis significari videtur ante existentiam, & motum solis fuisse temporis initium, nempe quando DEus creavit Angelos. Respondeo. Illa vox *initium* potest significare totum illud tempus, (non enim loquitur concilium juxta vocabularium Mathematicum, sed juxta usuale, ac vulgare) quod DEUS expendit in creatione mundi, & post quod requievit ab opere suo: at expendit sex dies, ut constat ex cap. 1. Geneseos; ergo potest significare totos illos sex dies: At hi non fuerunt ante quartum, ut patet: ergò non habetur, quod ante quartum fuerit tempus extrinsecum reale. Præterea vox illa potest significare primam creationem cœli, cui coëxtitit creatio naturæ angelicæ, ut infra dicam, nec non creatio naturæ humanæ quoad materiam primam (nam quoad animam creata fuit die sexta) At prima illa creatio est initium temporis extrinseci virtualiter talis; nam ut dixi tempus reale intrinsecum æquivalet extrinseco quo ad mensuram, & distantiam temporalem; ergo vox illa potest significare initium temporis realis intrinseci, & temporis virtualiter extrinseci. Potest demum significare initium temporis imaginarii, quia cum posset DEus creare solem actione coëxistentem primæ creationi cœli, quamvis eum non sic creavit, significans primam illam actionem, significat initium imaginarium temporis, quod in motu Solis consistat.

§. Quartus.

XXI. Operosius est illud *de Vespere, & Mane*, quibus frequenter utitur scriptura Capite 1. Geneseos. Hi namq; sunt termini connotativi. Quando enim uni Regioni advesperascit, alii illucescit, alii est meridies, alii media nox. Moyses autem non dicit regionem respectu cujus erat illud *Vespere*, & illud *Mane*. Præterea sunt connotativi lucis paulò post abituræ, & lucis paulò ante obortæ, aut paulò post oborituræ, & non dicit, cur illa primitiva lux faciebat vesperem, & non meridiem, aut auroram. Rursus sunt connotativi alicujus initii, & alicujus finis: Quoniam vesper solet esse tertia pars diei, mane autem prima pars, & non dicitur initium illud à quo incipiebat vesper, nec terminus respectu cujus illud mane erat principium. Unde formatur hic scrupulus. Non potuit fieri dies primus, aut secundus ex partibus, quæ tunc non erant; sed ante quartum diem, in quo Sol formatus fuit, non erant vesper, aut

aut secundus ex partibus, quæ tunc non erant; sed ante quartum diem, in quo Sol formatus fuit, non erant vesper, aut mane, quia hæc duo consistunt in eo, quod Sol recedit à meridiano versus occidentem, atque in eo, quod sit in orientali horizonte: ergò ante quartum diem non fuerunt vesper, mane, aut dies. Demum directus, & ordinarius modus computandi dies est ab ortu in occasum, id est à sole nobis appropinquante ad Solem à nobis recedentem, à mane ad vesperam, quia sic movetur Sol; scriptura verò computat dies illos modo inverso, nempe à vespere ad mane, à luce abeunte ad redeuntem, quæ est computatio opposita motui Solis. Ad hæc utcumq; explicanda. Dico primò: Vesperem illum, de quo to-
Genes.1. ties loquitur Moyses, fuisse vesperē respectu Paradysi terreni, vel respectu individuæ illius regionis, quam DEUS designaverat, ut in ea Paradysum plantaret: quoniam ex una parte vox illa connotat pomeridianum tempus respectu alicujus determinatæ regionis, & ex alia non apparet ratio, cur in stylo historico, & litterali, quo utitur Moyses, detrahamus illi voci hanc connotationem, seu allusionem, nam quod tunc totus hic globus terraqueus esset undequaque opertus aquis usque ad Empyreum, & consequenter, quod nulla sua pars fuerit illuminata, sive luce meridiana per lucem illam productam primo die, probat non fuisse in actu secundo, & physico lucem ullam, sive matutinam, sive vespertinam in parte ulla hujus globi (eo quia creditu difficile est, primitivam illam lucem ex tanta distantia penetrasse immensam molem aquarum illarum, tametsi hæ utpote purissimæ, atque elementares instar nebulæ essent, ut sapi-
Eccles.24.6. entia ipsa innuens has aquas, dicit: *Sicut nebula texi omnem terram*:) Ast hoc fuit per accidens ratione interpositionis tantarum aquarum; per se autem, atque *in actu primo* aliquam partem hujus globi illuminaret, imo totum juxta mox dicenda. Frequens autem est in scriptura, imo in cōmuni etiam modo loquendi, usus actûs secundi pro actu primo; ut decade 3. regularum pro intelligentia scripturæ abundè proba vi. Videtur itaq; rationale, quod terminus ille *vespere* significet situm aliquem determinatum hujus globi, respectu cujus esset tunc vesper, nisi per accidens impediretur, ne dicamus positam fuisse illam vocem in textu absq; significatione sua, ergo verisimile est, quod significet illustrissimum, & nobilissimum eum situm, qui tunc erat: ergo situm illum individuum, de quo solo in singulari locuturus erat Moyses post narratam in genere fabricam mundi, & quem DEus specialiter formaturus erat, aut jam formaverat, & ex quo prodituram erat genus humanum, & in quo patranda erant prima memorabilia opera ad homines spectantia. Sed talis situs fuit Paradysus terrestris.

XXII. Quoniam certum est ex illo prodiisse nostros primos Parentes. Item Paradysus ante alia loca particularia fabricatus fuit à DEO. *Plantaverat autem Dominus DEus Paradysum voluptatis à principio.* *Genes.2.8.* Item de illo solo in singulari loquitur Moyses post narratam in genere fabricam universi. Item in eo determinato loco patrata fuerunt tria illa stupenda opera, spectantia ad genus humanum: nempe Diabolica suggestio, quia *invidiâ Diaboli mors introivit in orbem terrarum*: *Sap.2.42.* secundum, peccatum Adæ, & consequenter ruina totius generis humani, duobus solis individuis exceptis. Tertium, infallibile pignus reparationis, promissio scilicet illa: *Ipsa*, vel, *ipse*, juxta Hæbræum, al- *Genes.3.15.* ludendo ad Filium, *conteret caput tuum*, quod ex mera gratia DEI fuit verificatum de muliere sanè, quando incarnationi verbi, in assumpta carne debellaturi Diabolum, assensum, & fidem præbuit. *Fiat mihi secundum verbum tu-* *Luc.1.38.* *um*, & *Beata quæ credidisti, quoniam per-* *à 40.* *ficientur* &c. Hic profectò assensus simul cum immenso illo thesauro gratiæ ac gloriæ, quæ adepta est, fuit contritio, & pessundatio in sensu morali Diabolici capitis; sacram item humanitatem, in qua verbum absolutè, ac simpliciter contrivit infandum illud caput, compositam fuisse ex materia primigenia, quæ soli us Deiparæ propria erat, & ab hac sine viro submini strata, fecit

fecit ipsam novo titulo, & specialissimo conterere nefandum illud caput. Fuit item verificatum de *ipso*, id est de Filio, quando: *Inclinato capite tradidit Spiritum*, quia tunc *delens, quod adversus nos erat chirographum decreti* &c. Demum Paradysus, aut jam plantatus erat, siquidem plantaverat illum DEus *à principio*, quæ vox simplicius significat primum diem mundi, quam secundum, aut tertium, in quo dixit DEus: *Germinet terra herbam viventem, & facientem semen* &c. Item illud *à principio* alludere videtur ad illud alterum. *In principio creavit DEus cœlum, & terram.* Rursus consulto non agglomerat scriptura Paradysum cum turba cæterarum arborum, quia de his dicit: *germinet terra* &c. de Paradyso *plantaverat autem Dominus DEus Paradysum*, quibus verbis innuere videtur hunc seorsim ab alia turba plantarum esse. Et non obstat, quod prima illa die mundi tota terra esset sub immenso pondere aquarum. Tum quia hæ utpote elementares erant purissimæ adhuc, & simplicissimæ, atque instar nebulæ, id est instar floris aquæ admixtæ cum purissimo aëre, & quamquam die secundo cæperunt habere majorem densitatem, eo quod discretæ fuerunt à puro aëre, cum quo admixtæ creatæ fuerunt, & ex quo factum fuit firmamentum, ut infra dicam; nihilo tamen minus adhuc restarunt purè elementares, absq; mixtura cum extraneis corporibus, quibus modò admixtæ sunt: ergò nequibant suo pondere, aut motu corrumpere Paradysum sub illis plantatum, quemadmodum neque modò corrumpit unum delicatissimum florem pondus innumerabilium corporum, & corpusculorũ, quæ inter ipsum sunt & cœlum Empyreũ, non enim datur vacuum inter cœlum, & terram; tum quia nunc etiam sub gravissimarum, & irrequietum pondere, aquarum maris inveniuntur non rarò in fundo ipso herbæ, arbusta, imo, & integræ arbores, v.g. corallinæ, quæ omnia reddunt haud improbabilem formationẽ Paradysi in primo die mundi. Aut si nondum fuit tunc plantatus, sed die tertio cum cætera turba arborum, proxime tamen plantandus erat, nempe hac die tertia, etiam tunc destinatus erat ille locus pro Paradyso; ergò vel hic vel regio jam destinata pro eo, erat tunc nobilissimus locus hujus globi terraquei, & dignus, de quo, seu relate ad quem intelligantur illæ voces *Vespere, & Mane*, quæ profecto intelligi debent relate ad aliquen locum, vel regionem hujus globi; ergo verisimile est, quod vox illa *Vespere* connotet lucem pomeridianam respectu Paradysi terreni.

Joan. 19. 31.
ad Coloss. 2. 14.

XXIII. Sed quam lucem? Dico 2ò. vox illa *vespere*, non significat lucem pomeridianam productam in Paradyso v.g. à primitiva illa luce, quam DEus produxit primo die, sed hanc ipsam primitivam lucem productam tempore vespertino, quia dies incepit à prima productione hujus lucis; sed incepit à tempore vespertino, quia inquit Moyses, *factum est vespere, & mane dies unus*, ergo tempore vespertino contigit prima productio hujus lucis. Hoc autem tempus erat vespertinum, non quia Sol jam tunc producebat lucem vespertinam, sed quia tunc produceret illam ibi, si in illo momento, in quo DEus creavit cœlum, & terram, creasset Solem in meridiano Paradysi, ad meridianum enim alludit *vesper* proxime, & tanquam ad principium semper stabile, ut constat ex horologiis Astronomicis, quæ toto anno eadem hora dant meridiem; Tempus autem matutinum est principium longè distans à vespere, & non est stabile toto anno, siquidem propter quotidianas morulas Solis, quotidie retardatur ab horizonte reali, quidquid fit de apparente, hoc est, si prima productio Solis fuisset in eo meridiano, & coextitisset primæ productioni cœli, & terræ dedisset Paradyso horam vespertinam, scilicet tertiam post meridiem; unde periodus illa: *Factum est vespere, & mane dies*, & potest intelligi de vespere intrinseco, & æquivalere huic. Prima productio illius lucis contigit, quando tot jam transierant continuæ, successivæ, ac indivisibiles productiones cœli, & terræ, quot postea transituræ erant à Sole meridiano Paradysi v.g. usque ad horam tertiam pomeridianam in eodem Paradyso finitam, qua hora incipit vesper: En vesperem quem dixi intrinsecum, utpote con-

consistentem in successivis indivisibilibus productionibus rerum. Et potest intelligi, de vespere extrinseco, non reali, sed imaginario. Nempe, tot transierant, quot transivissent. Si primæ productioni cœli, & terræ coëxtitisset prima productio Solis in meridiano dicto, & immediatè cæpisset moveri Sol versus occidentem: Quamobrem lux, quæ innuit illud *vespere* est lux ipsa producta primo die mundi in toto Empyreo; Et initium, ad quod alludit, est prima productio Empyrei quæ jam transierat, & imaginaria prima productio Solis in meridiano dicto, quæ utique non coextitit primæ productioni Empyrei, poterit verò coexistere, & postea futura erat, nempe die quarto. Prolepsim autem, seu modum loquendi per anticipationem de rebus futuris, tanquam si jam præsentes forent, esse vulgarem in scriptura, ostendi Decade
Oseæ 2. V. regulaV. v.g. *ne forte exspoliem eam nudam*, id est, quæ modo est vestita sed
Job. 22. postea erit nuda. Item, *nudos spoliasti vestibus* id est vestitos coegisti, ut post rapinam tuam evaderent nudi:
1. Reg. 4. Item: *Castrametatus est juxta lapidem adjutorii*: Cum tamen nondum haberet hoc nomen; habiturus autem
Ibidem 7. erat illud à Samuele, qui vocavit *nomen loci illius lapis adjutorii*. Parco aliis & probo primam partem conclusionis quam prius explicabo, quia ex ea pendent cæteræ.

XXIV. Scriptura dicit, lucem factam fuisse primo die. Insuper dicit, tenebras fuisse super faciem abyssi, id est super immensam illam aquarum molem jam dictam. Necesse itaque est primum illum diem habuisse partes, in quarum altera essent tenebræ, unde mundus hic nocte quasi natus est, & in altera esset lux. Necesse item est lucem illam non fuisse creatam in eodem momento, in quo DEus creavit cælum, & terram, sed aliquandiu post ob rationem DEO notam. Hinc quærunt Theologi: quæ lux fuit illa? ubi producta? quando producta? An sicut hic noster Sol moveretur circulariter? vero similius est illam fuisse verè, ac simpliciter lucem materialem, qualis est hæc nostra, quamvis multò fulgidiorem, quia stylus historicus & simplex, quo utitur scriptura, hoc poscere videtur. Et quia non urget ulla ratio efficax, ut illi voci *facta est lux*, negemus hanc significationem. Et quia illud S. Augustini de cognitione clara, & obscura Angelorum, dictum est in sensu allegorico, non in litterali. Præterea verosimilius est illam lucem fuisse productam à DEO in cœlo ipso Empyreo, tamquam in subjecto receptivo; Ex una quippe parte produci debebat à DEO, incipiente tunc operari, tamquam authore naturæ, in aliquo subjecto; alias illa lux fuisset tanquam Eucharistica quantitas extra omne subjectum, & DEUS in ipso exordio operandi naturaliter ad extra violasset jura naturæ, quorum unum est, quod accidens sit in aliquo subjecto. Ex alia etiam parte congruentius est, quod illa lux diffusa fuisset per totum ipsum Empyreum; nam cum Regio illa jam tunc destinaretur, non solum pro Angelis, & animabus separatis, quæ sanè non egent luce materiali, verum etiam pro corporibus sanctis, ibi aliquando extituris, *possidete paratum vobis regnum à constitutione mundi.* *Matth. 25. 34.* Et corpora humana rationabiliter, ac digne delectentur Luce materiali, & in tenebris malè se habeant; Idcircò videtur congruum, quod regio illa empyrea, fulgentissima sit non solum propter lucem emanantem à corporibus glorioſis, quæ jam ibi sunt, verum etiam per se ab intrinseco, alias ex se tenebrosa, & funesta erit. Unde Joannes dicit de illa: *Civitas non eget Sole, neque Luna, ut luceant in ea; nam claritas DEI illuminavit eam*, quando illuminavit eam, nisi quando initio mundi sparsit per illam fulgorem inquiens: *Fiat lux*, quæ anthonomasticè dicitur *claritas DEI* quia specialissimè fuit producta per DEum, utpote extensissima, & intensissima, & omnium prima: Aliquando ergò produxit DEus lucem materialem in Empyreo, jam enim ab ascensione Christi sunt ibi corpora humana; Cumque non constet alias produxisse illam, quam in primo die mundi, ratio-

Apocalyps. 21. 23.

tionale videtur, quod tunc produxerit, atque diffuderit illam per Empyreum; ergo lux illa diei primi videtur producta in Empyreo ipso.

XXV. Et quidem in *toto*, quoniam fundamentum non apparet, ut altera pars illius fuerit lucida, & altera tenebrosa: quænam fuit illa, quænam fuit hæc ex superficie concava Empyrei huic mundo infimo obversa? verosimilius denique est lucem illam non habuisse motum circularem, quia nullum accidens movetur localiter, nisi moveatur subjectum, in quo est. Licet enim color, sapor, odor aliquorum corporum transeat in aliqua corpora, v.g. hæc accidentia rosæ, carnium migrare solent in aquam, in qua coquuntur; hoc ideo est, quia in aquam transeunt minutissimæ particulæ, & quasi atomi spirituales rosæ, ac carnium, quibus particulis affixa sunt illa accidentia, vel quia unorum corporum accidentia virtutem habent producendi similia in subjecto extraneo, cui applicantur, sicut ignis producit calorem. At Empyreum non movetur localiter, & consequenter nec circulariter, quia talis motus nec constat ex ratione ulla, nec videtur ad quidquam necessarius neque bene consonat Joanni ajenti: *Civitas in quatro posita est*, qua sententia stabilitatem, atque perpetuam quietem cœli illius docere videtur; ergò primitiva illa lux nullum habuit motum circularem, sed undequaque cingebat immensum illum aquarum globum, qui intra se continebat, globulum hujus terræ, sicut ovum continet suum meditullium; & qui paulò ante fuerat tenebrosus sicut Empyreum ipsum ut sciremus vastissima hæc duo corpora ad tantam dignitatem postea promovenda, & jam nunc promota, obscura prorsus fuisse in sua origine.

Apocalyp. 21.

XXVI. Demum primæva illa lux dicitur *vesper*, non quia esset in loco ullo determinato, ex quo vesperam absolutè induceret ulli regioni determinatæ, quia ut dixi, sparsa erat per totum Empyreum, & undique complectebatur totum hunc mundum inferiorem; ergo tam erat in loco vespertino respectu Paradysi v. g. quam in matutino, & meridiano. Non item, quia lucem vespertinam produceret, hoc est, faceret horam tertiam pomeridianam (tunc enim incipit vespera, nempe, quando Sol distat 45. gradus à meridiano versus occasum) in Paradyso, aut in loco mente divina destinato pro hoc Paradyso, quia ut dixi tam producebat ibi lucem vespertinam, quam matutinam, & quamvis distantia illius lucis, interpositioque aquarum esset immensa, immensa quoque erat illa lux, utpote diffusa per totum Empyreum, complectens cunctos alios globos cœlestes: qui postea fuerunt conditi. Non demum, quia lucem illam pomeridianam jam tunc produceret Sol in eo loco; quippe Sol non fuit productus ante quartum diem, ut constat, & modo loquimur de primo. Restat ergò, quod vox illa *vespere* si connotat tempus extrinsecum reale, connotet per prolepsim in scriptura satis usitatam, ut dixi, horam tertiam pomeridianam, quam postea in Paradyso daturus erat Sol: Et sic sensus erit: *Facta est lux quatriduo antequam Sol daret horam tertiam pomeridianam Paradyso*, quatriduo autem naturali ante horam tertiam est hora tertia. Hoc quatriduum erat tempus extrinsecum, sed imaginarium, quia tunc nondum erat Sol, aut firmamentum, quod faceret illud quatriduum, sed esse poterat, & citò futurum erat. Potest ergò illud *vespere* significare tempus imaginarium, siquidem commune est inter homines uti ad reales calculationes tempore loco, & nummis imaginariis, id est, quæ non sunt, & ideò vocantur imaginaria, possunt tamen esse (& ideò non sunt chymerica) ut quotidiana experientia docet: nec est res abscriptura abhorrens v. g. *Annos æternos in mente habui.* Item: *Illuminans tu mirabiliter à montibus æternis.* Hi anni, & hi montes sive sint à parte ante, sive à parte post, anni sunt, & montes imaginarii, nisi dicamus solem, cujus motus facit annum realem extrinsecum, motum fuisse, aut movendum iri æternè.

Psalm.

Psalm.

XXVII.

XXVII. Potest etiam dici vocem illam *vespere* habere sensum conditionatum, videlicet: *DEUS produxit primævam illam lucem in eo momento, in quo Sol dedisset Paradyso terrestri vesperam, id est horam tertiam pomeridianam si in eodem momento, in quo primo produxit cœlum, & terram, produxisset Solem in meridiano Paradysi & ille protinus incæpisset moveri, sicut nunc.* Locutiones enim præseferentes sensum absolutum habere sensum reipsa conditionatum, non est insolitum in scriptu-
Luc. 16. ra: v. g. *Qui volunt hinc transire ad vos non possint*, quasi dicat: *si velint*, sive, *etiamsi vellent*, nemo enim absolutè volebat transire ex sinu Abrahæ ad infernum damnatorum. Item:
Job. 9. *Qui præcipit Soli, & non oritur*: id est, si DEUS præciperet Soli non oriri,
Psal. 103. non oriretur: Item: *Qui respicit terram, & facit eam tremere, qui tangit montes, & fumigabunt*: hoc est: Si oculis iratis aspiceret terram &c. Item de
Isai. 48. cœlis dicit DEus: *Ego vocabo eos, & stabunt simul*: hoc est, si vocem eos,
Psal. 4. sistent, hærebunt: Item: *Irascimini, & nolite peccare*: hoc est: Si irascamini, nolite addere peccata, ne forte Sol occidat super iracundiam vestram. Porrò in utraque solutione recurro ad Solem, & hujus solius memini, quia cum Moyses hanc nobis, & pro nobis scribat historiam, & nos horas, ac dies computemus per motum Solis ab ortu in occasum juxta hunc motum loqui videtur; sed non juxta motu physicum & realem Solis, quia tunc nondum erat in rebus, ut constat; ergò juxta motum, aut imaginarium, ut paulo ante dicebam, aut conditionatum, ut modo dixi. Potest dici 3ò. quod simplicius, ac verius reor: nempe vocem illam *vespere* significare tempus reale, ac physicum, sed intrinsecum, sensumque esse: DEus produxit primævam illam lucem, quando tot transierant instantia intrinseca, hoc est indivisibiles, successivæ, continuæ durationes, sive productiones cœli, & terræ à prima eorundem productione, quot quotidiè transeunt à puncto meridiano Solis usque ad horam pomeridianam tertiam, quâ horâ incipit vespera: Quarum trium ratio est. Aliquam significationem, aliquo modo propriam oportet dare illi voci *vespere*, & alia non mihi apparet, nisi una ex his tribus, præsertimque hæc ultima.

XXVIII. Hinc primo. Illa altera vox *mane* prout in præsenti sumitur à Moyse, videtur significare tempus illud imaginarium extrinsecum, aut tempus reale intrinsecum juxta tres modo datas explicationes, quod respondet tempori extrinseco reali inter horam tertiam post mediam noctem, & horam tertiam pomeridianam, quia Moyses frequenter dicit: *Factum est vespere*, & *mane dies* &c. ergò in duas tantum partes primarias dividit eos dies; ergò verisimile est, quod tantum det uni, quantum alteri; sed ab hora tertia reali intrinseca, vel imaginaria extrinseca post mediam noctem tantum est temporis alterutrius, quantum ab hora tertia pomeridiana ad horam tertiam post mediam noctem; ergò verisimile est, quod Moyses in ea divisione totam hanc portionem det *vespere*, & totam illam det *mane*; quamvis unaquæque ex his partibus habeat juxta diversitatem regionum, & juxta diversitatem motuum solarium, nunc majorem, nunc minorem durationem; Etenim unæ solæ regiones in hoc globo terraqueo sunt idoneum exemplum ad æqualem partitionem diei in quatuor suas partes, & quidem tempore æquinoctiorum, nempe regiones, quæ subsunt æquatori, cæteræ aliæ, cum sint in sphæra nunc magis, nunc minus obliqua, consequenter habent magnam diversitatem in quatuor partibus diei naturalis, nimirum *mane, meridie, vespere* & *nocte*. Mane in quinto v. g. quæ est urbs ferè sub formali, & præciso æquatore, incipit tempore æquinoctii (non autem alio, quia aliis temporibus Sol est obliquus tantillum ill urbi, quamvis ipsa semper sit sub æquinoctiali linea) horâ tertia post mediam noctem, & durat usque ad tertiam post Solem elevatum supra horizontem orientalem; unde durat à 45. gradu infra illum horizontem, usque ad 45. gradus supra eundem.

Meridies incipit ab hora tertia post ortum Solis usque ad tertiam post meridiem formalem, id est à 45. gradu ante meridianum usque ad 45. ultra meridianum ipsum. Vesper incipit ab hora tertia post meridiem usq; ad tertiam post occasum Solis, id est à 45. gradu supra horizontem occidentalem usque ad 45. infra eundem horizontem. Nox demum ab hora tertia post occasum Solis usque ad tertiam post mediam noctem, hoc est à 45. gradu ante lineam mediæ noctis usque ad 45. ultra lineam eandem: Et sic dies non utique artificialis, sed naturalis dividitur in quatuor æquales portiones, non ubilibet, sed in illis regionibus subsolanis, & non in quovis tempore, nam ut dixi, illæ quoque regiones majore parte anni habent Solem non nihil obliquum propter accessum, & recessum hujus respectu tropicorum, sed tempore æquinoctiorum: unde commodius intelligentur, quæ dicit scriptura de vespere, mane, die, firmando imaginationem in illis regionibus, quæ subjacent æquatori, & in temporibus æquinoctii. Hinc 2. Absque motu illius primitivæ lucis, quæ circumiret hunc mundum instar hujus nostri Solis, commodè intelligitur de *vespere*, & *mane* per tempus reale intrinsecum, virtualiterque extrinsecum, aut per tempus verè, ac formaliter extrinsecum, scilicet per motum Solis, sed imaginarium. Hinc 3. DEus dicitur divisisse lucem à tenebris, non quia in una parte Empyrei esset lux, & in alia essent tenebræ, quia hoc gratis dicitur; & insuper, quia incongruum videtur, quod cœlestis ea regia quoad unam partem esset fulgentissima, & quo ad alteram tenebrosa. Ut quid hoc? utra erat fulgida? utra infelix, & obscura? Divisit ergò DEus lucem à tenebris, quia producendo, spargendoque lucem per Empyreum totum ablegit tenebras, quæ per tres horas potitæ fuerant illâ regiâ; Et sic divisit DEus lucem à tenebris, quatenus illa existente, hæ non fuerunt amplius, sicut tu dicis factam fuisse hanc divisionem, quatenus existente luce in una parte Empyrei, tenebræ erant in altera; melior utique modus dividendi unum ab altero est facere unum, & destruere alterum; unde vulgaris est in scholis illa locutio, sedentem posse ambulare in sensu diviso à sessione, loquentem posse tacere in sensu diviso à locutione &c. neque propterea erit frivola illa quasi illatio, sive explicatio scripturæ: *Et divisit lucem à tenebris* quoniam licet idem omninò sit esse lucem, ac non esse tenebras; sicut idem omninò est esse hominem, ac esse animal rationale, ast sicut hoc secundum majorem dat explicationem, quam illud primum, ita *destruere tenebras*, cum sit effectus, vel quasi effectus lucis, majorem dat explicationem, quam *esse lucem*. Alias quando Joannes scripsit: *DEUS lux est*, frivolè addidisset: *Et tenebræ in eo non sunt ullæ*: superfluè item dixisset de altero Joanne: *Confessus est, & non negavit, & confessus est* &c. ubi crebra ejusdem rei repetitio non est pleonasmus, sed emphasis; sicut sæcularis illa, *quem si fata virum servant, si vescitur aura ætherea, nec adhuc crudelibus occupat umbris;* ubi ter audimus idem sed novis semper expressionibus: non ergò sequitur futilem esse illam locutionem: *Et divisit lucem à tenebris*, quamvis luce illa primitiva occupante Empyreum totum, & illuminante totam machinam mundanam, non essent eo ipso in hac ullæ tenebræ.

XXIX. Hinc 4ò. Cœlum empyreum, & aquarum abyssus fuerunt in tenebris per tres horas, tamdiuque hæ durarunt super faciem abyssi, horas inquam temporis realis intrinseci, aut temporis extrinseci imaginarii: Id est: Inter primam productionem cœli, & terræ, ac primam etiam productionem lucis primitivæ tot transierunt instantia intrinseca, hoc est durationes, sive indivisibiles successivæ, ac continuæ productiones cœli, & terræ, quot modo transeunt inter Solem meridianum, & horam tertiam finitam pomeridianam: quia scriptura certò dicit lucem illam fuisse productam post cœlum & terram, alias nunquam fuissent tenebræ super faciem abyssi, quoniam hæc facies, vel superficies aquarum

rum illuminaretur ab Empyreo, quod è regione undequaque habebat, si Empyreum lucidum esset, insuper scriptura etiam videtur dicere, lucem illam factam fuisse vespere, quippe dicit vespere, ac mane factum fuisse diem unum. Et incipiens vespere, docere videtur, quod lux illa incæpit esse ad vesperam. Atqui vesper ille non potuit esse, nisi aut temporis realis intrinseci (quatenus tot jam transierant durationes cœli, & terræ, quot transeunt à meridie, qui, ut dixi, est principium proximum, ad quod alludit vesper usque ad horam tertiam pomeridianam) aut temporis extrinseci imaginarii, quatenus tot motus habuisse poterat Sol à prima productione cœli, & terræ usque ad primam productionem illius lucis, quot habet modo à meridiano formali usque ad horam tertiam pomeridianam, id est usque ad 45. gradus ultra meridianum, ergo vesper ille debet esse unus ex his duobus. Rursus utrovis modo sit, incipere oportet calculum à prima productione cœli, & terræ, aliud enim non apparet principium calculandi eum vesperem, quia lux illa utpote æquè diffusa per totum Empyreum, & totum hunc mundum cingens, nequibat suo motu ut supra dixi, suo ortu, aut suo meridie regulare illum vesperem; ergò videtur dicendum, quod hic regulandus sit per primam productionem cœli, & terræ; ergò lux illa fuit vespertina, relatè ad primam productionem dictam: At non apparet alius modus, quo respectu hujus fuerit vespertina, nisi quatenus tantum distavit ab hac, quantum lux vespertina distat à proxime antecedente parte diei, nimirum à meridie, à quo distat tres horas: ergò prima productio illius lucis distavit per tres horas à prima productione Empyrei: ergò hoc per tres saltem horas (dico *saltem*, supponendo eam lucem fuisse productam in ipso momento, in quo incipit vesper) temporis realis intrinseci regulandas per numerum suarum durationum indivisibilium: vel temporis extrinseci sed imaginarii, regulandas per motus, quos tunc habere potuit Sol, sed non habuit, fuit triste, obscurum, & tenebrosum.

XXX. Sed cur? DEus, & quibus DEus revelare voluerit, causam sciunt; quis cognovit sensum Domini, aut quis Consiliarius ejus fuit? non est nostrum nosse tempora, vel momenta, quæ Pater posuit in sua potestate. Si divinare licet, possumus dicere DEum per tres dictas horas distulisse productionem lucis in exordio mundi, quia in ejusdem reparatione, nimirum in morte Christi per alias tres horas tenebræ futuræ erant: *A sexta autem hora tenebræ factæ sunt super universam terram usque ad horam nonam*, id est à meridie usque ad vesperam: Hæbrei namque dividebant diem artificialem in duodecim horas, & consequenter hora sexta erat medietas diei; vel quia Christus Dominus per tres horas torquendus erat in cruce, ideoque voluit, quod cœlum, & terra per tres horas quasi veste nigra induerentur. Vel ut homines sciremus DEum non eguisse luce simili nostræ ad condendum stupendam fabricam hanc: vel ut sciremus hanc nobilissimam machinam obscuram prorsus fuisse in sua origine; vel quia voluit, quod status viæ Angelorum duraret per tres illas horas, ut infra dicam, & futurorum præscius noluit ornare, & quasi ultimam manum imponere illi palatio destinato pro humanitate sui Filii, & pro multis aliis hominibus amicis suis, donec purgaretur à fæce Angelorum apostatarum, & donec facta esset discretio Angelorum obedientium ab his. Vel quia voluit, quod mundus in sua creatione esset tenebrosus, & quemadmodum post tres horas oborta est lux materialis, ita post alias tres horas, quibus Christus pependit in cruce oboriretur lux spiritualis eis, qui in tenebris, & in umbra mortis sedebant ob sacrificium crucis tunc consumatum: Et tunc Diabolus triumphatus est, atque deturbatus ex imperio, quo huic mundo dominabat. *Expolians Principatus, & Potestates traduxit confidenter, palam triumphans illos in semetipso*; Legitimam verò rationem, ob quam neque ante neque post illas tres horas produxit DEus lucem, ipse scit. Matth. 27. 45. ad Coloss. 2.

XXXI. Hinc demum; Tametsi dies

dies Astronomici sicut etiam Ecclesiastici, incipiunt à media nocte, & dies artificiales præsertim apud Populos Orientales incæperint ab ortu Solis, sicut apud Italos incipiunt ab occasu ; verumtamen illi primi dies mundi incæperunt à vespere, hoc est ab hora tertia pomeridiana regulanda, ut dixi, per instantia temporis intrinseci realis, aut extrinseci imaginarii. Incæperunt enim ab eo puncto, à quo scriptura incipit computare, & numerare illos ; sed incipit semper à vespere, ut constat ex capite 1. Genes. ergò à vespere incæperunt omnes illi dies, aut quia Sol incæpturus erat vespere esse, atque moveri, ut infra dicam, unde ut illi præcessissent tres dies naturales perfecti, necesse erat quod primus dies inciperet, à vespere etiam, aut quia sicut à vespere, ut nuper dicebam, id est ab hora nona Hæbreorum, quæ est nostra tertia pomeridiana illuxit hominibus redemptio per mortem Christi, ita à vespere illuxit machinæ mundanæ primus ille splendor, seu prima illa lux, quâ DEUS ornavit Empyreum.

CAPUT III.

Systema Creationis Mundi.

XXXII. SYstema, inquam, quod probabilius reor, magisque consentaneum verbis scripturæ principiisque naturalibus : Evidentias namque physicas, aut metaphysicas quærere, aut polliceri in singulis articulis hujus processus, nescio an sit cerebri sani ; Igitur comprehendens DEus non utique successive, quia id repugnat naturæ multitudinis infinitæ, sed simul, & unico intuitu finitam quasi lineam instantium intrinsecorum, seu, quod idem est, durationum, hoc est productionum, ut explicui cap. 2. indivisibilium, essentialiterque successivarum, cœli, & terræ, sicut comprehendit infinitam quasi lineam, sive seriem durationum cujusvis creaturæ rationalis duraturæ per totam æternitatem, quia comprehendit creaturam eam amplius, & amplius, sine fine duraturam, in quo stat, quod comprehendat illam seriem, & non in eo, quod videat finem illius, quia id esset implicatio in terminis. Comprehendens inquam DEus hanc seriem, & evidenter discernens in ea actionem A, & actionem B, & C, &D &c. quibus producere poterat cœlum, elegit propter rationem sibi notam primo producere illud, non quidem ulla ex essentialiter prioribus actionibus, A, B, C, possibilibus, neque ulla ex posterioribus possibilibus E, F, G, quibus poterat etiam primo producere illud, sed actione individua D, essentialiter posteriore ad illas, & essentialiter priore ad has, qua de facto produxit illud. Et in hoc sensu potuit producere cœlum, ac terram *ante*, aut etiam *post* quam illud produxit ; nimirum quatenus ex serie infinitarum possibilium, & essentialiter successivarum actionum, potuit producere cœlum actione A, aut B, aut C, & sic produxisset cœlum antequam de facto produxit, sed noluit ulla ex eis actionibus producere illud : & potens insuper non producere illud actione D, sed actione E, aut F ; in quo casu produxisset illud, non quando de facto produxit, sed tempore, intrinseco utique, posteriore ad tempus, in quo illud produxit de facto, voluit propter rationem sibi notam producere illud actione D ; & in hoc sensu individua hæc actio fuit prima per accidens productio cœli, & primum instans intrinsecum illius, quatenus ante ipsam nulla fuit actio productiva cœli, & post ipsam sunt cæteræ omnes, quæ vocari solent conservatio ; quia conservatio, ut jam dixi, non est mera protectio, aut defensio à contrario, quando sermo est de conservatione stricta facienda per DEUM, sed continuata successiva productio, ut dicebam, de conservatione, sive duratione fluminis, aquæ fontanæ, lucis &c. vide numero XV.

XXXIII. Totum hoc fundatur in duobus principiis initio capitis 2. expositis. Primum, quod tempus intrinsecum nihil aliud est physicè, ac realiter, quam *numerus motuum* (hoc est actionum productivarum rei, siquidem actiones hæ vocantur *motus* à Philosophis) *secundum prius, ac posterius.*

Hoc

Hoc est, numerus actionum indivisibilium, quarum aliæ, si semel sint, necessario ex suamet essentia debeant esse post alias: quia cum sint rationes formales distandi temporaliter, & successionum temporalium, debent esse essentialiter successivæ, ad distantes temporaliter inter se, quando sunt actiones productivæ ejusdem prorsus rei: Sicut præsentiæ sunt essentialiter successivæ inter se, aut etiam sunt essentialiter distantes localiter quia sunt rationes formales successionum, ac distantiarum localium. Tametsi enim non sit de Conceptu generico *rationis formalis*, quod per suammet essentiam subeat denominationem illam, cujus subeundæ est ratio formalis, ut multis exemplis ostendi potest: At in his duobus casibus ratione materiæ, non potest esse ratio formalis distandi, aut succedendi localiter, vel temporaliter illud, quod ex suis intrinsecis est indifferens, ut succedat, vel non succedat, distet, vel non distet localiter aut temporaliter. Recognosce, quæ scripsi capit. 2. num. 14. Alterum fundamentum est. Omni creaturæ permanenti possibili respondet, ut possibilis, linea, sive series infinita saltem à parte post durationum, hoc est actionum indivisibilium successivarum, quibus successivè continuè produci potest à DEO, seu egredi quoad esse, sicut successivè continuè egreditur quoad locum fluvius è mari, & aqua è fonte: Non enim est possibilis creatura ulla permanens, quæ non possit produci à DEO actione A, aut B, aut C prioribus, vel actione E, aut F, aut G. essentialiter posterioribus respectu actionis D; si enim unæ entitates sunt essentialiter rationales, aliæ essentialiter irrationales unæ essentialiter corporeæ, aliæ essentialiter incorporeæ &c. quod absurdum est, quod sint unæ entitates essentialiter priores, aliæ essentialiter posteriores, ita ut nec divinitus possint inverti, nec existere hæ ante illas, nec existere illæ simul cum his.

XXXIV. Igitur. Quemadmodum Sol in eodem momento in quo occupat punctum quodvis cœli, producit simul, & uno quasi impetu suæ virtutis absque sui labore, aut diminutione, lucem in tot millionum, ac millionum, millionibus punctorum loci, quot supra, infra, ante, retro, ad dextram, & ad sinistram habet. Ita uno quasi impetu omnipotentiæ produxit DEus absque ullo labore, absque ulla prævia materia, & in nullo præsuppositio subjecto, aut loco extrinseco: produxit inquam actione individua D, jam utcumque explicata, immensum illud pulcherrimum corpus cœli empyrei, tanquam regiam sibi, & suis destinatam: *sibi* quidem, quia licet ubique sit, ibi duntaxat se permanenter ostendere decrevit: *suis* item, quia voluit magnum chaos firmare inter fideles, & rebelles sibi creaturas; & sicut has affigere infimis locis mundi decreverat, ita voluit illam ad omnium sublimissimum evehere. Non me latet S Aug. inclinare valde in opinionem docentem cœlum empyreum esse intellectualẽ quandam creaturam DEO fruentem; sed constabit legenti eum librum S. Doctorem loqui mysticè, ac valde dubiè. Unde alloquens postea illam creaturam, quam putat cœlum cœli, sive ut nos dicimus, cœlum empyreum, nempe cœlum conditum prima die, exclamat. *O beata si qua ista est!* Potest etiam intelligi tota illa Augustiniana doctrina per methonimiam, quatenus cœlum empyreum hoc est, sacra respublica, sacer populus ibi habitans est rationalis creatura DEO fruens. Rursus sicut Sol (ex necessitate tamen naturæ) innumeros simul radios lucis emittit ex se, non quia illos habuerit prius intra viscera sua & postea effundat illos, sicut aqua effunditur ex vase, sed quia per actiones diversas producit diversas portiones lucis in lineis innumeris loci sursum, deorsum, antrorsum, retrorsum, dextrorsum, sinistrorsum, quarum linearum centrum est ipse Sol. Ita DEus ex mera sua libertate indifferentiæ innumeris actionibus, juxta multitudinem Angelorum coexistentibus illi indivi-

Lib. 12 Conf. cap. 9.

Ibid. cap. 11.

dividuæ actioni D, qua empyreum produxit, produxit etiam Hierarchias, Choros, & individua Angelica, quia ut dicit Beda in opere falsè tributo Junilio Africano, empyreum nunquam fuit inane, & vacuum sicut terra; *sed suis incolis mox creatum, hoc est, beatissimis Angelorum agminibus impletum est.* Etenim certum est, quod sunt Angeli, & quod per DEum fuerunt creati *ab initio temporis*, ut docemur ab Ecclesia, & quod pro dilatione creationis illorum non est ratio, quæ pro dilatione creationis Adæ, quem expressè constat creatum fuisse die sexta: quando autem est proprius *initium temporis*, quam dum fuit prima rerum productio, quæ cum sit initium durationum, est initium temporis intrinseci; tunc quippe nondum erat stabilis motus Solis, aut fixarum stellarum, in quo motu consistit tempus extrinsecum.

Beda in Examer.

Later. 3.

XXXV. Pergo. Actione alia his dictis coexistente produxit DEUS hunc terraqueum globum, qui hoc ipso antiquior est Sole, Luna, & cunctis astris, utpote quarta die creatis, ut dicit Scriptura. Unde simul in eodem momento temporis, id est actionibus invicem coexistentibus fecit DEus centrum, & periphæriam totius mundi, globum hunc terraqueum; explicui utrumque in Philosophia naturali Disp. 3. à centro usque ad superficiem & postea à numero 167. philosophatus sum de suarum regionum varietate. Rursus actione alia his eisdem coexistente produxit derepente immensum corpus aquarum (memento Solis derepente, ac simul spargentis lucem per totum hemispherium) purissimarum, & elementarium, quæ occuparunt spatium totum ab hac superficie terræ usque ad confinia empyrei: quoniam de primo illo die scribitur: *Spiritus Domini ferebatur super aquas;* ergo prima die erant aquæ hæ; ergo fuerunt creatæ simul cum empyreo, & cum terra; quia vero nescimus omnino certo, & absolute, an Moyses his verbis loquatur de persona ipsa Spiritus Sancti, an potius de subtilissima elementari aura, hoc est de elemento aëris, qui etiam solet dici *Spiritus.* Idcirco nescimus lineam præcisam, ad quam usque ascendebant illæ aquæ: quapropter simul, id est, actionibus sibi invicem coexistentibus creavit DEus empyreum, Angelos, terram, aquam, & juxta alios à quibus postea discedam inter disputandum de firmamento, aërem quoque, non utique nostratem hunc, quia hic non est pure elementaris, sed refertus vaporibus, halitibus, exhalationibus, atomis innumeris, extraneis corpusculis, & spiritibus evadentibus ex globo terraqueo, aliisque corporibus, ut probavi Disp. illa à num. 188. & quidem hæc omnia fecit DEus *in principio*, ut loquitur Moyses, seu *ab initio temporis*, ut Lateranense illud loquitur, eo quia nulla penitus externa actio DEI fuit prior physice ac realiter, quam ulla ex individuis dictis harum rerum productionibus: & in hoc solo sensu cum reverentia debita S. Augustini, à quo frequenter discedunt Theologi in hac materia, dixit Ecclesiast. partim per Synecdochen, partim per Methonimiam: *qui vivit in æternum creavit omnia simul.* Quoniam per actiones sibi mutuo coexistentes & consequenter simultaneas, creavit DEUS omnia, quæ hactenus dixi: ergò creavit simul omnes materias primas quibus intrinsece constant cuncta complexa corpora, quæ modo sunt, ecce Synecdochem, nec non omnia loca, intra quæ sunt, en Methonimiam, ponit ergo Ecclesiasticus partem pro toto, & rem continentem pro contenta, uterque autem loquendi modus est adeò frequens, & comunis, ut pudeat exempla proferre.

Gen. 1.

Ibidem.

Eccles.

XXXVI. Antequam ultra progrediar in Systemate creationis mundi. Adverte ad hoc principium, de quo hic loquitur Scriptura, alludere potuit Joannes, quando dixit: *In principio erat Verbum*, quasi diceret, *in principio mundi, quando DEUS creavit cælum, & terram jam erat Verbum*, ut

bene

bene probat Maldonato, explicans hæc verba contra graves aliquos Patres, qui illa intelligunt de æternitate à parte ante; sed cum Patribus aliis, qui intelligunt eundem textum de initio, seu principio temporis, sicut etiam intelliguntur Illa alia verba: *Quod fuit ab initio*: Et illa. *Dominus possedit me* (id est *genuit me*, sicut dixit Eva quando peperit Filium. *Possedi hominem per DEum*) *in initio viarum suarum.* Significant ergò hæc initium temporum, nempe primam actionem DEI ad extra, non utique in sensu negativo, quasi significent verbum divinum tunc, & *non ante.* Absit Arianismus, sed in solo sensu positivo, quatenus mens Joannis in utraque illa sententia, & mens Salomonis fuit; Verbum sive sapientiam divinam jam tunc adfuisse, quando DEUS creavit mundum, & creaturarum exortus est productiones: quod si Verbum Divinum jam tunc erat, sequitur illud non fuisse è numero creaturarum, quod Joannes intendebat contra Cherintum, maximè cum protinus addat: *Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil* &c. & postea legitimè infertur illud fuisse Patri coæternum. Mens itaque Joannis videtur fuisse alludere ad illa verba Proverbiorum: *Quando præparabat cœlos aderam.* Item: *Cum eo eram cuncta componens.* Profectò æternitas à parte ante ex suamet quidditate excludit initium, seu primum sui esse, sicut æternitas à parte post excludit finem; ergò sicut docendi causa, duraturas animas nostras per totam æternitatem, esset implicatio in terminis, vel saltem impropriissima locutio dicere illas extituras *usque ad finem*, ita ad docendum Verbum divinum fuisse æternum à parte ante, foret implicatio in terminis, vel saltem impropriissima locutio dicere illud fuisse *in principio*, sive *in initio* æternitatis; ergò neque Salomon, neque Joannes videntur dixisse hoc; ergò ambo loquuntur de principio, seu initio alicujus rei, quæ verè habuerit initium; sed non alius nisi temporis: nam de hoc aptè intelliguntur ista testimonia, & sufficienter ostendunt Verbum divinum non fuisse creatum, & consequenter esse æternum; ergò. Cavillationes Arrianorum, & aliorum contra hanc doctrinam invenies rescissas ab eodem Maldonato.

1. Joan. cap. 1.
Prov. 8.
Genes. 4.

§. Secundus.

XXXVII. PErgo exponere systema. Immediatè post dictas actiones innumerabilium rerum infinuatarum productivas, & conservativas, nullius alius rei productionem novam posuisse videtur DEus per tres horas, ut dicebam agens de primæva illa luce producta vespere primi diei. Potuit verò DEUS ponere actiones productivas rerum aliarum, quia sua omnipotentia nec fatigata est, nec minimum laboravit, sicut Sol nec fatigatur, nec minimum laborat emittens ex se, atque physicè producens in singulis instantibus tot millionum, & millionum milliones graduum lucis, & caloris versus omnem differentiam loci, nec non, tot millionum, & millionum milliones specierum visualium, quibus ex omni differentia loci videri potest oculo corporeo. Cum autem nulla ex dictis creaturis primo illo quasi impetu omnipotentiæ productis, esset lux materialis, aut intimè connexa cum hac; inde est, quod per tres horas regulandas per numerum earum durationum successivarum indivisibilium respondentem his horis nostratibus, quæ horæ erant tempus reale intrinsecum, ut supra explicui, vel regulandas per motum Solis nondum tunc existentem, quæ hoc ipso erant horæ intrinsecæ, sed imaginariæ, sicut erant anni illi externi, quos David in mente habuit; Per tres inquam horas alterutro modo intellectas abstinuit DEus ab omni actione productiva lucis materialis. Unde contigit quod *tenebræ erant super faciem abyssi*; quippe ut bene notavit Augustinus: *Ubi ergò lux nondum erat, quid erat adesse tenebras, nisi abesse lucem*: *Super itaque erant tenebræ, quia lux super aberat, sicut sonus ubi non est, silentium est*: Et quamvis tenebræ essent quoque super faciem Empyrei, alias hujus fulgor illuminaret faciem abyssi, quam undique complectebatur, noluit Moyses id apertè dicere; vel quia dicens tenebras

Gen. 1.
Confes. 12. cap. 3.

fuisse super faciem abyssi, sufficienter innnuebat illas fuisse quoque super faciem Empyrei. & de subjecto omnium eminentissimo, quale erat illud cœlum sufficiebat insinuasse obscuritatem, quam aliquando habuit. Vel quia in causa eadem maluit appingere tenebrarum dedecus vultui subjecti ignobilioris, quod bonis, & malis futurum erat commune, quam vultui subjecti nobilioris, & solis principibus creaturis destinati, vel quia cum mortales audituri essent paulo infra abyssum, id est aquas illas promotas supra stellas ipsas, oportebat, quod scirent illas easdem aquas in sua quasi infantia obscuras fuisse: vel propter rationem aliam DEO notam.

XXXVIII. Similiter in illis tribus horis terra erat inanis, & vacua: quoniam cum nullus alius rei productionem posuerit tunc DEUS præter rerum dictarum, terra nil aliud habebat, quam suam materiam, suam formam substantialem, & proprietates illas, cum quibus ex sua natura connectitur, nec non figuram, seu præsentiam sphæricam, cum enim illam nunc habeat, ut probavi supra num. VII. non occurrit fundamentum, ut dicamus illam ab initio habuisse aliam figuram quo ad totam suam molem, quidquid sit de una, vel altera sua regione, postea verò decursu temporis evasisse rotundam; ergò erat simpliciter inanis, & vacua, non enim erat adhuc vegetabile vulgus, utpote productum die tertio; Paradysus autem terrestris, si fortè jam tunc erat plantatus à DEO, ut supra dicebam, perinde erat, ac si non esset, quia immensis illis aquis obrutus, absconditus erat, & invisus, dicit autem scriptura: *Sapientia abscondita, & thesauris invisus, quæ utilitas in utrisque.* Eccles. 42. 17. Præterea non erant metalla, non species ulla marmorum, quia hæc duo fiunt igne subterrnaneo, quem DEus sparsit per viscera terræ, ut dixi in Philosophia naturali Disp. 3. num. 22. & fiunt quidem non spatio unius diei, aut mensis, sed annorum, & annorum; Atqui in majore parte illarum trium horarum nondum forsan accenderat DEus fornaces illas subterraneas, quia licet audiamus ab Isaia: *Præparata est ab heri Isai. 30. tophet à Rege præparata, profunda, & dilatata Nutrimentum ejus ignis, & ligna Ezech. 2. multa, flatus Domini sicut torrens sulphuris succendens eam*, quo verbo *ab heri* maxima antiquitas illarum fornacium, & præsertim infernalium significari videtur; Veruntamen non erit modica antiquitas, si succensus fuit ille ignis prima die mundi, ut indicare videtur Ezechiel sic alloquens Diabolum sub typo Principis Tyri: *Foramina tua in die, qua conditus es, præparata sunt.* Hoc est carcer tuus: In die utiq; prima mundi, in qua conditi sunt Angeli, præparatus, & accensus fuit infernalis carcer, non tamen prima, aut secunda hora, sed paulo ante peccatum Angelorum, quibus primariè destinatus fuit ille ignis: *In ignem æternum, Matth. 25. qui paratus est Diabolo, & Angelis ejus,* 41. peccatum verò illud forsan non fuit commissum prima, aut secunda hora mundi, quia ut mox dicam, per tres forsan horas duravit status viæ Angelorum. Præterquamquod non est idem accendisse DEum in primo momento mundi ignes infernales, & hos illicò diffudisse sua brachia per viscera terræ, & illico disposuisse ultimo materiam, & illico fecisse metalla, & marmores: Essent namque tempore agentia naturalia, etiam potentissima ad operandum mira effecta in locis valde remotis, qualia sunt loca in quibus fiunt metalla respectu loci, in quo est infernalis ignis: Colles autem, rupes, & montes vulgares, quos initio mundi conditos fuisse, dixi ibidem num. 86. Item specus, cavernæ, voraginesque minores, puto, quod non excludantur illis verbis *inanis, & vacua*, quia licet ista multas adducant utilitates hominibus, nullum tamen speciale ornamentum importare terræ videntur; imo cum sint quasi partes integrantes fabricæ, ac figuræ globi terraquei (sicut similes inæqualitates spectant ad fabricam corporum humanorum & sicut sunt regiones illæ subterraneæ, quas ibidem explicui à capit. 1.) videntur facta eadem prima actione, quâ DEus fecit totum hunc globum terrestrem: Sicut etiam amplissi-

plissimi illi meatus subterranei, voraginesque, quibus aqua maris absorbetur (v.g. Sicula, Alexandrina, Eutlantica, Subpolaris, & similes) & diffusa per interiora terræ, sicut sanguis diffunditur per interiora nostri corporis, illam totam humectat, & quasi conglutinat: Si enim hujus globi interiora nullam prorsus habuissent humiditatem usque ad tertium diem, in quo mare fuit factum, in merum pulverem redacta fuissent; ergò congruum videtur, quod à prima sua formatione aquæ penetrarent à superficie usque ad interiora terræ in mensura, & proportione justa, ut terra formaret globum, & non esset merus aridissimus pulvis: Aliud videtur dicendum de cavernis extimis, quæ aquis oppletæ vocantur *maria*, nec non de minoribus aliis, quæ dicuntur *lacus*, & sunt maris regurgitationes quædam, eo quod aquæ marinæ pondere tum oppressæ proprio, tum superstantium aliarum aquarum, tum etiam impulsu motuum ferocium, quos mare patitur, erumpentes per occultos canales ad superficiem terræ, formant in Provinciis mediterraneis parvula quædam maria, hoc est lacus, & fluvia cum mille utilitatibus accolarum. Hæc omnia videntur esse quasi quædam appendices, & corollaria maris, & consequenter facta videntur tertia die, quando aperiens DEus in globo terræ vastissimam illam fossam cum profunditate, extensione, obliquitate, & rectitudine, quas voluit, & aquis illam implens condensatis, prout nobis erant necessariæ, & non amplius habentibus illam subtilitatem, & puritatem elementarem, quam initio habebant, formavit mare, & maris appendices.

XXXIX. Redeamus ad Systema. Continuabantur durationes, hoc est successivæ continuæ indivisibiles productiones omnium earum rerum, quas in principio creatas fuisse dixi, & eis Solis durationibus transeuntibus & consequenter transeunte solo tempore reali intrinseco æquivalente tamen, ut supra explicui, nostro huic tempori extrinseco in motu Solis consistenti, contigit, ut videtur, status viæ Angelorum, quamvis enim Theologi inter disputandum peccatum illorum, solum meminerint primum, & secundum instans, hoc ideò est, ut imaginatio contrahatur ad puncta temporis determinata; Alias moraliter certum videtur, quod illorum status vialis amplior, quam instantaneus fuerit. Tum quia licet Angeli velocissimi sint in suis operationibus, tandem sunt creaturæ, & consequenter sunt limitati, & tempore egent ad operandum. Tum quia levissimum fuisset obsequium Angelorum obedientium si non durasset nisi per unicum indivisibile instans, & protinus beatificati libertate indifferentiæ ad merendum, & peccandum spoliati fuissent, tum quia scriptura majorem moram illius vialis status insinuare videtur Quoniam Ezechiel, ubi nuper dicit Diabolo: *In deliciis Paradysi DEI fuisti, omnis lapis pretiosus* &c. & postea. *In medio lapidum ignitorum ambulasti*, hi autem loquendi modi aliquam moram indicant, quia habuisse per unicum indivisibile instans tantam felicitatem, non videtur sufficiens ad illam exprobationem adeò severam, neque ad illud *ambulasti*: Videtur ergò statum viæ Angelorum durasse illas fermè tres horas, quæ fuerunt ante primam productionem lucis, seperationisque à tenebris. In eo intermedio contigit internum obsequium bonorum, & interna rebellio malorum, quoniam ut scribit Joannes: *Ab initio Diabolus peccat*; sed illud *ab initio* nequit significare primum instans mundi, in quo fuit creatus Diabolus: Quia ut modo dicebam, status viæ habuit amplio- rem durationem, quam unicum indivisibile instans. Rursus necesse non est, quod extendatur ad tempus posterius ad primam creationem lucis, sicut in aliis locis scripturæ solet extendi ad significandum tempus post initium; ergò internum illud peccatum contigit in dicto illo intermedio: Contigit etiam, prodeuntibus foras obedientia bonorum Angelorum, & inobedientia alterorum, prælium illud mere intellectuale, quod, vel cujus imaginem meminit Joannes, & cujus

1. Jo. 3.

Apocal. 12. 7.

materiam expoſui Diſp. 4. Philoſoph. natur. n.158. Contigit tunc beatificatio illorum,& damnatio horum,præcipitatioque *rudentibus inferni detractorum*, ut loquitur S. Petrus ad Carceres infimos mundi (qui tunc videntur accenſi juxta Iſaiam paulò ante citatum) ex aula illa Empyrea, ubi fuerant creati, ut ſupra dixi ex Beda. Hocque inſinuat Joannes inquiens: *Neque locus inventus eſt eorum amplius in cœlo*; & conſonat S. Judas inquiens etiam: *Angelos verò, qui non ſervaverunt ſuum principatum, ſed dereliquerunt ſuum domicilium*: Dicens autem *ſuum domicilium*, inſinuare videtur, quod cœlum eatenus erat domicilium eorum, quatenus in eo fuerunt creati; non enim apparet congruum, quod alibi creati v.g. in aquis, vel in terra, ſiquidem in ea prima die mundi non erat aliud *alibi*, introducerentur in Empyreum ibi peccaturi, quamvis peccatum hoc nullam aſperſurum foret maculam phyſicam, aut moralem, ſacro illi loco. Imo ipſe Dominus videtur docere creationem Angelorum in Empyreo, inquiens: Videbam Satanam, ſicut fulgur de cœlo cadentem: ubi nequit intelligi cœlum hoc aereum, aut ſtellatum, aut ſuperius illud cryſtallinum, quippe nullum ex his fuit factum prima illa die mundi, ut conſtat; cum tamen prima ille die, hoc eſt: *Ab initio Diabolus peccaverit*, & hic Chriſtum loqui de primo lapſu Diaboli, major Doctorum pars affirmat, ut fatetur ipſe Maldonato oppoſitum docens: Veroſimilius ergò eſt, Angelos fuiſſe creatos in Empyreo, & in hoc ſenſu dixit Beda ſupra laudatus, hoc ſtatim à prima ſua creatione repletum fuiſſe ſanctis Angelis, omnes quippe tunc erant ſancti, non aliunde introductis, ſed ibi repente productis. Ex hoc præcipitio in infernum,reſervati videntur illi qui propter minorem culpam, vel propter alios fines divinæ providentiæ permittuntur vagari per terram, per aquas, per aerem, donec in fine mundi abſorbeantur ab inferno cum duce, quem ſecuti ſunt. atque ideo forſan, quando etiam permittebantur illudere generi humano ſub deaſtrorum, & deaſtrarum nominibus, cogebantur oſtendere hominibus ipſis metum inferni, in quem tandem præcipitandi erant, & horrorem, quem de illo alte ſibi infixum habebant. Vnde in ore Iovis poſuit ille, volentis perterrefacere ſuum conciliabulum juramentum hoc. *Perpice torrentes, atraque voragine ripas* &c. Et alibi loquens de ſtygia palude: *Dii, cujus jurare timent, & fallere Numen* &c. quoniam nec in ipſa fruitione ementitæ ſuæ divinitatis diſſimulare poterant pavorem,quo propter infernum imminentem torquebantur.

2. Petr. cap. 2.

Apocal.ibid.

Judas Epiſt. v. 16.

Luc. 10.

Moldonat. in 10. Luc.

XL. Tunc etiam forſan coacti ſunt geſtare circumdata ſibi corpora ſubtiliſſima, non tanquam conſtitutiva phyſica ſua, aut eo modo, quo homo conſtituitur corpore & anima; ſed tanquam dedecus & ignominiam ſibi ab extrinſeco affixam: & eo modo, quo fugitiva mancipia coguntur alicubi portare ſecum infamem aliquam notam, non utique tanquam phyſicum conſtitutivum ſuæ eſſentiæ, ſed tanquam extrinſecam infamiam v.g. furcam affixam, vel infixam fronti; & ſicut hi homines vocabuntur *Furciferi*, ita diaboli in hoc ſenſu vocari poſſunt corporei: ſed de hoc quæſtionem inſtituam poſtea. Tunc etiam potuerunt incipere ignes ſubterranei, qui ſub terra & mari ſparſi ſunt, quia tunc incæpit vivaciſſima illorum radix, nempe ignis infernalis; Tunc prima fuerunt lineamenta fabricæ marmorum & metallorum, quorum magna cauſa eſt ſubterraneus ignis. Tunc etiam ignis, ſive carcer purgatorius, & apertus eſt ille carcer pro juſtis non omnino puris, qui non poſt multos annos morituri erant: veriſimile namque eſt aliquos filios Adæ, & aliquos etiam filios ſubſequentium Patriarcharum, mortuos fuiſſe in gratia, & ſimul cum aliquo reatu pœnæ. Tunc item apertus ille alius carcer, ut ita dicam, honorarius pro animabus juſtis ibi detinendis, donec Redemptor ad ipſas liberandas deſcenderet. Tunc ita combinavit Deus ignes ſubterraneos, eorum pabulum, exitus & caminos, ut cum futurorum peccatorum præſcius eſſet, in tali determinato tempore,

Genes. 1.

pore, loco, & circumstantiis furiosè æstuarent, concuterent terram & tales ac tales individuos homines deglutirent, aliquid simile experimur in hominibus cuniculos militares disponentibus, & in vectoribus horologiorum, qui initio diei ita temperant pondera, combinant rotas, & regulant motus, ut tali determinato tempore horologium edat unum numerum, & non alium, & postea alium determinatum numerum & non alium, quin necesse sit, quod pro singulis his sonis Magister ipse horologii specialiter moveat illud. Ratio autem propter quam videtur hæc omnia tunc facta fuisse, id est versus finem illarum trium horarum, saltem priusquam lux produceretur, est: Hæc omnia, licet alias possent esse in globo terraqueo, & forsan essent ad alios fines providentiæ, at defacto videntur trahere originem ex maximo illo, & concentrali igne inferni damnatorum, qui ramos & brachia extendens per semitas internas globi terraquei ipsi à DEo præscriptas, inducit effectus prorsus miros, & heterogeneos, tum in visceribus, tum in superficie hujus globi. Rursus hic ignis materialis, & sua vorago facta sunt propter peccatum Angelorum, *qui paratus est diabolo* &c. Hoc peccatum commissum, & consumatum est ab illis dum erant in statu viæ. Hic status videtur fuisse, ut dicebam in illis tribus horis inter primam productionem mundi, & primam creationem lucis: quoniam aliquando fuit status ille. & non apparet aliud tempus, in quo fuerit, nisi illud; quod sane fuit tempus reale intrinsecum, & imaginarium extrinsecum juxta doctrinam Cap. 2. Et favet sensus allegoricus illorum verborum, *facta est lux. Et vidit DEus lucem quod esset bona, & divisit lucem à tenebris.* Hoc est transacto certo quodam tempore tenebrarum materialium, quod propter rationem supra datam, videtur fuisse horarum trium, *facta est lux* materialis in Empyreo, & lux supernaturalis in Angelis obsequentibus, nempe lumen gloriæ, qui merito dicuntur Angeli lucis, quatenus dato eis lumine gloriæ cæperunt intueri DEum in præmium suæ obedientiæ, *& vidit DEus lucem* (tum illam materialem diffusam per cœlum, tum supernaturalem donatam cœlicolis) *quod esset bona, & divisit illam à tenebris*, tum materialibus, quales sunt carentia lucis materialis, tum spiritualibus, quales sunt Diaboli, qui jure dicuntur Angeli tenebrarum: divisio autem hæc fuit beatificatio illorum, & præcipitatio horum. Jam notaveris me non asserere absolute hæc ita evenisse: unde enim certo constat? sed ita potuisse evenire attenta providentia præsente & verisimile esse ita evenisse.

Gener. 1.

XLI. Postquam igitur tot transierunt indivisibiles, successivæ ac continuæ productiones prædictarum rerum, quot modo transeunt à sole meridiano in æquatore, (sphæra recta videtur magis opportuna ad hunc calculum, quam obliqua, & Sol, ut infra dicam productus fuit in æquatore) usque ad Solem vespertinum, scilicet usque ad horam tertiam pomeridianam, qua incipit vesper, & quæ ab Hæbræis dicebatur hora nona, & de qua præeunte diei Sabbati dicit Lucas, *Sabbatum illucescebat* quippe Hæbræa festa, è quorum numero erat illud Sabbatum, incipiebant à vespera; & de qua dicebant illi duo discipuli: *advesperascit & inclinata est jam dies.* Et consequenter postquam transieruut tres horæ *imaginariæ* secundum tempus extrinsecum, nempe secundum motum Solis, qui tunc non erat, sed proxime futurus erat; *reales* vero, & *physicæ* secundum tempus intrinsecum quod, ut dixi est virtualiter extrinsecum in ordine ad hos computus. Et demum postquam exactis Angelis rebellibus mundatum est empyreum ab illa fæce. Tunc inquã produxit DEus lucem, & contigit, quod DEus dixit Job. *cum me laudarent simul astra matutina, & jubilarent omnes filii DEI.* Sancti enim Angeli, qui propter suam celsitudinem vocantur *astra*, & quia producti summo mane id est initio primi diei mundi vocantur *matutina*, & propter suum obsequium erga DEum & erga Christum ejus (qui forte fuit materia illius controversiæ, ut exposui in Philosophia naturali Disp. 4. num.

Luc. 23. 54.

Idem 24. 29

Job. 38.

num. 158.) dicuntur Filii DEI cæperunt tunc laudare DEum, & jubilare propter judicium, quod tunc fecerat misericorditer conservando ipsos, & severe plectendo alteros, ut in simili dicit Joannes. *Audivi vocem magnam in cœlo dicentem: Nunc facta est salus, & virtus, & regnum DEI nostri, & potestas Christi ejus, quia projectus est accusator* &c. quod autem primam illam lucem produxerit DEus tempore vespertino, ut dicebam supra numero 23. videtur certum: quia produxit illam DEus eo tempore, à quo semper incipit Scriptura computare & numerare dies; sed incipit semper à vespere, inquiens. *Factum est vespere & mane dies* &c. cum alias connaturalius esset dicere, mane & vespere; ergo innuere videtur initium illius diei fuisse vesperem, nempe quia initium quoque reparationis mundi futurum erat vespere, quia hora nona; id est tertia pomeridiana, moriturus erat Christus & soluturus pretium pro humana salute, ut infra exponam; ergo vespere, qui talis fuit, qualem supra explicui: produxit DEus primam illam lucem. *Primo* utique illam tunc produxit, quatenus produxit illam actione D v.g., cum potuisset producere illam actione A, aut B aut D essentialiter prioribus in serie sive linea actionum indivisibilium successivarum cuilibet creaturæ permanenti respondente; & cum potuisset etiam non producere illam actione D, sed actione E aut F, essentialiter posteribus in illa eadem serie actionum, successivarum. Recole, quæ dixi supra num. 17.

Apocalips. 12. 10.

CAPUT IV.

De Operibus in singulari primi Diei.

XLII. HActenus locutus fui in generali, uno vel altero singulari excepto: Modò disputare oportet res illas in particulari, quas DEum fecisse primo die mundi constat ex capite primo Geneseos, & ex aliis principiis probabiliter inferuntur juxta nuper dicta: Opera primi Diei fuerunt cœlum, Angeli, terra, aqua, & lux. Hanc disputavi supra à num. 23. & nunc etiam redivi ad illam. De terra, & aqua egi Disp. 3. Philosophiæ naturalis: De Angelis supra num. 39. Igitur restat cœlum, de quo dico. Cœlum primo die factum, non fuit stellarum hoc, quod cernimus quotidiè, quodque vulgo *Firmamentum* dicitur quoniam hoc factum fuit die secundo. *Dixitque DEus fiat Firmamentum in medio aquarum* &c. & postea: *vocavitque DEus Firmamentum cœlum, factumque est vespere & mane dies secundus*: quod autem hoc cœlum, sive Firmamentum non sit hæc aërea regio, per quam volucres vagantur, & nubes, ut Perer interpretatur, videtur certum: nam in eodem capite scribit Moyses. *Dixit autem DEus, fiant luminaria in firmamento cœli*, item: *ut luceant in firmamento cœli*: item de stellis. *Posuit eas in firmamento cœli*; ergo Moyses vocat *firmamentum* regionem illam in qua sunt & lucent stellæ fixæ atque planetæ, hoc est, vocat *firmamentum* immensum illud expansum, quod est inter superficiem concavam stellarum & connexam perigæi Lunæ. At vastissima illa regio non est aërea hæc nostra, sed longe elevatior ut constat: ergo id, quod Moyses vocat *firmamentum* non est aërea hæc nostra, sed æther ille purissimus (quamvis halitibus, & exhalationibus Planetarum, & Stellarum abundans, sicut hic noster aër refertus est habitibus vaporibus, & exhalationibus globi terraquei) qui forsan est purius elementum aëris: non enim totus æther est refertus halitibus utrarumque stellarum, sed partes hisviciniores, sive harum vortices, in quibus solis videri solent phænomena, quæ fundamentum præbuere ad dicendum corpora illa syderea mittere ex se halitus, fuligines, exhalationes atque fumos, sicut mittit etiam hic globus terraqueus, quando sunt nubes, aut cometæ elementares. Dicere autem Moysem in uno, eodenque capite historico usum fuisse una, eademque voce *firmamentum* in significationibus adeò diversis ut jam significet aëream hanc nostram regionem jam ætheream illam sublimem, in qua DEus accendit luminaria cœlestia, est dicere, Moysen scri-

Genes. 1.

Baruc. 3. 2.

Psalm. 123.

scripsisse historiam de creatione mundi, nolendo, quod illa intelligeretur ab eis, quibus scribebat; & esset dicere, rem aliquando sanè usitatam in Scriptura, ut jam notavi, & quæ in præsenti valeret, si speciale produceretur à Pererio argumentum positivum ad dandum in præsenti eidem verbo in eodem capite historico tam diversas significationes: cum autem non aliunde moveatur ad hanc interpretationem, ad quærendumque exempla, quibus illam mitiget, nisi ex eo, quod non vult admittere aquas elementares supra stellas, quas nihilominus aquas passim admittunt Ecclesiastici Doctores, ideò illi non assentior.

XLIII. Itaque cœlum, quod DEUS produxit prima die fuit cœlum cœli, sive cœlum empyreum, quod unde unde circumdat cœlum stellatum, sicut hoc circumdat nos. De illo sit prima conclusio. Cœlum empyreum latet nos quoad specificam suam quidditatem, & qualitatem. Probabile est nunquam nec per unicum instans fuisse creaturis vacuum. Distat à stellis fixis quinquaginta saltem terræ semidiametris, à nobis autem fere immensè: qua non obstante distantia in momento possunt illinc descendere Angeli ad nos sine miraculo, imo & sacrosanctum corpus Christi Domini suppositа sua agilitate: non accipit lumen ab hoc nostro Sole, fulgidum tamen, & corruscum est, tum propter splendorem, quem ex se mittunt corpora gloriosa, quæ jam ibi sunt, tum propter lucem illam primitivam, quam initio sparsit DEus per illud. Probabilius est fuisse conditum sub figura sphærica, non vero quadrata, aut pyramidali instar tentorii, unde amplitudo illius vix à nobis apprehendi potest, meritoque illi applicatur ea vox. *O Israel, quam magna est domus DEI, & ingens locus possessionis ejus!* atq; de illo dignè dicitur: *Cœlum cœli Domino, terram autem dedit filiis hominum.* Factum fuit simpliciter ex nihilo, non utique in sensu positivo, sed in sensu merè negativo. Unde non est ex ullo nostrorum quatuor elementorum. DEus non est extra ambitum illius, quin propterea sit circumscriptus, aut definat esse immensus. Illud cœlum est sedes propria DEI, quamvis hic ubilibet est physicè, ac realiter præsens non minus quam nos præsentes sumus ubi sumus præsentes. Totam hanc conclusionem præter ultimam partem, dedi & probavi quoad singula sua membra Disp. 4. Philosophiæ naturalis à cap. 6. ultimam partem de præsentia physica, & reali DEI ubilibet, seu de indistantia locali DEI ab ulla creatura, seu, quod idem est, nil prorsus mediare quoad locum inter DEum & ullam creaturam existentem adjungo: quia licet S. Thomas loquens in genere *de esse in rebus secundum substantiam vel essentiam*, explicet illud per *esse in loco, in quo ejus substantia habetur*, contrahens postea hanc generalitatem ad DEum, inquit. *Est in omnibus per essentiam in quantum adest omnibus, ut causa essendi, ut dictum est.* Hæc autem ratio, sive explicatio ut bene notat Suarez, non probat directè (& juxta Scotum, nec indirectè, aut à posteriori) ac per se DEum esse physicè, ac realiter in omni loco, quia esse causam essendi non est immensitatis, sed omnipotentiæ ac providentiæ.

Baruc. 3. 24.

Psalm. 113.

1. p. q. 8 art 3.

P. Suarez. Lib. 2. de Attrib. cap. 2. num 4. Scotus in 2. dist. 2. q. 5.

XLIV. Probo itaque ultimam eam partem. De fide est DEum esse immensum: constat ex Symbolo Athanasii: *immensus Pater, immensus Filius* &c. Item ex Salomone sic orante: *cœlum, & cœli cœlorum non te capiunt* &c. non sane, quasi DEus instar amnis v.g. redundet actu physicè supra, vel extra empyreum, sed quia, sicut non est actu physicè in aliis mundis, qui non sunt actu physicè, sed duntaxat possunt esse, ita non est actu physicè supra, vel extra empyreum, quippe non est verè ac realiter tale *supra* aut tale *extra*. Omnis quippe locus, omne spatium actu existens, continetur intra ambitum empyrei, & sicut nil hujus chartæ est extra hanc chartam, ita nil loci, spatii, aut ubicationis est extra, supra, aut infra omnem locum defacto existentem, esse autem *in, extra*, aut *supra* est terminus copulativus, significans actualem existentiam rei, & etiam illius loci, aut spatii, quod connotat illud

2. Paralip. 16.

in, illud *extra*, illud *supra*. Dicitur ergò empyreum non capere DEUM, quatenus hic ex se, inspectaque sua immensitate capax est essendi actu physicè in aliis mundis distinctis ab hoc, si mundi illi existerent actu physicè, imo necessario existeret tunc in illis. Sicut etiam dicimus creaturas actu existentes non exhaurire, aut circumscribere omnipotentiam, non quia hæc producat quidquam ultra creaturas, quæ sunt, fuerunt, & erunt, sed quia capax est producendi infinitas alias. Constat enim immensitas DEI ex Jeremia per quem dixit DEus. *Cœlum, & terram ego impleo*: Constat ex suo amanuensi Baruc. *Immensus est, & non habet finem*, scilicet ex se, & quatenus est ex se; sicut etiam omnipotentia non habet finem, sive terminum, quamvis per accidens ac quia DEus ipse vult, terminum habent, seu finem (id est numerum finitum) creaturæ, quas omnipotentia producit; sic immensitas dicitur non habere finem, (localem utique, quia perspicuum est non habere finem temporalem, cum sit æterna) quia ex se capax est DEus, ut esset in infinitis mundis. Constat ex Metaphora, quâ utitur DEus per Esaiam. *Cœlum sedes mea est, & terra scabellum pedum meorum.* Constat demum exDavide dicente ad DEUM. *Si ascendero in cœlum, tu illic es, si descendero in infernum ades, si sumpsero* &c. Aliqui addunt verba illa libri Josuæ: *Ipse est DEus in cœlo sursum, & in terra deorsum*: Sed quanquam hoc sit omninò verum; ast verba illa, ut prolata ab ea fœmina, non videntur habere canonicam authoritatem, quia non constat illam fruitam jam tunc fuisse hac authoritate. Refert discernere inter illa, quæ dicit Scriptura, & illa, quæ ut dicta ab aliis, narrat: quam diversitatem, si aliqui meminissent, non ita facilè citarent, ut Canonicum illud, quod, ut dictum ab aliis refert Joañes: *Quia Joannes quidem signum fecit nullum.*

Jerem. 23. *Baruc. 3.* *Isai. 66.* *Psalm 138.* *Josue 2, 11.* *Joan. 10, 41.*

XLV. Fide ergò sancitum est, DEUM esse ubique, esse immensum, esse in omni loco, quamobrem jure scripsit Augustinus de sceleratis: *Nesciunt, quod ubique sis, quem nullus circumscribit locus*, nempe *quem* inspectum secundum tuam capacitatem, & determinationem subjectivè absolutam, ac terminativè conditionatam ad existendum in quocunque loco, ex hypothesi, quod talis locus sit, quia licet per accidens, & in actu secundo, ut dixi quasi circumscriptus sit DEUS quoad locum cœlo empyreo, eò quia verè non est extra illud, cum ipse DEus noluerit esse in rebus tale *extra*, cum voluerit omnem locum, omnemq; spatium defacto existens finire empyreo; extra illud tamen foret, si voluisset esse in rebus tale *extra*, imo in infinitis aliis mundis, si voluisset illos existere in rebus. Vide Suarez. Tunc P. Suar. sic: Ergò vel DEus est immensus, & ubique præsens, præcisè quatenus omnia intuetur, & sic dicitur omnibus rebus præsens in eo sensu, in quo dixit Elisæus Ministro suo: *Nonnè cor meum in præsenti erat, quando reversus est homo.* Et hoc est confundere immensitatem, & ubiquitatem cum sapientia: & quamvis mente præscinderemus ab immensitate, poteramus apprehendere DEUM intuentem ex alto suo cœlo omnia, quæ contingunt in hoc nostro infimo mundo, sicut Elisæus ex cellula sua intuebatur quæ cum Naamam negotiabatur Giezi, licet non esset verè ac realiter in loco, in quo hi confabulabantur. Vel est ubique præsens præcisè, quatenus ubique dominatur, regitque creaturas. Et hoc est confundere immensitatem cum omnipotentia, & providentia; nam sicut magnæ mentis Rex ex suo conclavi moderatur totum suum regnum, quin sit physicè, ac realiter præsens, sed verè ac physicè distans localiter à plurimis partibus illius; ita poteramus apprehendere DEum cuncta moderantem, quamvis reclusus degeret in sola sua Aula cœlesti, & quamvis physicè distaret à nobis quo ad locum: vel est denique ubique præsens, præcisè quatenus ubique operatur, & conservat creaturas. Et hoc non videtur sufficiens, quia licet ad hoc ut agens operetur sit necessaria proportionata propinquitas ad passum, atque ad locum, in quo producitur effectus, ast neque est necessarium,

sarium, quod physicè sit in eodem loco, in quo est passum neque quod sit in eodem loco, in quo est effectus, cum sufficiat, quod his contiguum sit, imo neque semper requiritur hæc ipsa contiguitas, cum sufficiat, passum, atque effectum contineri intra sphæram, ad quam extenditur activitas agentis. Certè corpus Solis neque est in eodem loco, in quo nos sumus, neque est nobis contiguum, sed multis milliarium millionibus à nobis distat localiter, & tamen solet benè operari in nobis.

XLVI. Restat ergò, quod si DEus verè, ac simpliciter est immensus, ut verè est; si revera est ubique præsens nonsolum per præsentiam, & potentiam, verum etiam per essentiam, & revera est, sit verè ac realiter in omni loco, non minus quam nos sumus in loco, in quo sumus; Ita ut DEus à nullo penitus distet localiter, seu respectu nullius ita se habeat, ut inter ipsum DEum, & illud mediet quidpiam: neque frivolæ, atque minus decentes sequelæ quædam debent movere virum Theologum (quidquid sit de scurris,) ab hac veritate. Incapax quippe est non solum DEus, sed etiam purus quilibet Spiritus, ut quidquam sordium contrahat ex corpore, cum quo penetratur. Quamobrem sicut anima nostra (*sic, parvis componere magna solebam*, ajo cum illo rustico) physicè, ac realiter est intimè penetrata cum singulis partibus corporis viventibus, non solum quatenus in illis operatur, sed insuper quatenus verè, ac realiter est physicè in eisdem locis, in quibus illæ sunt, quin ab ipsis distet localiter, nisi sermo sit de Anima reduplicativè, ut existente in partibus aliis ejusdem corporis. Sic DEus verè, physicè, realiter ac simpliciter est præsens in singulis locis hujus mundi, non solum per præsentiam, quatenus ipsos moderatur, nec solum per essentiam, ac substantiam, quatenus omnibus dat esse; verum etiam in omnibus est per essentiam, & substantiam, quatenus cum singulis intimè penetratur, & à nullo loco distat, ita ut inter ipsum locum, aut inter creaturam ibi existentem, & DEUM nil prorsus mediare possit. Aliter enim non videtur salvari posse attributum immensitatis, & ubiquitatis, ut distinctum formaliter quo ad nostram intelligentiam, modumque humanum loquendi, ab attributis Sapientiæ, Providentiæ, ac Omnipotentiæ.

Virg. Eclog. 1.

XLVII. Secunda Conclusio de cœlo empyreo. Incolæ, qui modo sunt in illo, sunt valdè hætherogenei non tantum physicè, verum etiam moraliter: Quod non tollit, homines aliquos adlectos esse jam in hunc, jam in illum Chorum, jam hujus, jam illius Hierarchiæ, non quoad esse physicum, quia hæc Metamorphosis est impossibilis, sed quoad esse supernaturale gratiæ, & gloriæ tum essentialis, tum accidentalis, cujus capax est humana natura: Multi ex felicibus eis incolis adepti sunt felicitatem illam titulo solius hæreditatis, plurimi ratione hujus, & insuper ratione meritorum, unde fruuntur gloria, ut corona etiam, nulli autem deficiente utroque hoc titulo: Subsistit tamen, nullam omninò creaturam esse ibi independenter ab omni merito, & omnes ibi esse propter rationem ultimo resolvendam in misericordiam Divinam, quod non tollit ibi exerceri quoque justitiam distributivam juxta inæqualitatem personalium meritorum, ita ut vel ipsa humanitas sacrosancta Christi Domini, Beatissimaque Mater specificativè sumptæ, & reliqui omnes, sive Angeli, sive homines, carere potuerint in æternum illa felicitate, succedentibus in locum ipsorum his, qui modò sunt damnati. Sed non propterea DEus est acceptor Personarum. Hanc etiam conclusionem totam, excepta ultima parte dedi in Philosophia naturali Disp. 4. à num. 145. Probo ultimam illam partem: Qualitas ac ceptandi Personas toties negata DEO in Scriptura, stat in eo, quod in rebus aliunde debitis, præsertim ex justitia, attendatur motivum distinctum à meritis; vel in eo, quod uni trahantur ad regnum cœlorum, eo quia sunt ex tali, aut tali, aut tali gente, sexu, vel condi-

Actor. 10. 34. ad Rom. 10. 11. ad Galat. 3. 28.

conditione; alii verò rejiciantur, eo, quia sunt ex alia. Constat hoc ex subjecta materia, de qua est sermo in scripturis, in quibus negatur DEum esse acceptatorem Personarum: At ex eo, quod Prædestinatio tandem resolvatur in puram misericordiam, & judicium DEI, neutrum ex his duobus sequitur in DEO, cum solum propter sua inscrutabilia judicia, quæ scrutari non licet nobis, & propter solas suas vias investigabiles, quas vestigare non debemus, eligat unos in una vasa misericordiæ, & honoris, & abjiciat alios in vasa iræ, & ignominiæ, lege cap. 9. Epistolæ ad Romanos: Quamobrem cum ex una parte, *Prædestinatio Sanctorum* nil aliud sit, juxta Augustinum, quem meritò sequuntur Theologi, quam *Præscientia, scilicet, & præparatio beneficiorum DEI, quibus certissimè liberantur quicunque liberantur.* (Prædestinationem quippe aliam prorsus antecedentem, quâ DEus independenter à præscientia conditionata de meritis eliciendis ab homine, non quidem solis suis viribus, sed ut prævento, ut adjuto, ut confortato per interiorem Spiritus Sancti gratiam, statuat efficaciter dare illi gloriam, ut coronam, non agnosco: quia homini adimeret libertatem indifferentiæ, siquidem esset omninò connexa metaphysicè absolutè, ac determinate cum meritis, & simul inevitabilis prorsus ipsi homini.) Et cum ex alia parte hæc beneficia, si loquamur de Prædestinatis adultis, tandem reducantur ad ultimum illud auxilium efficax, quod DEus largitur suis amicis in ultima periodo vitæ rationalis; ut vel recuperent amissam sanctitatem, vel habitam conservent: Siquidem ex eo momento pendet æternitas, & multi, qui piè vixerunt, tandem perierunt in portu, & alii qui impiè vixerant, salvi facti sunt.

S. Aug. de Dono Persev. cap. 14.

XLVIII. Et cum insuper hoc ultimum auxilium (in cujus collatione stat donum perseverantiæ, & in cujus decreto collativo stat Prædestinatio ad gloriam juxta Augustinum) *quamvis suppliciter emereri possit*, ut loquitur idem Doctor nemini tamen sit debitum, sive Angelo, sive puro homini: Indè est, quod licet neget illud unis, & illud concedat aliis ob sua inscrutabilia judicia, & vias investigabiles, quas dignemur ignorare cum Augustino, ut ipse poscit, non propterea evadit acceptor Personarum in sensu dicto: Sicut nec quando ità combinat causas naturales, aut liberas ut parvulus infidelium moriatur cum Baptismo, & sine illo parvulus fidelium, quem casum frequenter urget Augustinus. Restat igitur credere, quod in hac discretione cujus causæ nos fugiunt: *Non est iniquitas apud DEUM*, & quod revereamur dicentem: *O homo tu quis es, qui respondeas DEO? numquid dicit figmentum ei, qui se finxit, quare fic me feciſti? An non habet potestatem figulus ex eadem facere massa?* &c. Et quod meminerimus Filium DEI sic loquentem nomine Patrisfamilias: *Non licet mihi, quod volo facere? An oculus tuus nequam est, quia ego bonus sum!* Pura itaque gratia, & misericordia DEI est absque Personarum acceptione hæc discretio respectu illius, quem DEus discernit à communis proditionis massa: Et in hoc sensu gloria ipsa, quo legitimè certantibus datur, ut corona *secundum Opera eorum*, est etiam gratia; scriptum est enim, quod accipimus *Gratiam pro gratia*, ut notavit idem S Doctor, quem legere ne graveris: hoc est *pro meritis*, quæ profectò sunt dona, & gratia DEI, accipimus *gloriam*, quæ est etiam gratia, cum tandem resolvatur in gratiam, & misericordiam DEi, titulus, & ratio fruendi gloria. Porrò modum, & & systema, quo fit hæc mysteriosa discretio juxta antiquas, & modernas definitiones Ecclesiæ, insinuavi sufficienter Disput. illa 4. Philosoph. natural. à num. 148. & sequent.

Idem cap. 10 de Prædest.

Idem cap. 6. de Dono Persev.

XLIX. Tertia Conclusio de cœlo empyreo: Homines, qui cœlum illud habitant, cum non sint statuæ mutæ colloquuntur inter se verbis humanis, & probabile est, quod lingua Hebræa. Animæ item sermocinantur inter se, & cum Angelis, nec non hi inter se, ac cum illis, producendo in se ipsis solis, vel in eis, quos alloquuntur, tametsi

hi

hi ordinis sint superioris, vel in utrisque, nempe in se, & in illis signa, sive accidentia entitativè spiritualia distincta ab illis actibus, qui vocantur secreta cordis. His namque duobus, aut tribus modis salvatur sufficienter, quod unus Spiritus manifestet aliis, quæ huic manifestare voluerit, & quod Spiritum loquentem non audire possit ille, qui audire noluerit. Et quod in Empyreo sint multa idiomata spiritualia, ut re ipsa sunt, quæ inferiores Beati, sive homines, sive Angeli sint, non capiunt ex se: Unde in concursu multorum Angelorum potest Cherubinus v.g. loqui cum alio Cherubino, quin rem intelligant alii Angeli inferiores ibi præsentes. Princeps, & Antesignanus totius illius sacræ Reipublicæ post Christum Dominum & B. Matrem est S. Michaël, quamvis ex sua natura sit merus, & simplex Archangelus, longéque inferior quoad naturalia multis millibus aliorum Angelorum. Hic videtur egisse ex Rubo cum Moyse de Libertate Hebræorum, & dedisse his legem nomine DEI in monte Sina, & præfuisse toti illi Ecclesiæ. Caput autem absolutè, ac simpliciter totius illius Reipublicæ est JEsus Christus Dominus noster, nonsolum quatenus DEus, sed etiam quatenus homo, propter ejus namq; merita est ibi quæcunque creatura ibi est. Totam hanc conclusionem dedi, explicui, & probavi in Philosoph. natur. Disp. 4. num. 152. & seqq. Et hactenus de operibus primi Diei cum suis Appendicibus.

CAPUT V.

De Operibus secundi Diei.

L. DUo insignia fuere: Nimirum cœlum *chrystallinum*, sive aqueum, & *firmamentum*, sive cœlum hoc stellatum, quod quotidiè suspicimus, quamvis tunc absque stellis, quia hæ productæ fuerunt die quarto, ut dicit Scriptura (illud verò cœlum, quod vocant *primum mobile*, neque ex Scriptura constat, neque ratione naturali, ut expono & probo in Philosoph. natur. Disp. 4. num. 129. & seq. de quo infra redibit iterum sermo.) Ambo constare videntur ex scriptura ajente: *Fecit DEus firmamentum* (en cœlum, quod stellatum dicimus, quodque undecumque cingitur empyreo, tamquam suo cœlo, sicut nos undecumq; cingimur firmamento ipso tamquam cœlo nostro, ac proinde empyreum vocatur in Scriptura cœlum cœli:) *Genes. 1.* *Divisitque aquas, quæ erant sub firmamento, ab his, quæ erant super firmamentum.* Molem hanc aquarum super firmamentum dicimus cœlum chrystallinum, sive aqueum, non quia sint densæ, solidæ, atque induratæ instar chrystalli, de hoc quippe non constat; sed quia sicut chrystallus fit ex aqua, ita purissima illa ingens moles formata fuit ex elementaribus aquis, ac propter suam tersitatem, puritatemque vocari potest chrystallus, quod si vox hæc Metaphorica tibi non probetur, ego non multum contradicam, & cœlum illud appellabo simpliciter aqueum. Rursus non dicitur factum secundo die quoad substantiam, seu quoad entitatem, quatenus die secundo fecerit DEus aquas illas: factæ quippe fuerunt prima die, sicut cæteræ omnes; sed quatenus secunda die conglobatæ fuerunt inter se permanenter, atque stabiliter, segregatæque per interpositionem firmamenti ab aquis inferioribus, quæ cum non essent permansuræ stabiliter unitæ inter se, quinimmo mox tertia die dissipandæ. *Congregentur aquæ, quæ sub cœlo sunt in unum locum, & appareat arida,* admiscendæque, atque impinguandæ prout necessitas humana postulabat, halitibus, spiritibus, exhalationibus, innumerisque attomis, seu corpusculis aliorum elementorum, & mixtorum, per quæ continuè transituræ erant; Idcircò non possunt vocari cœlum. Exponamus ergo singillatim unumquodque ex his duobus Operibus. *Genes. 1.* *Ibidem.*

§. Primus.

De Cœlo Chrystallino, hoc est de aquis supercœlestibus.

LI. DIco primo. Post cœlum empyreum formavit DEUS secundo die cœlum chrystallinum; verè

enim sunt supra hoc cœlum nostrum stellatum aquæ purissimæ Elementares sine ulla violentia, periculove cadendi supra nos. Sunt valdè diversæ quoad accidentia, secus quoad substantiam à nostratibus: Diameter, seu crassities tota illius cœli tanta est juxta Scripturam, si Spiritus ille, qui ferebatur super aquas non erat aër, sed Spiritus ipse Sanctus, quanta est distantia ab hujus terræ superficiè usq; ad Perigæum lunæ, id est tantũ loci occupant illæ aquæ per directum quantũ per directum occuparent fere 25. globi terraquei, si uni ponerentur super alios; verumtamen multitudo aquarum illarum, seu magnitudo illius cœli est incomparabiliter major, quam regio inter superficiem terræ, & perigæum lunæ. Fructus, & usus aquarum illarum potest esse mitigare, ac castigare ardorem multarum stellarum, igneæ, ac solaris naturæ, quas veluti tot soles sparsit DEus per firmamentum, ad illuminandum, & tepefaciendum vastissimas illas regiones, ad quas parum, vel nil lucis, ac caloris pervenit, ex hoc nostro Sole. Totam hanc conclusiionem explicatam, & probatam invenies in Philosoph. natural. Disp. 4. num. 133. & seqq. Unum non est ibi disputatum, videlicet magnitudinem illarum aquarum supercœlestium esse incomparabiliter majorem regione totâ diffusâ inter superficiem terræ, & perigæum hoc est infimam partem lunæ, sive ætheris, per quem hæc gyrat. Sed est res clara; quoniam licet Diameter hujus Regionis æqualis sit Diametro cœli chrystallini, ast hujus ambitus est sine comparatione major ambitu toto aëreæ Regionis, siquidem undique complectitur totum firmamentum, quod complectitur Regiones Planetarum; quæ Regiones undique cingunt regionem aëream.

LII. Dico secundo. Sicut non est improbabile, quod magna pars ignium, quibus hic mundus inferior conflagraturus est ante diem judicii, ruat ex syderibus nos modo circumeuntibus, quæ tamquam phyalæ, seu calices iræ DEI effundent tunc super terram intimos ignes, quos intra viscera quasi videmus inesse illis v. g. Soli, Marti, Cordi Scorpionis, Spicæ Virginis, Syrio, Capellæ, & similibus, ita non est improbabile, quod magna portio dictarum aquarum supercœlestium, quæ spatio quatuor horarum paulo plus, potuerunt absque miraculo, suive corruptione pervenire ad terram, fuerit magna pars diluvii universalis, quo genus totum humanum Solis novem exceptis personis (nempe Henoch & illis octo quas meminit Petrus) submersum fuit. Ægrè namque potuit aliunde extrahi tanta copia aquarum quæ undequaque Cingentes globum hunc, sex saltem miliaribus altiores erant campis, & mari. Ut capias suppositum illud, quod est prima pars conclusionis, memento antiquos Philosophos subodoratos fuisse universalem ruinam huic inferiori mundo imminentem. Seneca scribit: *Quæritur cum fatalis dies diluvii venerit, quemadmodum orbis terrarum undis obruatur? utrum oceani viribus fiat* &c. Sed supponent cladem hanc orituram ex diluvio, forsan propter Academicos, quorum doctrina erat mundum hunc aquis obruendum, eo quia flumina innumerabilia continuo verrant superficiem terræ, & consequenter continuo intrudant terram in mare, unde arguebant, terrã continuò decrescere & mare crescere continuo, & consequenter hoc aliquando diffundendum esse supra totam illam, erravit autem Seneca in supposito, habemus enim illud infallibile pignus, *Neque erit deinceps diluvium dissipans terram.* Verius, quam Philosophus ille, locutus est Poëta inquiens: *Sydera syderibus concurrent; Ignea pontum astra petent,* quæ ultima verba consonare videntur illis: *Stellæ cadent de cœlo*: & forsitan illis quoque: *Effundite septem phialas iræ DEI*, nempe septem saltem vulgo notos Planetas, *in terram;* Verius etiam, & uberius Poëta alius canens: *Esse quoque in fatis reminiscitur adfore tempus, quo mare, quo tellus, quo rectaque regia cœli, ardeat, & mundi moles operosa laboret.* Nempe didicerunt isti doctrinam hanc ex Sybillinis libris, ubi: *Tunc ardens fluvius cœlo manabit ab alto, igneus;*

igneus ; atque locos comburet funditus omnes. Et erithræa dixerat : *Undaque de cœlo fluens ignea sulphure mixto* &c. Censuerunt igitur prisci sapientes, mundum hunc infimum igne, (& quidem supernè invadente terram) obruendum esse : sed habemus firmiorem Propheticum sermonem.

LIII. Daniel quippe loquens de præambulis ad judicium universale scribit : *Fluveus igneus, rapidusque egrediebatur à facie ejus*, quibus verbis, *à facie ejus*, non nimis violenter intelligitur, fluvium illum igneum ex cœlo ipso casurum. Petrus scribit similiter : *Cœli autem qui nunc sunt, & terræ eodem verbo repositi, sunt igni reservati in diem judicii* &c. Et infrà : *Cœli magno impetu transient, Elementa verò calore solventur, terra autem, & quæ in ea sunt opera exurentur.* Et rursus : *Cœli ardentes solventur, & elementa ignis ardore tabescent.* Et sæpe alibi docet hoc Scriptura, communisque fidelium intelligentia est, ignem hunc verè, ac simpliciter futurum esse ignem, & non per figuratam solum locutionem vocari ignem ; sicut aquæ diluvii fuerunt verè, ac simpliciter aquæ ; Et sicut tunc aquis lavit DEus immunditias, quibus referta erat Adami soboles, ita ad finem sæculorum igne purificabit immunditias, fortè pejores, & tenaciores, quibus tunc conspurcabuntur homines, quæ ideò vehementiore lavacro videntur abstergendæ, nempe igne : & genus humanum dicere poterit : *Transivimus per ignem, & aquam, & eduxisti nos in refrigerium.* Quod si ignis ille finalis operaturus est in corporibus istis cœlestibus (quamvis non ut destruat, sed ut purificet, ac renovet illa, sicut hic noster ignis ordinarius operatur in glebis auri, & argenti) vel saltem in cœlo elementari, hoc est in Atmosphæra hujus mundi, quæ tota plena est attomis corpusculis, vaporibus, spiritibus, exhalationibus, ut constat ex refractione, & reflexione lucis solaris ante ortum, & post occasum Solis, quam reflexionem, & refractionem nunquam experimur in superioribus regionibus cœli, alias tota nocte frueremur luce, quasi crepusculari Solis, & quidem toto anno, quandoquidem tota nocte illuminat eas Sol : jam vides necessariam esse ingentem copiam illius, est autem creditu difficile, quod tota illa ex Solis visceribus terræ, ac nubium erumpat. Idcircò præmitto in prima parte conclusionis, non esse improbabile, sive non apparere specialem difficultatem in eo, quod incendium illud universale proveniat, primò ex erumpentibus ignibus subterraneis, quorum magnam copiam diffusam esse per viscera hujus globi terraquei, ostendunt frequentes montes ignivomi, & balnea partim tepida, partim ardentissima, quæ magis frequenter experimur : Ostendunt hoc etiam terræ-motus, in quibus profectò contigit, quod in militaribus cuniculis, quibus arces corruere solent, nempe repentina inflammatio materiæ combustibilis, excussio ædificiorum, quæ sunt supra cuniculum, tremor, & concussio vicinorum. Proveniet autem illud incendium universale ex ignibus subterraneis, sicut etiam universale diluvium provenit magna ex parte ex erumpentibus aquis subterraneis, quia scriptum est : *Pugnabit cum illo orbis terrarum, contra insensatos.*

Daniel. 7. 10.

2 Petr. 3. 7.

Psalm. 65.

Sapien. 5. 21.

LIV. Poveniat secundò ex ignibus, quos creberrimos nubes vibrabunt, sicut vibrarunt olim contra quatuor illas nefandas Civitates, (quintæ *segor* pepercit DEus propter preces Loth) & contra armenta Jobi ; Sicut etiam aquarum diluvium provenit ex nubibus 40. dies pluentibus super terram. Proveniat tertio ex ignibus per Angelos eductis ex stellis, quæ sunt igneæ naturæ v.g. ex Sole, ex Marte, ex Cauda Arietis, ex Corde Scorpionis &c. Et quemadmodum spatio paulo majore, quam 24. horarum Angeli absq; miraculo, sed Solis suis viribus naturalibus movent quotidiè Stellas ab ortu in occasum adeò velociter, ut spatio temporis dicto conficiant integrum circulum illum stupendum ab ortu in occasum, ita spatio temporis paulò majore, quam horarum qua-

Genes. 19. 24.

Genes. 7. 12.

tuor

tuor possent sine ullo miraculo adducere in globum terraqueum illarum ignes, quoniam, ut mox dicam ex Archimede *Peripheria tripla est Diametri, & adhuc superat parte quapiam, quæ minor est septima.* Et hi Angeli possunt esse similes illorum, qui jubentur: *Apocal. 16.* *Ite, & effundite septem phialas iræ DEI super terram*, ut paulò ante dicebam, nec te moretur, quod hic audiatur solus septenarius numerus, cum stellæ solaris naturæ sint plures, quam septem: Quoniam notum est, quod fusè confirmavi Decade 4. Regula 8. num. 106. videlicet septenario numero significari multoties in Scriptura non sola septem sed magnam quandam multitudinem v. g. *Septies cadit Justus* hoc est multoties. Ratio autem dictæ conjecturæ componitur ex his titulis. Primò non dico tanquam certum, rem ita futuram, unde enim habemus hanc certitudinem, sed non esse improbabile ita futuram. 2dò. Complexum ex jam datis testimoniis sacris, & sæcularibus. 3ò. Ignem illum finalem circumplexurum fore non tantum globum hunc terraqueum, sed insuper magnam quandam partem aëreæ Regionis, ut diluvium antiquum aquarum. Et non apparet unde evadat tantus ignis materialis, & corporeus, nisi ignibus sublunaribus adjungat DEUS lapsum ignium cœlestium, aut creet ignes de novo. 4tò. In hoc non esse specialem difficultatem, quandoquidem sydera multa esse igneæ naturæ oculis ipsis percipere videmur, v. g. Solem, Martem, & alia, quæ insinuavi, & immensam distantiam illorum à nobis possunt Angeli viribus suis naturalibus vincere spatio paulo majore, quam horarum, 4, ut dixi, & mox amplius explicabo. Non est ergò improbabile, quod incendium illud universale magna ex parte proveniat ex ignibus per Angelos extractis è multis Syderibus, & eadem velocitate adductis in terra, qua Angeli ipsi, vel alii similes movent ab ortu in occasum eadem Sydera.

LV. In secunda parte conclusionis ajo, aquas illas supercœlestes potuisse absque miraculo, suive corruptione pervenire ad terram spatio paulo majore, quam horarum quatuor, impulsu, ac ministerio Angelorum; quod, ut capias, repete nuper dictam observationem Archimedis: *Circuli tota peripheria tripla est Diametri, & adhuc superat parte quapiam, quæ minor est septima*; Ergò ambitus circuli totius paulo quam triplo est major Diametro, ergò paulo quam sextuplo est major semidiametro; ergò paulo quam sextuplo est major quam distantia ambitus à centro. At globus terraqueus est quasi centrum cœli stellati undecunque eum ambientis æqualiter; ergò cœli stellati ambitus, peripheria, sive circumferentia paulo quam sextuplo est major, quam sua distantia à globo terraqueo; & consequenter distantia hujus ab illo paulo quam sextuplo est minor toto illo ambitu sive peripheria; ergò si A & B eadem velocitate moveantur, A per spatium à peripheria ad centrum, B autem per ipsam peripheriam, A spatio temporis sextuplo circiter minoris perveniet ad centrum: ergò si magna portio aquarum supercœlestium, & idem dico de ignibus cœlestibus, impelleretur versus terram per Angelos sicut quotidiè ab ortu in occasum, hoc est per totam peripheriam cœli stellati, impelluntut stellæ fixæ, quæ profecto sunt multa, & vastissima corpora, portio illa aquarum, sive etiam ignium perveniret ad terram spatio temporis sextuplo circiter minori spatio illo, quo stellæ illæ absolvunt totum illum circulum ab ortu in occasum; At quotidiè absolvunt illum absque miraculo, & absque sui corruptione, ac dissipatione spatio circiter viginti quatuor horarum: ergò portio ea aquarum potuit pervenire ad terram impulsa per Angelos spatio paulo majore, quam horarum 4. quæ sunt pars sexta horarum 24.

Archim. de circuli dimensione prop. 3.

LVI. Hoc stabilito, dico, magnam portionem illarū aquarum ibi purissimarum, sed in itinere tam longo, plenoque fumis & exhalationibus syderum, præcipuè Planetarum, incrassatarum attomis, & corpusculis innumeris, quæ secum

secum rapiebant, potuisse esse magnam partem illius diluvii universalis, & sic posse intelligi illud, *cataractæ cœli apertæ sunt*: cum enim diluvium illud, id est immensa illa aquarum multitudo, nè abutamur voce *diluvium*, contingerit præter, supra aut contra tenorem causarum sublunarium, improbabile non est, quod magnam quantitatem aquarum illarum moverit DEus, aut per se solum, aut per Angelorum ministerium versus terram, eadem velocitate qua singulis diebus movet per se solum, aut potius per Angelos, ab ortu in occasum omnes illos, vastissimosq; globos stellarum fixarum, atque Planetarum. Ubi adverte, me non subscribere sententiæ Oleastri, Eugubini, illorumve antiquiorum, quos suppresso nomine citat Beda, ajentium rem *ita contigisse*, quia solum arbitror potuisse ita contingere citra miraculum strictè tale, & citra ullam aliam difficultatem, quæ rem hanc reddat omnino improbabilem. Argumentor sic: ex una parte non apparet specialis difficultas in natura ipsa rerum, vel in Sacra Scriptura, contra præcipitationem aquarum illarum super terram, ruentium non quidem sponte sua, sed impulsu Angelorum, sicut impulsu simili circumeunt nos quotidiè stellæ errantes, & inerrantes; ex alia parte videtur, quod non potuerit esse tantum sublunaris aqua illa tota diluvii: *Quoniam quindecim cubitis altior fuit super montes, quos operuerat*: atqui *operti sunt omnes montes excelsi sub universo cœlo*, ut ibidem dicitur, quibus verbis *sub universo cœlo* sufficienter refellitur opinio Cajetani; ergò aqua illa altior fuit quindecim cubitis per totum circuitum globi terraquei, siquidem in toto eo sunt montes sub cœlo.

Oleaster in 7. Genes. Eug. in 12. Genes. Beda de nat. rer.

Genes. 7. 20.

LVII. At quamvis altissimi montes Europæis noti non eleventur per directum supra suas planities ultra tria milliaria, ut contendit Perer; montes tamen Americani, quibus constant celeberrimæ illæ duæ catenæ inter se quasi parallelæ, quas Hispani vocant *Andes, & Cordillera* sive *Sierra*, ut distinguit Acosta, excurrentes à Polo in Polum per mille saltem Leucas Hispanicas, adeò excedunt montes Europæos, ut hic idem author, qui ratione muneris sui illos sæpe pertransivit, scribat, Pyrinæos, & Alpes comparatos cum illis, visos sibi fuisse *humiles casas cum turribus compositas*: & quidem quotquot ex portu Chartaginensi Americano quotidiè tendunt in urbē *Santa-fe*, norunt se expendere octo ferè dies in continuo ascensu, qui licet non fiat per lineam rectam, satis tamen ostendit celsitudinem montium, super quos extructa est illa Metropolis; ergò si eis montibus Americanis (de quibus, si noti fuissent Græcis, alia quam de Olympo, de Athoque dixissent,) concedamus sola sex milliaria elevationis per directum, aqua diluvii, quæ procul dubio illos operuit juxta nuper prolatum textum Genesis *sub universo cœlo*, altior fuit sex milliaria, & quindecim cubitos supra totum globum terraqueum: non enim habemus fundamentum ad dicendum aquas diluvii undecunque cingentes hunc globum habuisse figuram enormiter inæqualem, ita ut alibi forent elevatissimæ, alibi autem humillimæ contra propensionem, quam habent coëundi inter se formandique unum globum, quando liberæ sunt ab impedimentis, ut tunc liberæ erant: unde ergò venit tam immensa copia aquarum, quanta necessaria erat ad cingendum undique totum globum terraqueum, ad superandumque illius planities, & campos omnes per 6. milliaria, & 15. cubitos.

Acosta lib. 3. Hist. Ind. c. 22.

Ibidem cap. 8.

LVIII. Cuncta quæ sunt in Mari, licet divinitus extraherentur à suo fundo, & ponerentur supra superficiem terræ, ac maris, prout nunc est, non sufficerent cingendo undecunque globum terraqueum usque ad altitudinem dictam, siquidem profundissima Maria, quæ profecto non sunt frequentia, nec totum globum hunc undequaque cingunt, vix habeant tria milliaria profunditatis. Et licet in uno, vel alio loco videatur non inveniri fundum forsan fallit manum, & consequenter imaginationem, & consequenter mentem, pondus non quidem bolidis, quasi hæc nondum attingat terram, sed rudeutis ipsius duo,

vel tria milliaria longi, qui bolide jam quiescente in fundo maris, deorsum tendit sua gravitate, & nautæ fallit manum. Præterquamquod, si totum prorsus mare extraheret DEus à sua concavitate, hæc restasset vacua, & aquæ diluvii operientes terram solam, non operuissent globum totum terraqueum, & aquæ altissimæ supra omnes montes altissimos magno miraculo ibi coercitæ fuissent, ne suo pondere ruerent in vicinam cavitatem, ubi prius erat marina aqua. Respondebis: copia illa aquarum potuit consistere in eo, quod DEus magnam quandam dedisset rarefactionem aquis marinis, atque subterraneis permeantibus viscera terræ, quæ vocantur *Abyssus magna*, quia sunt latentes, & quia sunt plurimæ, cum vix sit regio in qua non inveniantur, quando altè fodiatur, ad quas alludit Psalmus: *quia ipse super maria fundavit eum, & super flumina præparavit eum*, unæ quippe fluunt subtus terram, ut erumpant super terram, & lacus forment, ac flumina, aliæ quasi stagnent in subterraneis hydrophylaciis, quamvis semper cum aliquo motu, ad fabricas subterraneas metallorum, consistentiamque terræ, quia omnia hæc in pulverem redigerentur, ni humiditate aliqua essent conglutinata. Suppositâ autem ingenti eâ rarefactione potuerunt aquæ dictæ occupare superficiem totam terraquei globi, & illam excedere sex, & pluribus milliaribus descendente interim successivè, ac cum proportione portione magna hujus Atmosphæræ ad replendum cæca subterranea loca, in quibus fuerant aquæ illæ, ne penitus vacua manerent. Contra tamen: in rarefactione strictè tali ideò præcisè corpus rarum occupat majorem locum, quia nova, & vicina in ipsum intromittuntur corpuscula, ut disputabam in Philosophia naturali Disp. I. num. 141. Atmosphæra autem non videtur potuisse tot corpuscula subministrare, quot necessaria erant, tum ad immensam illam multitudinem aquarum cingentium altitudine sex milliarium totum globum terraqueum, tum ad complendum viscera terræ, quæ deserebantur ab aquis ascendentibus ad superficiem, propter quem ascensum, sive eruptionem dicitur: *Rupti sunt omnes fontes Abyssi magnæ*. Minus ergò difficilè videtur, quod Angeli ministri justitiæ Divinæ, non ut Carnifices, sed ut Milites, darent una vice portioni magnæ aquarum supercœlestium eum motum, quem singulis diebus à quarta die mundi dant stellis fixis, qui motus talis est, ut spatio paulò majore, quam 24. horarum conficiat immensum illum circulum ab ortu in occasum, & ab hoc in illum.

Psalm 23.

Genes. 7.

LIX. Duo objicit Perer. Unum est: Perer. lib. 2. in 1. Genes. num. 31. fore, ut aquarum earum descensu octo cœli disrumperentur, sive aperirentur, ut illæ transirent, & postea occluderentur: nego sequelam supponentem cœlos esse solidos, quod verum non esse, probavi Disp. 4. Philosoph. naturalis num. 119. Regiones, per quas moventur Stellæ, ac Planetæ, sunt purissimus æther longè magis subtilis, & permeabilis, quam noster hic aër, quem respiramus, & constare videtur ex itineribus extravagantibus Martis nec non ex Apogæo, & perigæo aliorum Planetarum. Æther igitur, seu cœlestis regio, per quam gyrant globi omnes cœlestes, videtur esse purum ipsum elementum aëris non admixtum rebus extraneis, nisi quoad confinia Planetarum, & aliarum Stellarum, quarum ebibit vapores, seu exhalationes, seu Atmosphæram. Alterum, quod objicit, est; Portionem aquarum perseverantium supra firmamentum, superfluam fore, cum non sit futurum jam diluvium aliud universale: Nego sequelam, quia perseverantia earum aquarum potest esse necessaria ad temperandum multarum ardorem Stellarum, quæ solaris naturæ sunt, quas plurimas sparsit DEus per firmamentum totum, tum ne vastissimæ illæ, ac à Sole remotissimæ Regiones, ad quas parum vel nihil lucis, & caloris mittit hic noster Sol, damnatæ sint ad perpetuum gelu, & tenebras, vel lucem subobscuram: tum propter alios fines Divinæ providentiæ, quos non tenetur DEUS revelare nobis.

LX.

LX. Objicies alia tria. Aquæ illæ transeuntes per elementum ignis, quod est sub luna, extinguerent illud. Nego, quia neque ex Scriptura, neque ex ulla experientia, rationevè naturali constat esse tale istud elementum ignis, præter Solem, solarisque naturæ stellas, nisi fortè empyreum ità vocatur, quia in ipso solo stat purus elementaris ignis. Objici. 4. Illæ aquæ cadentes de suo loco suprà stellas fixas, transirent per ipsas, & per solem, aliosque Planetas; ergò extinxissent, aut saltem corrupissent ea cœlestia corpora. Nego antecedens, quia cum stellæ, quamvis plurimæ, respectu tamen extensionis cœli sint quasi puncta, poterant aquæ duci in terram ab Angelis quin solem, aut stellam ullam attingerent: Sicut singulis diebus, ac momentis Angeli iidem ducunt ea corpora cœlestia per determinatas lineas spirales, quas DEUS ab initio illis præfinivit, quin, vel minimum declinent ad dexteram, vel ad siniſtram; Et sicut etiam Mars scindit in suo descensu, & ascensu regionem solis, quin unquam illidatur in hujus globum, aut illum attingat. Vtò. Ruentibus illis aquis, vacuum mansisset illud spatium, quod occupabant inter stellas fixas, & empyreum. Imprimis nego hoc, quia fumis, halitibus, vaporibus, & exhalationibus stellarum fixarum, quibus exhalationibus, & fumi formari solent nova quædam sydera, quæ multoties fuerunt spectata è terra, & sunt quasi Cometæ supercœlestes, ut dixi Disp. 4. Philosophiæ naturali num. 109. sicut halitibus, & vaporibus globi terraquei formantur nubes, & interdum Cometæ elementares, illis inquam fumis, & vaporibus, & exhalationibus repleri poterat vacuitas ea: Deindè, modò non defendatur vacuum inter stellas fixas, & globum terraqueum, contrà quam arguebam in Physica speculat. Disp. 4. num. 156. non multum contendam, si defendatur illud inter fixas, & empyreum, excepto loco, quem occupant supercœlestes aquæ illæ, quia neque experientiâ, neque ratione Philosophica, aut Theologica, assecuti sunt hactenus mortales rem hanc in ea remotissima regione, sicut neque assecuti sunt, detur necne vacuum in cœlo ipso empyreo, ubi non datur aër, ubi æternum victura sunt corpora beata, & quidem non penetrata invicem, sed cum proportionata inter se distantia. Ex quibus omnibus colligitur, quod initio dixi; nimirum non esse omnino improbabile, quod magna pars diluvii universalis fuerint aquæ supercœlestes, ministerio, & impulsu Angelorum præcipitatæ succession per DEUM præscripta super terram, sicut eorundem impulsu, & ministerio moventur quotidiè Planetæ, & alia sydera ab ortu in occasum. Et in hoc sensu posse intelligi illud: *Cataractæ cœli apertæ sunt*, qua metaphorica locutione significari potest præcipitatio aquarum illarum.

LXI. Dico secundo. Si oculus corporeus intueretur ex luna globum terraqueum anno illo, quo toto fuit obrutum aquis diluvii, etiam post pluviarum cessationem, multo minus lucidum quam nunc videret illum, excepto puncto coincidentiæ radiorum Solis, & oculorum. Id videtur certum, quoniam ex una parte magnus hic globus è luna spectatus lucidus, & coruscus appareret in eo hemisphærio, quod susciperet radios solares; Si enim nos experimur non solum in meridie, sed etiam antè, & post meridiem in nostris ipsis domibus, & cubiculis, quod parietes, quod pavimenta, quod laquearia, quod multa alia sunt clara, visibilia, & lucida propter lucem, non quidem directam Solis, quia sæpissimè illâ non fruuntur, eo quia sæpissimè non sunt pervia, & aperta ipsi soli; sed propter lucem reflexam, & interdum secundo, ac tertio reflexam, resilientem à paucis partibus vicinis immediatè percussis radio solari: Si inquam id quotidiè experimur, quidni oculus corporeus intuens ex luna non unam, aut aliam urbem, unos, vel alios montes hujus globi, sed totum, & integrum

grum hemisphærium illuminatum luce ipsa immediata Solis, intueretur ingentem magnam molem lucidam, & coruscam propter colorem quasi rubrum terræ, & propter magnam densitatem ipsius, in quo esset illa lux, quæ cum transilire nequeat superficiem terræ, vividius reflectet ex ea, quam ex mari, cujus superficiem blandam, & magis diaphanam, magis transilit: Ex alia parte globus terraqueus terdecies ad minimum, & juxtà multos quaterdecies est sicut luna; ergò qui ex hac intueretur hunc globum intueretur vastissimum, & lucidum corpus (non luce candida sed quasi rubra, & accensa ratione dictæ densitatis, & coloris terrei) qualem nos intueremur lunam, si hæc quater, aut terdecies foret major, quam nunc est.

LXII. Cæterum in eo anno, quo durarunt aquæ diluvii super terram, minus lucidum videret oculus corporeus ex luna globum hunc: quoniam aqua excepto puncto (non utique Mathematico, sed proportionato cum diametro apparente solis, ut experimur intuentes mare ex loco edito, præsertim ad vesperam) coincidentiæ lucis solaris, & visualium specierum, minus remittit lucis ad oculos: Quia sicut pila minus resilit, quando impingit in objectum molle, cedensque aliquam tulum, ita lux minus resilit, quando impingit in objectum diaphanum, intra quod profundè penetrat, atque idcircò in mari illuminato per Solem, inspectoque per directum, & non ex transverso, videmus nobis videre aliquid cæruleum, hoc est aliquid fuscum & subobscurum; nempe videmus in superficie maris per aliquam distantiam minorem lucem, quia hæc descendit ad inferiores partes maris per aliquam distantiam; undè non ità vividè resilit versus nostros oculos. Et propter eandem forsan rationem videmur nobis videre maculas stabiles in luna, quia cum hæc partibus constet densioribus, & partibus rarioribus, & magis diaphanis, seu transparentibus, ex his venit ad nos minor lux, & languidior reverberatio, quam ex illis: Unde illas videmus lucidiores, & has illis contiguas videmus obscuriores, & ecce maculas: Similiter quamvis tota nocte invadat lux solis superiores regiones aëris conterminas lunæ, non videmus eas fulgidas, sed obscuras, quia propter magnam illarum diaphaneitatem dant iter liberum solaribus radiis & nil illorum remittunt ad nos. Non ità contingit in terra, quia cum tota hujus superficies sit æquè densa, & æquè careat diaphaneitate, tota æquè remittit lucem, quam accipit à Sole, & qua non penetratur. At per totum illum annum diluvii, tota superficies terræ fuit aquis cooperta, ut constat ex Cap. 8. Genes. Ergò oculus corporeus, qui ex luna, vel aliquo alio editissimo loco, ad quem forsitan elevatus fuit Henoch, intueretur globum terraqueum minus lucis videret in eo; ergò minns lucidum illum videret.

LXIII. Hinc primo, toto illo anno minor reverberatio fuit lucis ex globo terraqueo in partes Lunæ temporibus quadraturarum non illuminatas directè per Solem. Undè partes illæ minus lucidæ fuerunt, quam modò solent esse: Memineris, quod quando Luna incipit crescere, & etiam post ultimam quadraturam, non solum videmus lucem in parte lunæ obversa soli, sed etiam in reliquo corpore, licet multò magis tenuem (quamvis post primam, & ante ultimam quadraturam non soleamus videre lucem illam, eo quia occupati nostri oculi luce longe majore vicinæ partis majoris illuminatæ directè per Solem, non sunt expediti ad notandum lucem illam longè minorem, quæ est in reliquo corpore lunari) tenuioris hujus lucis duas causas assignavi in Philosoph. natural. Disp. 4. n. 37. quarum una est reflexio lucis in lunam ex globo terraqueo, qui cum plusquam terdecies sit major quam luna, licet non æquè terstus, mirum non est, quod in eam sibi è regione

one' positam reflectat lucem, sicut ipsa Luna reflectit in nos non modicam portionem lucis. Dico igitur, quod toto illo anno, quo diluvium duravit, hæc reflexio cum fieret non à solida, & densa terræ superficie, sed à molli, atque diaphana aquarum cingentium hunc totum globum, fuit minor, & consequenter, quod Noë cum sua familia temporibus quadraturarum minus lucis videbant, quam modò videmus in partibus lunæ non illuminatis directè, ac immediatè per solem. Hinc secundo. Si anno illo fuerunt ecclypses lunares citius incæperunt, & tardius finierunt; cæteris paribus, quam nunc, saltem quoad umbram majorem penumbra. Vocatur *penumbra* tepida illa, languida, & subtristis lux, quam videmus in luna, alias quasi plena, paulò antequam incipiat sua ecclypsis. Atmosphæra enim globi terraquei undequaque cingens hunc per amplius, quam 50. milliaria altitudinis, ut conconstat ex crepusculis, citius interponitur inter Solem, & Lunam, quam globus ipse terraqueus; ergò radii solares transeuntes hanc atmosphæram in lunam, debent causare in hac lucem minorem, debilem, & subtristem, sicut causant in nobis Halones, vapores, & caligines, quando hæc sunt inter nos, & solem. Dico ergò ecclypses illas lunares citius incæpisse & tardius desiisse, cæteris paribus.

LXIV. Cum enim globus hic terraqueus esset tunc ultrà sex milliaria major undique, quam nunc est juxtà altitudinem aquarum, quibus ex omni parte cinctus erat, necesse est, quod luna opposita soli citius incurreret umbram illam leviorem, quam inducebat interpositio aquarum illarum & quod serius emergeret ex ea umbra. Nam quo majus est objectum positum inter lucidum, & opacum, quando hæc duo moventur, eò citius, cæteribus paribus, umbra illius objecti assequitur opacum, & eo tardius relinquit illud. Hæc penumbra, quam induceret aquarum illarum interpositio, non esset quidem adeò densa, & obscura, sicut umbra ipsa, quam inducit terræ interpositio, quia aqua est magis penetrabilis radiis solis, quam terra, at esset densior, quam penumbra inducta per atmosphæræ interpositionem: Quippe sex saltem milliaria aquarum simul cum 50. Saltem milliaribus vaporum, & exhalationum, sunt quid magis densum, quam sola hæc 50. milliaria; ergò ecclypses illæ citius inciperent, & tardius desinerent cæteris paribus quoad umbram majorem penumbra quam modò. Propter eandem rationem crepuscula matutina incipiebant citius, & vespertina tardius finiebant toto eo anno: nam cum utraque regulentur per altitudinem atmosphæræ; necesse est, quod, quo altior sit hæc, eò cæteris paribus, citius incipiant matutina, & serius cessent vespertina: At toto illo anno altior fuit, quam nunc Atmosphæra, quoniam circulus ille sex saltem milliarium aquarum suprà campos, & planities hujus globi hunc totum cingens, altiorem, & majorem copiam vaporum mittere debebat: Undè si vapores, fumi, & caligines ex altitudine sex milliarium super plenam superficiem terræ ascendentes, plus ascendere debebant, quam nunc ascendunt, maximè cum uni propellentes alios, hos quasi sustinerent; ergò citius debebant illuminari à solo matutino, & serius debebant deseri ac verspertino: Ergò utraque crepuscula debebant esse longiora; ubi adverte, me loqui in sensu physico, non in morali: Id est. Essent necne perceptibilia hæc quæ dixi, eo quod respectu grandis distantiæ solis, ac lunæ à globo hoc, tamquam nihilum haberentur hæ minutiæ: At verò à parte rei hæ minutiæ erant.

(o)

§. Secundus.

Alterum Opus secundi Diei.

LXV. ILlud fuit, quod vulgò dicimus. *Firmamentum*, sive cœlum stellatum, super quo, Dico primo, cœlum illud, quod passim vocatur *primum mobile*, quod rapido suo motu ab ortu in occasum corripiat secum Stellas fixas, atque Planetarias, quæ tamen proprio suo motu ut ajunt, pergunt in Orientem, est purè imaginarium, seu rationale, & hypotheticum, quia neque ex Historia Moysis Capit. 1. Geneseos, neque ex ulla naturali ratione colligitur, ut fusè probo in Philosoph. natur. Disp. 4. num. 130. & seqq. & sine illo explicui ibidem num. 19. varietatem motuum, quæ in Astris notata est. Tres igitur solos cœlos agnosco, & agnovisse videtur Paulus, quando loquens de supremo dixit: *Raptum hujusmodi usque ad tertium cœlum*, quod, & Paradysum ibidem vocat. Nimirum cœlum *empyreum*, cœlum *christallinum*, sive aqueum & cœlum stellatum, seu *firmamentum*: Tametsi enim unaquæque Regio, per quam sursum, & deorsum, dextorsum, & sinistrorsum vagantur singuli Planetæ, nec non altissima illa Regio, in qua sunt stellæ fixæ, dicatur etiam cœlum & sic attentis Astris solis resultent octo cœli, nempe septem Planetarii, & unum stellatum, imò quamvis his adjungi possint alii sex cœli, scilicet illæ æthereæ Regiones, per quas circà Jovem gyrant quatuor alii planetulæ, & illæ aliæ, per quas circà Saturnum versantur duo saltem alii, veruntamen omnes istos cœlos partiales, & inadæquatos, complectitur firmamentum, & omnes istæ Regiones cœlestes, in quibus sunt utræque stellæ, fixæ nimirum, & tredecim errantes, quasi partes sunt, & membra ejusdem firmamenti: Ait enim Moyses. *Dixit autem DEUS: Fiant luminaria in firmamento cœli, & dividant diem, ac noctem, & sint in signa, & tempora, & dies, & annos, ut luceant in firmamento cœli, & illuminent terram, & factum est ita: Fecitque DEUS duo luminaria magna, luminare majus, ut præesset Diei, & luminare minus, ut præesset nocti, & stellas, & posuit eas in firmamento cœli,* ergò Moyses vocat *firmamentum* totum illud vastissimum spatium, in quo sunt stellæ fixæ, atque Planetariæ; nimirum spatium quod est à superficie convexa, seu exteriore fixarum usque ad concavam, sive interiorem Perigæi lunæ; ergò juxta phrasim Scripturæ Firmamentum complectitur cunctas illas Regiones, per quas gyrant stellæ fixæ, & Planetariæ, ita ut Regiones hæ non sint cœli adæquati; sed membra, & partes ejusdem firmamenti: Agnosco dissidium de modo loquendi, sed malo cum Scriptura loqui, quam cum aliis. Opus itaque alterum secundi diei fuit solum firmamentum. *Dixit quoque DEUS, fiat firmamentum in medio aquarum &c. Et factum est vespere, & mane dies secundus.*

2. *ad Corint.* 12.

Genes. 1. 14.

LXVI. Dico secundo. Hoc firmamentum biduo fuit absque stellis, quia ut in hoc eodem Capite scribit Moyses die quarta produxit illas DEus, & posuit in firmamento: Verumtamen non fuit obscurum, quoniam undequaque circumdabatur empyreo, quod DEus asperserat primitiva ea luce, de qua suprà, sufficienterque illuminari poterat luce illa, quamvis inter illam, & firmamentum ipsum mediarent illæ semidiametri aquarum supercœlestium, quippe hæ utpotè elementares, ac sine corruptela ulla extranei corporis impedire non poterant totum illapsum illius empyreæ lucis in firmamentum; ergò hoc saltem quo ad partem superiorem sui ipsius lucidum poterat esse: Dixi quo ad *partem superiorem*, nam pars inferior, nempe, quæ nobis obversa est, non illuminabatur empyrea luce, alias nunc etiam illuminaretur, cum lux illa non sit extincta, & consequenter videretur à nobis fulgida, & lucida: quamvis ad hoc responderi poterat non sequi, partes infimas firmamenti videndas fore à nobis fulgentes, ex eo, quod empyreo fulgore imbuantur; nempe propter summam

suam

ſuam ſubtilitatem, atque raritatem prorſus ætheream: Quemadmodum, licet totum cœlum lunare tota nocte per Solem illuminetur, id eſt hunc præſentem habeat in oppoſito hemiſpherio, attamen non apparet nobis lucidum, non videmus in eo fulgorem ullum, ſed tantum in corpore ipſo Lunæ, quia hoc ſolum propter ſuam denſitatem eſt capax, ut in eo videamus lucem, quam habet; Regio verò illa tota propter ſuam diaphaneitatem eſt incapax, ut videamus in illa lucem, quam à Sole præſente accipit. Eodem modo philoſophari forſan poſſumus de firmamento: Scilicet, quod licet totum imbuatur luce empirea, hanc non videmus in illo, propter ipſius ſummam tenuitatem, ſubtilitatem, ſeu diaphaneitatem, quam ſi non haberet, ſed loco ipſius denſitatem, aliquam videremus in eo lucem, quam in eo producit ſuprema illa empyrea lux, quam Scriptura dicit productam à DEO primo die mundi, & quam extinctam eſſe, non conſtat: Et indicium aliquod eſſe poſſunt nova ſydera, quæ inter ipſas Stellas fixas interdum viſa ſunt, & quidem fulgentiſſima, & quæ diu durarunt. Fumi namque, vapores, caligines, & exhalationes erumpentes ex fixis, & conglobata per accidens, atq; addenſata, ſicut noſtrates nubes, conglobari, atqui addenſari ſolent in noſtra Atmoſphæra, ſunt capacia, ut in eo phænomeno apparente rotundo, quaſi Stella (quia propter ſummam diſtantiam non poſſunt notari à nobis anguli, atque inæqualitates) videamus lucem, qua imbuitur à vicinis Stellis, & etiam à ſuperſtante Empyreo.

LXVII. Dico tertio: Hoc firmamentum non eſt quid ſolidum, ac durum, cui Stellæ ſint infixæ, ſicut clavi rotæ: ſed eſt puriſſimus elementaris aër, qui *æther* dicitur, quique hac ſecunda die productus à DEO, & in medio aquarum firmatus, *firmamentum* dicitur, probavi hoc in Philoſophia naturali Diſp. 4. à num. 119. unde quamquam hæ aquæ noſtrates utpote refertæ corpuſculis, & attomis, tum terreis, tum illorum mixtorum, per quæ tranſeunt, & quæ jugiter lambunt, corrodunt, & labant, quia pro corporum noſtrorum alimento, aliiſq; uſibus tales debebant eſſe, nimirum pingues, & craſſæ, licet inquam hæ aquæ ſint infra elementum aëris, qui non eſt adeò refertus gravibus, & fæculentis corpuſculis; at elementum ipſum purum aquæ eſt ſuprà elementum aëris, utpote factum à DEO initio mundi paucioribus gravitatis gradibus preſſum, ut illa eadem Diſput. explicui num. 137. Dixi elementum aëris productum ſecunda die, non quidem productum *quo ad ſubſtantiam, & entitatem* (ſecundum hanc enim productum fuit prima die admixtum cum aquis, ſicut in nebulis, nubibus, in atmoſphæra humida, & vaporoſa miſcentur aqua, & aër) ſed productum *quo ad modum*, id eſt diſcretum, & ſegregatum ab aquis, eo ferè modo, quo mare dicitur factum die tertia, non quia tunc creaverit DEus aquam, ſed quia tunc compulit eam in unum determinatum locum. Empyreum enim, terra, aqua, & aër inſpecta quo ad ſubſtantiam, & entitatem facta ſunt die prima: Dico 4tò. nova ſydera interdum, & diu notata, ex terra in firmamento, non fuerunt initio producta in illo, Sed eſt valdè probabile, quod ſint quaſi cometæ cœleſtes formati ex conglobatis fumis, vaporibus, & exhalationibus ingentium illorum globorum ſtellarum fixarum ſicut inter Planetas ipſos, & infrà lunam formari ſolent ſimilia phænomena; Et ſicut in atmoſphæra noſtra formantur nubes. Explicui, ac probavi hanc concluſionem illâ Diſp. 4. num. 109. Moles autem illorum vaporum, & exhalationum, quæ profectò valde magna eſſe debet, ac nocturna, ut è terra ſpectari poſſit, illuminatur luce à nobis viſibili, tum fulgore vicinarum ſtellarum, tum empyrei, ut paulo ante dicebam; undè, ut lux ipſa videatur à nobis, non ſufficit, quod ſit à parte rei, quod habeamus oculos capaces, & attentos ad locum ubi eſt, quod ſimus in loco proportionato ad videndum illam; ſed inſuper requiritur, quod ſit in ſubjecto

jecto non prorsus diaphano, sed habente densitatem proportionatam, attentâ distantiâ, quam habet, ut in eo subjecto lucem videamus.

CAPUT VI.

De Operibus tertii Diei.

LXVIII. DUo fuerunt illa; Unum fuit *mare* non quidem quoad substantiam, hoc est, quoad aquas, quibus constat; Illæ namque ut jam dixi productæ fuerunt à DEO die primo; sed quoad locum extrinsecum, nempe quo ad magnam eam fossam seu concavitatem, in qua sunt Genes, 1. Marinæ aquæ: *Congregentur aquæ, quæ sub cœlo sunt in locum unum, & appareat arida*: Alterum fuit productio arborum, & herbarum: *Germinet terra herbam viventem*: Mare cum suis proprietatibus salsedinis, & graveolentiæ, item cum suo immenso populo piscium, item cum suis motibus regularibus, & irregularibus, cum suis vorticibus, & currentibus, cum nausea, quam movet in non assuetis, item cum suo fluxu, & refluxu, item cum suis Insulis, & Insularum prima habitatione, & demum cum aliis ad mare pertinentibus, jam exposui in Philosoph. nat. Disp. 3. cap. 2. In hac tertia die ceperunt fluere per occultos subterraneos calles apertos prima die aquæ. Harum magna copia stagnat in visceribus terræ pro metallorum fabrica, aliquam enim humiditatem viscosam inhærere metallis, constat ex eo, quod malleo non semper comminuuntur, sed diducuntur, & extenduntur in delicatas quasi tabulas, nec non pro pabulo ignium subterraneorum: Copia illa aquarum evadit ad superficiem terræ modis in ea disputatione explicatis ad formandum lacus, flumina, fontes &c. In hac item die cæpit atmosphæra terrestris, nimirum complexum illud undequaque cingens globum terraqueum, compactum ex vaporibus, fumis, spiritibus, exhalationibusque jugiter exeuntibus nunc in magna, nunc in parva, nunc in mediocri copia ex toto globo. Hanc atmosphæram cum suis metheoris ignium, ventorum, pluviarum, grandinum, nivium, tonitruum, fulminum, coruscationum, cometarum, iridum, nubium, & demum cum sua altitudine ex crepusculis collecta, exposui Disp. illa 3. num. 175. & seqq. Etenim hac die tertia poterant jam ignes subterranei, quamvis nondum essent producti cœlestes ignes, incipere suum exercitium, nempe elicere, & foras mittere vapores aliquos, & exhalationes hujus globi, sicut facit ignis Alembici, cujus viscera incipiebant imbui humiditate, & mixtorum multorum initiis; sed quia fortè nondum evaserat tanta copia vaporum, & exhalationum, quanta erat necessaria ad impinguandum hunc aërem pro respiratione animalium, ideò fortè neque hac die tertia, neque quarta creavit DEus animal ullum, sed creationem distulit usque ad quintam, & sextam, quando hæc atmosphæra, intra quam vivimus, & quam respiramus, erat jam sufficienter incrassata dictis vaporibus, fumis, exhalationibus, & spiritibus; die namque quinta præter ignes subterraneos incæperant jam exercere hunc globum ignes cœlestes, & sic major jam vaporum copia occupabat, & impinguabat aërem necessarium ad respirandum. Marc. 8.

LXIX. Arborum, & herbarum Genesim explicui eadem Disp. num. 77. & seq. Memineris tamen diversitatis inter modum, quo fiunt vegetabilia hæc, quæ nunc habemus, & modum quo facta sunt illa primitiva diei tertii. Vegetabilia hæc fiunt modis ibi explicatis. Vegetabilia illa facta fuêre de repente per Divinam omnipotentiam: Si enim DEus derepente convertit uxorem Loth in statuam salis, quatenus unico momento produxit in materia prima illius corporis perseverantis cum eadem figura, & partium proportione formam salis, & abstulit animam rationalem. Item si fax accensa derepente convertit in lucidum aërem totum, qui in instanti immediatè antecedenti erat totus obscurus in cubili. Item si ignis, idem respectivè de aliis agentibus naturalibus, decursu temporis convertit lignum in ignem, quatenus successivè indu-

induxit illi portiunculas formæ ignis deniquè si Christus Dominus quinque panes ita derepente multiplicavit, ut sufficerent quinquè millibus hominum, & in alia occasione septem panes derepente quoquè multiplicavit pro quatuor millibus hominum. *Marc.8.* Si hæc inquam ità sunt, quid mirum, quod divina omnipotentia derepentè produxisset, sicuti sol derepente producit ex orizonte orientali innumeras particulas lucis in lineis innumeris, quibus constat hemispherium, formas herbarum, virgultorum, & arborum, in eis tenuissimis portionibus humidæ terræ, quas voluit, conservando tamen ibi multas particulas terræ, & aquæ, tanquam partes integrales illorum vegetabilium juxtâ Phylosophiam, quam veriorem judicavi in Physica speculativa Disp. 1. nam. 149. & seqq. Quod si hæreas in illis verbis. *Germinet terra herbam &c.* quibus insinuari videtur, terram ipsam fuisse causam efficientem illorum vegetabilium, & non mere passivam; alias possemus dicere lignum, ex quo fit ignis, facere ignem. Dico scripturam sequi modum communem loquendi hominum; modus autem communis loquendi est, talem terram, talem vallem, Montem, planitiem, pratum, dare bonum, dare nullum fructum, quamvis non sit causa efficiens illius, sed pure passiva, quatenus ex ea, cum aqua mixta, fiunt fructus. Quod autem hic modus loquendi non sit usitatus in aliis rebus, probat, verba significare ad placitum, & videtur ridiculum velle, quod homines in omnibus rebus similibus inter se utantur eadem metaphora: Præterquamquod potuit DEus in hac tertia die, ubi primum amotis aquis apparuit terra cum illa portione humiditatis, quo opus erat ad sui consistentiam, nec non ad productionem herbarum & arborum, producere derepente semina omnium illorum vegetabilium, sine quorum adjutorio potest DEus producere illa semina; rursus potuit illa spargere per terræ superficiem, & demum speciali providentia cooperari seminibus illis, ut citissime producerent respective, si non fabricam totam, & quasi organizationem totius arboris, aut virgulti, aut herbæ, quia repentina proceritas v. g. arboris proveniret tunc à solo DEO; at saltem formam substantialem illorum vegetabilium, quam modò non nisi post multum temporis producunt. Repete illa duo exempla panis multiplicati à Christo Domino, non sane per meram replicationem præsentiarum illius, sed per physicam, & realem productionem in materia aëris, vel alia vicina, quam Christus elegit, formæ frumenti cum eis omnibus accidentibus, quibus fit panis commestibilis.

CAPUT VII.

De Operibus quarti Diei.

LXX. EA fuerunt vastissimi illi, plurimi, atque pulcherrimi globi cœlestes, quos cernimus quotidie vagari per æthereas regiones. *Dixitquè DEus, fiant luminaria in firmamento cœli &c. Et factum est vespere, & mane dies quartus*: Materiam ex qua DEUS fabricavit eos globos cœlestes nec non operas, quibus forsan præscripsit illorum materialem fabricam explicui in Phylosophia naturali Disp. 4. num. 28. ex seqq. lunam, & octo quædam notatu digna in illa ibidem num. 32. solem, & quæ in eo sunt observata ibidem num. 46. Duos suos perpetuos comites Mercurium, & venerem, ibidem num. 69. ubi etiam dixi ea, quæ omnibus Planetis communia sunt. Martem cum suo umbone, aut voragine, Jovem cum suis quatuor satellitibus, saturnum cum suis duobus, cum suo motu, structura, & influxibus, ibidem num. 88. & seqq. stellas deniquè fixas ibidem num. 111. *Genes. 1. 14.*

LXXI. Igitur hac quarta die mundi elegit DEus Angelos illos, quos voluit, & juxta discursum factum ibidem à num. 8. illis præscripsit I. velocitatem, tarditatem, hoc est gradus velocitatis, & tarditatis, admittunt enim hæ qualitates *magis* & *minus*, nec non obliquitates, quibus solem v. g. idem dico respective de aliis Planetis, atquè stellis fixis, jugiter moveri decreverat, ita ut com-

combinatio motuum globorum cœleſtium, tum inter ſe, tum etiã cum qualitatibus aliis talium,& talium regionũ hujus mundi inferioris,induceret talibus temporibus,& non aliis, talibus regionibus terræ,& non aliis,tales determinate, pluvias, ſiccitates tonitrua, fulmina, turbines, ſerenitatem &c. Nihil enim ex his quoad ullam ex ſuis individualibus circumſtantiis fugit illius providentiam,ſine qua ex duobus paſſeribus unus non cadit in terram, potius quam alter;quod ſi horologiorum Rectores (&idem dico de Rectoribus navium, cuniculorum militarium, & ſimilium rerum artificialium) initio diei aut noctis ità combinant, ac temperant rotas, &pondera, ut Machina illa tantum determinatum tempus ſileat,& nullum edat ſignum, tali autem puncto determinato edat unum, & non plures ſonos,& tali alio edat duos, & non plures, & ſic deinceps per totũ ſpatium 24. horarum: Cur non potuit Deus,qui futurorum omnium flagitiorum,obſequiorum, atquè precum preſcius erat, ità ab initio, ut ſuprà etiam dixi, ſtatuere, quoad naturalia totam hanc grandem machinam mundi, ſeu ità combinare, ac temperare cauſas omnes univerſaliores,tum activas,tum paſſivas, ut talibus determinatè temporibus, & non aliis, in talibus determinatè regionibus, partibus, vel particulis globi terraquei, & non in aliis ederent talia determinatè effecta, vel ordinaria, vel extraordinaria. Vide, quæ ſcripſi in Philoſoph. natur Diſp.3. num.273. & ſequentibus.

LXXII. Præſcripſit II. Angelis eis in ea quarta die Apogæum ſolis, & aliorum reſpectivè Planetarum, nimirum punctum illud æthereæ regionis, ad quod ſingulis momentis à die 20. circiter Decembris usque ad 20. circiter Junii, moventes illum ab ortu in occaſum, debebant ſimul elevare tantillum verſus firmamentum, & ultrà quod punctum nunquam illum elevaturi erant, & hoc facere debebant per circulos ſpirales, & obliquos, ita ut ſol nullo anno in ſua maxima diſtantia à terra occuparet illud ſublime punctum regionis æthereæ, quod occupavit anno antecedente; ſed aliud nonnihil magis obliquum verſus meridiem, & non nihil etiam magis retrò verſus orientem: undè provenit, quod cum olim Apogæum ſolis fuerit in puncto æthereæ regionis ſubjacente ſtellis cancri, modo poſt tot ſæcula transacta jam ſit in puncto ſubjacente gradui nono geminorum, hoc eſt multo magis vicinum orienti, & meridiei: Lege prò totius rei hujꝰ intelligentia,quæ ſcripſi illa Diſp.4.c.2. Præſcripſit III. in hac eadem die,ſiquidem in ea incæpit ſol eſſe & incæpit ſeries omnium ſuorum motuum, perigæum ſolis, & reliquorum Planetarum: nimirum punctum illud æthereæ regionis ad quod Angeli debebant ſingulis momentis à 20. circiter Junij usq; ad 20. circiter Decembris ità moverè illum ab ortu in occaſum,utſimul deprimerent eundem tantillum verſus globum terraqueum; obliquè etiam, ac per circulos ſpirales itaut, in ſua maxima propinquitate reſpectu terræ nullo anno eſſet ſol in eodem puncto æthereæ regionis,in quo fuerat anno antecedente, ſed tantillum magis verſus orientem, & boream: undè factum fuit, quod cum ſolis Perigæum fuerit quondam ſub ſtellis capricorni, nunc ſit ſub ſtellis ſagittarij,quæ magis vicinæ ſunt orienti ac Boreæ. Præſcripſit IV. Angelis eisdẽ tropicos ſolis,& reſpectivè aliorum Planetarum, id eſt terminos verſus Polos Mundi, ultrà quos nunquã promoturi erant ſolem, v. g. nimirum cancrum verſus polum arcticum, & capricornum,verſus Antarcticum: veruntamen propter obliquitatem circulorũ per quos movent illũ quotidie ab ortu in occaſum,& propter minorem velocitatatem,quã DEꝰ præfinivit, contigit poſt tot ſeculorum decurſum, quod tropicus verſus polũ arcticum,ubi eſt ſolſtitium nobis æſtivum,ſit modò ſub ſtellis geminorum, quæ propter ſuam quoq; retardationẽ, ſeu minorem velocitatẽ reſpectu illius, quam habere poterant ſubintrarunt in locum ſtellarũ cancri; & tropicus hyemalis,ubi fit ſolſtitium nobis hyemale, ſit nunc ſub ſtellis ſagittarii, quæ ſubintrarunt in locum ſtellarum capricorni. Præſcripſit demum Angelis dictis in hac quarta die omnia illa quæ in ſole notavi quoad ſuos

motus,

P. Molin de oper. ſe dierum.

Pſ. 135. 8.

motus, & qualitates Disp. illa 4. toto cap. 2. Horum omnium ratio est, quia ut probavi illa Disputatione n. 8. hæc omnia fiunt per Angelos; Et hæc omnia ex causæ primæ providentiâ incæperunt hâc quarta die Mundi, qua sol incæpit esse, & moveri, non enim occurrit fundamentum ad dicendum oppositum: ergò hac quarta die præscripsit DEUS hæc omnia illis Angelis.

§. Secundus.

De locis, in quibus DEUS produxit Solem, & Lunam.

LXXIII. Quæres I. In qua parte: ubi ætherearum Regionum creavit DEUS solem, & Lunam: Conjecturis opus est in re, quæ nec ratione naturali constat, neque Theologica: Concilium enim Palestinum sub Victore Papa anno 198. quod citat Beda Libro de æquinoctio, est utiquè authoritatis, sed non est universale, & agit de re mere philosophica, quæ Concilia non multum curare solent: Itaquè respondeo: Verisimile est I. DEUM creasse solem in æquatore: Ità docetur in eo Concilio, & favent omnes illi Patres, qui docent apud *P. Molina de oper. sex. dierum.* Molina, Mundum fuisse creatum in æquinoctio Verno: Ibi enim est sol in medietate suæ altitudinis, atquè depressionis, nec non distantiæ ab utroquè polo Mundi: Indè æqua uniformitate, ac difformitate diffundit suos effectus per totum globum terraqueum, cujus utilitati creabatur; Undè ibi adipiscitur potestatem diei, in *Ps. 135. 8.* quam creatus dicitur à Davide: *Solem in potestatem diei*, quia cum ibi sit orizontalis, vel quasi orizontalis utrique subpolari Regione, inde illuminat totum unum integrum, & æquale hemisphærium terraqueum: nec apparet ratio Cur initio Mundi debebat esse magis vicinus, & magis propitius uni Polo Mundi quam alteri, excæptâ illâ unicâ inæqualitate, quam secum fert ipsa fabrica Mundi, scilicet, quod sol sit rectus unis regionibus, & obliquus aliis, quod non possit esse simul in omnibus hemisphæriis, quòd protinus incipere debuit recedere ab unis, & accedere aliis; Hæ namquè inæqualitates proveniunt ex natura ipsa rerum, & ubicumquè sol creatus esset, simile quid Contingeret propter figuram, quam DEUS indidit huic Mundo.

LXXIV. Rursus cum in æquatore sint Aries, & libra, verisimile est Primo solem fuisse coditum in Ariete, quia ibi fit æquinoctium Vernum; & congruum videtur, quod sol à prima sua Creatione positus in medio inciperet appropinquare illis Regionibus, quæ primæ habitandæ erant ab hominibus, quæ incolas illustriores habituræ erant, & in quibus opera illustriora edenda erant: At regiones citrà æquatorem erant primæ habitandæ; nam Paradysus terrestris, & conterminæ regiones videntur fuisse citra illum, nisi mutare volumus enormiter, & quidem absque fundamento Origenes Tigris, & Euphratis, quos constat natos ex Paradyso, & constat in præsenti nasci citrà æquatorem. Rursus majorem propagationem generis humani decreverat DEus citra, quam ultrà æquatorem, ut constat experientia, & ex eo, quod sol, de quo dicitur, *Sol, & homo generant hominem*, octo circiter dies moratur quot annis plus apud nos, quam apud gentes transolanas, & ex eo, quod Venus generationi favens per sex Minuta accedit Magis his Regionibus quã transolanis: Vide, quæ dixi illa Disp. 4. num. 87. Præterea hæ nostræ Regiones habituræ erant incolas Longè illustriores, videlicet, Patriarchas, Prophetas, Apostolos, Evangelistas, Martyres, Doctores, item potentissima Imperia, cultissimas præclarasquè doctrina gentes; & quod caput est, Filum DEI cum Beatissima Matre: Deindè ex his iisdem Regionibus, in quibus fuit familia Noë, ex qua propagatum fuit genus humanum, transituri erant homines ad propagandum humanam sobolem in Regionibus subsolanis, & transolanis, non autem è contrario: Siquidem è tribus Fliis Noë: *Dissemi-* *Genes. 9. 19.* *natum est omne genus hominum super universam terram*: Et demum in his Regionibus citrà solanis edenda erant illustriora opera Divinæ Providentiæ, v.g. Reparatio physica generis humani

ni per dictos Filios Noë, & reparatio spiritualis per Incarnationem, Prædicationem, Mortem, ac Resurrectionem Christi Domini per Apostolicam Evangelizationem quia *de Sion exibit lex, & Verbum Domini de Jerusalem.* Et Salvator noster dixit. *Salus ex judæis est*, & deniquè per universale judicium omnium hominum; ergò verisimile est solem productum in æquatore incepisse moveri versus nostras regiones, ut in eis, quæ sole tunc habitandæ erant, exerceret suum Ministerium, ad quod creabatur, *pro cunctis gentibus, quæ sub cœlo sunt*: At sol in æquatore non movetur versus nos, nisi sit sub Ariete, quia sub Libra recedit à nobis, ut constat; Luna verò quippè quæ aliis legibus movetur, solet accedere ad nos etiam, quandò est sub Libra circumeunte terram apud nos: ergò congruum videtur &c.

Isa. 2. *Joan. 4.* *Deuter. 4.*

LXXV. Verisimile est Tertio, solem fuisse productum in 45. gradibus ultrà meridianum Paradysi terrestris, vel illius determinatè partis hujus Mundi, in qua decreverat DEus plantare Paradysum, quod si verum est, sequetur primam stellam Arietis, sub qua productum dixi solem, fuisse productam in media distantia à meridiano prædicto ad orientem occidentalem Paradysi, & consequenter pisces, Arietes, Taurum, geminos, & cancrum fuisse integros in nostro hoc hemisphærio, Virginem, libram, scorpionem, sagittarium, & Capricornum in altero, aquarium medium in orizonte occidentali, & Leonem medium in orientali, in gradu inquam illo 45. id est, quando esset hora tertia post meridiem in loco illo Paradysi, *quem plantaverat DEus à principio*, forsan prima die mundi, ut supra dicebam: Etenim Moyses non temerè, non sine causa incipit numerare dies ordine inverso, inquiens semper: *Factum est vespere, & mane dies &c.* & non è converso, ut vulgò dicere solemus, *manè, & vespere*; ergò verisimile est quod incipiat Moyses à vespera, & hanc ponat ante mane, quia DEus propter rationem sibi notam fecit, quod sol in quarta die Mundi inciperet esse, ac lucere in ea parte ætheræ Regionis, in qua est, quandò incipit Vespera tempore æquinoctii, ut suprà etiam dicebam de primitiva illa luce producta in prima die Mundi, quam etiam diem incipit calculare Moyses à Vespera sicut sequentes: At in hoc tempore sol est in 45. gradu versus occidentem, & consequenter ultrà meridianum quandò incipit vespera, quia hæc incipit tunc hora tertia post Meridiem, & cum sol singulis horis conficiat 15. gradus, sequitur, quod tribus horis post meridiem invenitur distans à meridiano 45. gradus, ergo verisimile est, solem incepisse esse, ac lucere in eo 45. gradu.

Genes. 2. 8.

LXXVI. Et hoc forsan non sine allusione ad magnam illam rem posteà futuram; Etenim existente sole in eo 45. gradu respectu Hyerosolimæ, id est hora tertia post meridiem illius urbis, seu hora nona juxtà calculum Judæorum, moriturus erat Christus, & sic etiam conciliari potest Marcus cum aliis Evangelistis; Dicit enim Dominum Crucifixum esse *hora tertia*, cæteri autem Evangelistæ *hora nona*; nempè hi loquuntur secundum calculum vulgarem illius gentis, quæ totum diem solarem dividebat in duocim horas, propter quam rationem horæ æstivæ diurnæ erant longissimæ, & horæ hyemales brevissimæ; Marcus autem latinis scribens, loquitur secundum horas reales astronomicas; re tamen ipsa eadem erat hora tertia, pomeridiana, sivè nona & in illâ oboritura erat generi humano lux redemptionis, quæ ex illa morte pendebat; & illa horâ tertiâ, sivè nonà oboriturus erat novus sol in profundis & cæcis cavernis Lymbi, ubi tot sancti Patris detinebantur, nempè anima sacrosancta Christi Domini, quæ hora illa descensura erat in obscura ea loca, ut prius fuerat promissum *penetrabo omnes inferiores partes terræ*, (unas tanquam severus judex, alias tanquam misericors Pater; siquidem unus ex illis captivis dixerat olim: *Misericordiæ, & judicium cantabo tibi Domine*, Misericordiæ, ut Patri eorum, qui erant in lymbo, judicium, ut judici eorum, qui erant in inferno damnatorum) *& inspiciam omnes dorminentes, & illuminabo omnes sperantes in Domi-*

Levit. 23. *Ezech.* *Psalm.*

Domino, ubi promiſſio auditur *inſpiciendi* omnes dormientes, id eſt, omnes illos mortuos ſubterraneos ; *illuminandi* autem ſolos *ſperantes in Domino*. Forſan itaquè cum reſpectu ad hæc magna opera, quæ poſt multa ſæcula erant edenda horâ tertiâ aſtronomicâ, ſivè nonâ hæbræorum, hoc eſt, quandò incipiebat Veſper, & conſequenter, quandò ſol futurus erat in 45. gradu ultra meridianum verſus occidentem, creavit illum DEus prædictâ horâ tertiâ pomeridianâ, ſicut etiam primævam illam lucem primi Diei, atquè ideò ſemper computat Moyſes dies illos à Veſpere: Ac forſan etiam propter hanc
Levit. 23. 32. rationem jubebantur Judæi *à veſpera usque ad veſperam celebrabitis ſabbata veſtra*, quia luces Primævæ materiales veſpere incæperant, & luces prædictæ ſpirituales veſpere quoq; incæpturæ erāt; & cum veſpera tempore æquinoctiali habeat longitudinem trium horarum, nempè ab hora tertia pomeridiana usque ad occaſum ſolis, in aliis autem temporibus majorem, aut minorem, inde eſt, quòd multæ ſcripturæ congruenter conciliari poſſunt, quæ diverſimodè loquuntur de veſpera.

LXXVII. In re igitur, quæ abundè non conſtat, ſuſpicor ut veriſimilius, ſolem fuiſſe productum à DEO in æquatore, & quidem in Ariete, & in gradu 45. verſus occidentem ultra meridianum Paradyſi terreſtris, vel ſaltem loci huic deſtinati, ut ſuprà etiam phyloſophabar de luce primi diei. Etenim vox *veſper*, quâ utitur Moyſes eſt reſpectiva ad aliquem locum terraquei globi: Quando enim eſt veſper in una regione, in alia eſt meridies, in alia eſt nox, in alia diluculum; ergò cum Moyſes non dicat locum reſpectu cujus erat ille veſper, nè dicamus uſum fuiſſe illa voce temere, ac ſine ſignificatione, poſſumus prudenter ſuſpicari illum veſperem fuiſſe veſperam reſpectu illius particularis ſitus Mundi hujus inferioris, qui tunc erat omnium illuſtriſſimus, & de quo ſolo in particulari loquitur Moyſes in eis capitibus, & ex quo proditurum erat totum genus humanum. At hæc omnia conveniunt ſoli Paradyſo voluptatis, quem plantaverat Dominus DEus à *principio*, id eſt, prima fortè die Mundi, vel ſi fortè plantaverat illum tertia die, quandò dixit *germinet terra &c.* jam erat in rerum natura, quandò productus fuit ſol, quandoquidem hic cæpit eſſe die quarta, unde jam poterat eſſe veſpertinus reſpectu Paradyſi illius; ergo prudenter poſſumus ſuſpicari ſolem incæpiſſe eſſe, lucere, & moveri hora tertia pomeridiana reſpectu Paradyſi terreſtris.

LXXVIII. Hinc Primo, ſi locus Paradyſi erat, ubi modo eſt Mare Caſpium, ut aliqui autumant, & favet illud de fonte aſcendente de terra, irrigantequè omnem ſuperficiem terræ illius, cum Mare illud ſit quaſi ingens fons aſcendens è terra, eo quod ſit inſtar Magnæ cujusdam regurgitationis ponti Euſini minus diſtantis, in quem influit Mare Mediterraneum reſiliens ex Paleſtina, & Africa, & favet etiam propinquitas Armeniæ, nec non illud de quatuor fluviis, quandoquidem Tigris, Euphrates, Indus, & Ganges verſus Mare Caſpium inclinant ſuas Origines, à quo tamen invicem notabiliter ſeparari potuerunt propter motus, & concuſſiones terræ, ac præſertim propter univerſale diluvium: Si inquam ibi erat Paradyſus, ſequitur 1. ſolem fuiſſe productum in noſtro hemiſpherio, nam intra hoc eſt Mare Caſpiũ. Sequitur ſecundo, ſolem incæpiſſe eſſe, ac fulgere reſpectu mediæ Italiæ una hora antè Meridiem, & aliquibus Minutis, reſpectu verò mediæ Hiſpaniæ v.g. reſpectu Madriti, Toleti, Compluti &c. duabus horis, & aliquibus minutis ante Meridiem, has quippe horas dat his partibus Europæ ſol quandò diſtat 45. gradus à meridiano Maris Caſpii, quocirca illa prima dies ſolis, quarta verò mundi Longior fuit in regionibus occiduis, quæ in Orientalibus hujus hemiſphærii. Sequitur tertio Regiones noſtras ſubpolares habuiſſe primos illos ſex Menſes mundi, & aliquos dies ſolem continuum ſine interruptione (conſidera quem æſtum habuerint jam

ab initio Mundi, tametsi sol valdè obliquus illis sit, continua enim sex Mensium præsentia solis plus inducit ardoris, quam obliquitas minuit) regiones autem subantarcticas habuisse plusquam integros sex Menses, non quidem tenebrarum, quia multis diebus crepuscula lucis undiquè habebant; sed absentiæ solis, exceptâ primâ illâ die, in qua medietas solis circuibat orizontes omnes illarum regionum: Etenim sol in Ariete movetur versus nostrum polum, & recedit ab Antarctico, estquè apud nos per sex menses, & octo circiter dies, ut explicui in Philosophia naturali Disp. 4. à num. 57. Atqui ut supra dicebam sol productus fuit in Ariete; ergò à prima sua productione cœpit accedere subpolaribus nostris regionibus, & recedere à subantarcticis: Atqui postquam sol incipit moveri citrà Arietem non cessat illuminare per sex menses, & dictos dies, regiones nostras subpolares, nempè donec redeat in æquatorem per libram quia cum æquator sit orizon undiquè regionum earum, & hæ sint non in sphæra obliqua sicut nos, sed in sphæra recta, indè fit, quod sol non cessat videri in eis regionibus, si fortè ibi sunt, qui videant, in omnibus circulis, quos facit citrà æquatorem singulis diebus; & propter eandem rationem toto eo tempore non videtur à regionibus subantarcticis.

LXXIX. Verosimile denique est, Lunam fuisse productam in altero hemisphærio, & in sua plena illuminatione respectu terræ, hoc enim docetur in eo concilio Palestino, & consequenter fuisse Creatam in libra opposita Arieti, ubi, ut dixi, tunc erat sol, & consequenter in distantia æquali à meridiano Antipodum Paradysi, & ab hujus orizonte orientali, & consequenter illam productam fuisse plusquam tribus horis, antequam ascenderet hunc orizontem Paradysi, & consequenter illam incœpisse suos obliquos, & spirales circulos versus Polum nostrum, ut sequentem lunationem, seu novilunium faceret citrà æquatorem, ubi per dictos sex menses futurus erat sol; & consequenter primum fluxum nostri Maris fuisse horà sextà pomeridianà respectu Paradysi, quia tunc circiter luna erat in orizonte orientali Paradysi, quandoquidem tunc erat sol in occidentali (fluxus autem Maris super littora nascitur ex majore tumore aquarum quæ nequentes amplius ascendere, impetu diffunduntur super vicinam terram; major verò ille tumor provenit ex luna: Vide, quæ fusè scripsi hac super re in Philos. natur. Disp. 3. à n. 122.) & demum primos potentissimos fluxus & refluxus contigisse citrà æquatorem, quia hi contingunt in noviluniis, & primum novilunium fuit citrà æquatorem. Primum antecedens, ex quo hæc omnia inferuntur, videtur congruum rationi. Congruum enim est lunam à primo puncto suæ creationis incæpisse ministerium, ad quod per DEUM destinabatur; sed destinabatur, ut illuminaret terram, & præesset nocti, ut constat ex capite I. Geneseos vers. 15. ergò à primo puncto suæ creationis cœpit illuminare terram, & præesse nocti. At in hemysphærio, in quo fulget sol, non illuminat luna, nequè præest nocti; ergò non fuit producta in eo, sed in opposito; ergo si fuit productus sol in nostro hemysphærio, luna in altero fuit producta. Cæterum cum hæc omnia pendeant plurimum ex loco, ubi fuit plantatus Paradysus, & de hoc non conveniant Theologi, hac de causa non dixi illa, ut certa, sed ut verosimiliora duntaxat.

§. Tertius.

De Materia, ex qua facti sunt globi cœlestes, eorum impotentia cadendi in terram, habitatione, atque perpetuitate.

LXXX. QUæstionibus, quæ super unoquoque horum proponi possunt, respondeo: stellas fixas, nec non errantes, quarum neutras constat moveri retrograde, ut ostendi in Philos. naturali Disp. 4. num. 117. ex solo Elemento aquæ fabricavit DEUS aut se solo, aut Ministerio etiam Angelorum conglutinantium, ac coordinantium ex divino præcepto vastissima

ma illa corpora, ambo hæc probo ibidem à num. 28. & postea num. 74. ita sunt in editissimis eis locis, ut naturaliter ibi sint absquè ulla violentia, imo quamvis tam ingentia corpora sint, indè cadere non possunt sine violentia, ut ibidem probo num. 124. & seqq. Potuit DEus omnes illos globos replere creaturis, vel irrationalibus, vel rationalibus distinctis ab Angelis, & hominibus, imo hominibus etiam ex Adamo descendentibus, mutatâ tamen præsenti humorum complexione, ut ibidem dico num. 1. illuc translatis, sicut aliò translati fuerunt Henoc, & Elias, & prò quibus etiam offeretur sacrificium crucis: non enim detegitur in hoc ulla repugnantia contrà humanam naturam, aut contrà præsentem providentiam, quia illud *terram autem dedit filiis hominum*, impar est probando non dedisse illis habitationem extrà terram, cum multi filii hominum habitent jam in cœlo Empyreo: Absit tamen, ut dicamus hæc ita contigisse defacto; quamvis probabile sit alterutros eos globos multoties habitari transeunter saltem ab Angelis ab animabus, corporibusque beatis, quin propterea suo cœlo priventur, ut ibidem explico à num. 3. Neutri globi cœlestes destruentur simpliciter absolutè in ultima mundi periodo, juxta ea, quæ ibidem profero à num 5. singuli moventur per Angelos purè assistentes, non quidem instrumento materiali, sed potente sua volitione, quod ibidem probatum invenies num. 8. dant Angeli, Planetis, saltem unicum simplicem continuum motum, sed tribus æquivalentem, qui in diversis temporibus diversi sunt, & hoc ibidem explicatum invenies à num. 16. Planetæ non ex se habent lucem, quod conducit, ut plerique non scintillent, sed à sole illuminantur, secus stellæ fixæ, & propter hoc forsan scintillant, ut explico ibidem num. 70. & seqq. sunt corpora aspera, montuosa, scabrosa, altissimis montibus referta ut ibidem probo num. 72. Omnes demum globi cœlestes sunt capaces corruptionis partialis sivè alterationis, ut constat ex eis, quæ dixi ibidem num. 5. & sequentibus, & num. 106. & sequentibus.

§. Quartus.

De Animatione Stellarum utrarumque nempe errantium, & inerrantium.

LXXXI. ANtiquissimam hanc quæstionem de animatione cœlorum cum tetigisset Augustinus resolvere noluit, vel non est ausus, quia ut scribit in Enchiridio loquens de astris illis nunc existentibus, non est sibi exploratum & certum: *Utrum sydera sensum, & mentem habeant, & ad societatem beatorum Angelorum pertineant.* Pars affirmativa non potest adhuc censura Theologica notari à nobis, cum sit sententia ferè omnium antiquorum Phylosophorum, & multorum Theologorum, tum antiquorum, tum modernorum, quorum verba invenies apud vasquez, & Perer, & hactenus non est proscripta ab Ecclesia; sextus namque ille Canon quintæ Synodi generalis: *Si quis dicit cœlum, solem, & lunam, & stellas, & aquas quæ super cœlos sunt, animatas quasdam esse, & materiales virtutes, anathema sit*: non videtur habere aliud robur quam authoritatem Nicephori referentis illum; Deindè cum possibilitas metaphysica sit adeo ampla, tamque stupenda inveniamus, licet assiduitate jam viluerint, apud nos in animalibus rationalibus, in irrationalibus in terrestribus, in aquaticis, in volatilibus, tum quoad organizationem, fabricamque corporis, tum quoad phantasiam, & imaginationem, tum quoad instinctum, & inclinationes naturales: cum id inquam ita sit, ægrè admodum ostendentur duo contradictoria, aut aliud simile, contrà principia prudentiæ absurdum, in eo, quod possint esse creaturæ viventes, vita utique rationali, vel saltem sensitiva, vel saltem vegetativa, quæ suapte natura sint determinatæ ad illam vastitatem, ac figuram corporum, ad illum fulgorem, influxus, & qualitates alias, quas sensu, & ratione deprehendimus in hac luna, in hoc sole in his Planetis, & stellis fixis. Capacitas enim intelligendi, aut saltem crescendi

Lib. 2 de Genes.

Idem in Ench. c. 58.

Vasquez in 1. Perer. lib. 2. in Genes. 9. 7.

Nicephor. lib. 77. cap.

scendi per nutritionem usquè ad certum terminum magnitudinis, sicut crescunt hæc alia viventia nobis nota, non videntur opponi essentialiter cum mole, figura, splendore, & aliquibus aliis, quæ semper experimur, & notamus in astris; Unde meritò scripsit Scotus: *Si astra non sunt animata, id creditum erit potius quam demonstratum.* Nemo enim hactenus demonstravit, immo nequè modo ordinario probavit Metaphysicam impossibilitatem creaturæ rationalis, vel saltem sensitivæ, vel saltem nutritivæ ex infinitis possibilibus, quæ suaptè natura sit capax habendi illam magnitudinem, illum motum, & splendorem, quem defacto habent hæc sydera: Et meritò etiam dixit Augustinus, quod citavi ex Enchiridio.

Scotus in 2. dist. 14. q. 1.

LXXXII. Profectò inter perfectissimam speciem irrationalium, quæ defacto datur, & speciem humanam, datur non modica distantia, ergo possibilia sunt animalia perfectiora irrationalibus, quæ de facto existunt, & imperfectiora hominibus, eo quod vi spiritualiter cognoscitiva careant: Cur igitur non erit possibilis metaphysicè animalium species, æquè vastorum, velocium, & splendidorum, ac sol, sed quæ non sint discursiva, neq; capacia, amicitiæ cum DDO, sicut est homo, rursus inter speciem humanam & Angelicam infimam non datur levis distantia, illud enim *minuisti eum paulo minus ab Angelis* de solo JEsu Christo intelligere videtur Paulus; ergo possibilia sunt multa rationalia imperfectiora quidem Angelis, sed perfectiora hominibus; ergò quæ naturaliter habeant corpus æquè magnum fulgidum, ac mobile, atquè Sol, Luna, Jupiter, Venus &c. & hoc sivè elevanda essent per DEUM ad finem supernaturalem, sive relinquenda ad finem naturalem, ut potuit DEUS relinquere nos omnes. Quod si dixeris, possibilem quoquè fore creaturam rationalem, quæ naturaliter habeat corpus omninò simile quoad quantitatem, figuram, & reliqua huic pennæ, huic papyro, huic atramento, vel asino, vel fungo, vel saxo, vel flumini, vel mari, & sic

Psam. 8. Ad Heb. 2.

erunt metaphysicè possibilia Maria, flumina, lacus, rupes, quæ sint viventia sensibilia, immo, & rationalia. Respondeo similibus ridiculis consequentiis subvertere licet ridiculas species rerum, ea sola ratione assertas, quia non ostenduntur in eis duo contradictoria, ut notavi in dialectica Disp. 2. num. 20. & in Physica speculativa Disp. 1. num. 39. sed in præsenti non licet istis nugis uti, cum tantus, ac talis Doctor Augustinus dubius fuerit in re præsenti de animatione astrorum, & non quidem circa meram possibilitatem, quam solam nunc disputo, sed circà actualitem existentiam, & in eam adeò inclinet similis alius vir, nempe S. Thomas, qui profectò in summa Theologica non corrigit, ut putat Perer, quod aliquando scripserat de cœlorum animatione, quoniam aliud est, quod *Angeli* non sint animæ cœlorum, & hoc est, quod merito docet 1. Thomas Cap. 1. & de hoc non est quæstio præsens: Aliud autem, quod cœli non habeant animas intelligentes, quæ sint entia incompleta, sicut cæteræ formæ substantiales (num homines non habemus animas rationales, quamvis nostra corpora non informentur ab Angelis) & consequenter quæ sint distinctæ ab Angelis, qui sunt entia completa, & consequenter sunt incapaces, ut cum corpore cœlesti constituant unum per se. Hoc non corrigit in ea prima parte 5. Doctor, & hoc est, quod dico esse metaphysicè possibile.

S. Thom. lib. 2. cap. 4. Idem lib. 3. cap. 9.

LXXXIII. Igitur supposito, animas humanas non posse informare naturaliter ista corpora, de quibus procedit objectio, quia non potuit informari naturaliter corpus quod naturaliter habet organizationem, & dispositiones alias, permanenter utiquè, ac juxtà suam specificam constitutionem, quæ oppositæ sunt rationali omni functioni animarum ipsarum, quam organizationem non habent naturaliter, ac permanenter, sed solum per accidens corpora eorum hominum, qui sunt perpetuo amentes, papyrus autem hæc, atramentum, penna, fluvius, Mare, saxum, &

S. August. Retract. cap. 5. & Idem cap. de immor. anime. Idem lib. de Music. cap. 14.

& similia corpora ut talia, naturaliter, ac per se habent eam coordinationem partium, easque dispositiones, quæ naturaliter sunt oppositæ omni functioni rationali nostrarum animarum, ut certum videtur. Hoc inquam supposito, dico. Cum inter rationalitatem humanam, & Angelicam, immo inter Angelicas ipsas rationalitates detur *magis* & *minus*, & quidem ex illis *magis*, & *minus*, quæ mutant speciem, fundamentum habemus, ut censeamus possibiles esse animas rationales suaptè natura minus intellectivas, quam humanas; hæ namquè nequè omnium maximè, nequè omnium minimè intellectivæ sunt, quæro nunc. Vel in istis corporibus sunt connaturales dispositiones ad functiones naturales animarum illarum, quæ magis, aut minus intellectivæ sint, quam humanæ, quarum naturam perspectam non habemus, sed valde abstractivè cognoscimus; vel non sunt: si primum, propter istud idem sunt possibilia ista rationalia, quorum corpus sit instar fluvii, instar maris, instar papyri &c. si secundum propter istud idem non sunt possibilia; tu tibi responde, & responsione tua satisfac ridiculis istis sequelis. Possibilitas autem rationalis creaturæ, quæ corpus habeat instar solis hujus, lunæ &c. non est ridicula, aut ex terminis contrà principia prudentiæ, cum de actuali existentia, quæ profectò aliquid magis est, quam mera possibilitas, dubitet magnus ille vir Augustinus suprà citatus, & eam defendant ferè omnes prisci Philosophi: Imo Augustinus ipse revocat non tanquam falsam, sed tanquam rem sine fundamento sententiam, quam semel, & iterum docuerat, videlicet, mundum esse quoddam ingens animatum corpus, hoc est quoddam ingens animal, quia, inquit, *hoc neque est, nequè non est sibi exploratum*: Igitur impotentia, vel magna saltem difficultas ostendendi in objecto aliquo duo contradictoria, non probat subito objectum illud esse possibile, ut dixi in eis locis dialecticæ, atquè Physicæ; sed ad summum probat non esse impossibile, *attentis solis principiis metaphysicis*, sed cum propter hæc debeant quoquè attendi principia prudentiæ, penes quam stat directio, & pedagogia humanorum judiciorum, & discursuum, fieri potest, quod non demonstretur impossibilitas in objecto, quod disputatur, & tamen quod sit ridiculum, alienumquè à prudentia asserere absolutè objectum illud esse possibile: Id contingere potest in istis rupibus, fluviis, maribus, papyrisve rationalibus, quæ ut absurda objiciuntur, non autem in sole, luna, sideribusque rationalibus, seu habentibus rationalem animam; Aliqua enim reverentia debetur magis illis viris, qui loquentes de facto ipso, & de astris nunc existentibus, id affirmant, vel saltem dubitant.

S. Aug. Retract. cap. 5. & 11. Idem cap. 5. de immort. anim. Idem lib. 6. de Musica cap. 14.

LXXXIV. Nihilo tamen minus absolute dicendum videtur, neque solem, neque ullum aliud sydus esse defacto animatum ulla ex tribus animabus hactenus notis, videlicet rationali, sensitiva, ac nutritiva; Et tacitas præteriens alias rationes, quas producit Perer, quæ mihi non probantur, arguo I. negative, quod argumenti genus efficacius est in rebus de facto: Nulli entitati defacto existenti danda est positiva magna perfectio absquè positivo magno fundamento; At anima, seu forma vitalis nutritiva, vel sensitiva, vel præsertim rationalis, est positiva magna perfectio, & nullum est positivum magnum fundamentum, ut ipsam demus ulli syderi, ex his, quæ defacto existunt; probatur. Primum fundamentum est authoritas magnorum virorum, qui hanc animationem docuerunt, qua etiam utitur Hyeronimus, v. g. poeticum illud; *Lucentemquè globum lunæ, titaniaque astra, spiritus intus alit*, quod ex platonica schola didicit virgilius, sicut multa alia, quæ ibi dicit nomine Anchysis. Sed authoribus istis adversantur Basilius, Ambrosius, Cyrillus, Lactantius, & alii videndi apud pererium egregie refutantem Origenem, qui ex eadem platonica schola voluit inducere in Ecclesiam doctrinam istam de animatione astrorum & S. ipse Hyeronimus

Perer. lib. 2. in Genes.

S. Hyeron. in Eccles.

mus ad Avitum scribit, hunc fuisse unum ex erroribus Origenis: Secundum est, quod Ecclesiastes loquens de sole inquit, *lustrans universa in circuitu pergit spiritus, & in circulos suos revertitur*, & Davit scribit de DEO: *Fecit cœlos in intellectu*, & DEUS ipse dicit per Isaiam: *Manus meæ tetenderunt cœlos, & omni militiæ eorum ego præcepi*; sed hæc non urgent, quia vox illa *spiritus*, qua utitur Ecclesiastes, potest significare sine violentia Angelum circumducentem ab ortu in occasum solem, jam versus unum, jam versus alterum polum mundi, jam sursum versus stellas fixas, jam deorsum versus terrã; aut potest significare subtilissimũ, & simul vehementissimum ardorẽ ipsius solis, sicut vox eadem illa frequenter significet in scriptura ventum, quẽ certè non dices esse animatũ anima spirituali, nempè quia, ut ostendi Decade III. num. 92. scriptura solet loqui de rebus *non prout sunt* physicè, ac realiter, sed *prout apparent esse*; rursus illud Davidis, quidquid dicat Cajetanus, non probat: quia vox *in intellectu* non probatur cadere supra effectum, cum certum sit cadere supra causam, quatenus DEUS non temerè, fortuitò, ac tumultuariè condidit globos cœlestes; sed *in intellectu*, hoc est in summa sapientia, & prudentia combinavit, & coordinavit vastissima illa corpora, & eorum motus, atquè influxus, ut sapientia ipsa divina testatur, inquiens: *Quando præparabat cœlos aderam.* Demum argumentum ex verbis Isaiæ satis apertè confutat Hyeronimus epistola illa inquiens: *Non recordantes, quod in Jona scriptum sit: Præcepit Dominus spiritui comburenti, & rursum præcepit vermi matutino, & quod in Evangelio Salvator ventos, & mare increpaverit, in quibus sensum, atque rationem non esse perspicuum est.*

Eccles. 1.

Isai. 45.

Job. 25.

LXXXV. Tertium fundamentum est, quod apud Jobum dicitur: *Stellæ non sunt mundæ in conspectu ejus*: Undè origenes censuit astra hæc, quæ videmus esse entia rationalia virtutum & vitiorum capacia, & propter peccata quondam commissa, damnata esse ad quotidianos, quos habent rapidissimos motus duraturos usquè ad diem judicij, & non amplius, & Christum pro illis mortuum fuisse, in quod commentum detorquere poterat Apostolicum illud: *Pacificans per sanguinem crucis ejus, sivè quæ in terris sivè quæ in cœlis sunt*; sed imprimis testimonium illud non est Canonicum, quia non dicitur à scriptura sed refertur ut dictum, à quodam Baldad importuno amico Jobi. Deindè astra sunt physicè, ac realiter immunda in conspectu DEI, ut constat ex fumis, vaporibus, exhalationibusquè, quas ex se mittunt, ut in planetis, maximè in sole observatum est, & ex quibus formentur Cometæ, qui inventi sunt altiores luna, imo ex saturno, nec non ex novis stellis multoties visis inter fixas; quæ phænomena pluries contingunt à parterei, quam à nobis videantur, quia duntaxat videre possumus ista phænomena, quando nocturna sunt, & quandò vastissimam habeant molem, ac densitatem, necessarias utiquè, ut ex tanta distantia possimus illa notare: Quia autem sydera omnia non sunt destruenda, sed renovanda, & purificanda ab omnibus, quas modò habent fæcibus, ut expono in Philosoph. nat. Disp. 4. num. 5. Idcircò *erit lux lunæ sicut lux solis, & lux solis erit septempliciter* juxtà Isaiam capite 30. non verò quatenus creanda sit alia luna, aliusquè sol, quæ substantialiter distinguatur ab his, quæ modò existunt, ut minus verè censet Cornelius in Genesim de opere quarto diei. Præterea sunt immunda in conspectu DEI, sicut etiã fulgentissima fax nostrarum dicitur non lucere in conspectu solis meridiani, juxta principium, quod sancivi decade 4. n. 1. videlicet solere scripturam in concursu duorum negare uni illud, quod revera habet, sed est longè minus, quam id, quod competit alteri: cumq; tota mundities physica, & materialis astrorum, tametsi considerentur absq; illis fæcibus, ex quibus evadunt prædicti fumi, & vapores, sit instar nihili respectu DEI, hac de causa dici possunt stellæ non esse mundæ in conspectu illius.

LXXXVI. Quartum fundamentum depromit Cajetanus ex præfatione Missæ, ubi dicimus, *laudant Angeli adorant dominationes, tremunt potestates, cœli cœlorumquè virtutes ac beata sera-*

seraphim &c. Illud *cœlorumquè virtutes*, non significat Angelos motores astrorum, quia jam præcesserat, *laudant Angeli*, & necesse non erat redire ad idem; Item non significat virtutes, seu vires, seu activitates naturales Cœlorum, quia hæ utpotè proprietates, ac passiones illorum sufficienter explicatæ fuerant voce illa *Cœli*. Restat ergò, quod significet animas intrinsecè componentes atquè animantes Cœlos ipsos; ergo hi sunt animati, & quidem animabus DEUM laudantibus: mirum est quod hic author voce illa *Cœli* intelligat naturales virtutes, passiones ac proprietates physicas Cœlorum, & non intelligat potiore jure animas, si hæ componunt intrinsecè, atquè animant Cœlos, cum vox quælibet jure potiore significet constituva physica essentialia sui objecti, quandò hoc habet illa, quam proprietates, quæ sunt extrà essentiam physicam: Igitur vox illa cœlorum *virtutes* potest significare Angelos motores Astrorum, qui prius explicantur voce illa generali *Angeli*, & postea voce explicante proprium illorum ministerium; sicut etiam dominationes, potestates, seraphim, licet etiam sint Angeli, vocequè illa generali priùs significantur, denuò rursus nominibus propriis specificis significantur: Quod si dixerit obstruendi causa hanc rimam, voce illa *Angeli* non significari omnes Angelos, sed solos infimos primæ Hierarchiæ, undè sapienter explicantur posteâ dominationes, potestates, atque seraphim, nempè altiorum ordinum Spiritus; Idem dicam de Angelis astrorum motoribus, nempè hos esse ordinis altioris suprà infimum chorum infimæ Hierarchiæ, & consequenter non significari voce illa *Angeli*, sed propria, & specifica illa altera significante, non quidem naturam, sed ministerium *virtutes Cœlorum*. Rursus hæc vox potest significare etiam naturales virtutes, ac proprietates cœlorum, quià licet hæ consequantur ad illorum essentiam, ab hac tamen realiter distinguuntur, & hæc potest metaphysice separari ab illis: Undè & cœli, & cœlorum virtutes dici possunt laudare DEUM, quatenus sunt motivum potens, ut creaturæ rationales illum laudent; eo modo quo in cantico *Benedicite*, & in Psalmo *Laudate Dominum de Cœlis*, invitantur creaturæ irrationales, & inanimes ad benedicendum, & laudandum Deum.

LXXXVII. Quintum est, perfectius fore cœlum perfectioraquè fore astra, si ab intrinseco moverentur: cum perfectius sit movere se ipsum, quam moveri ab alio juxta Aristotelem, transeat sequela; sed necessarium non est, quod existat defacto quidquid entitativè, ac secundum se est perfectius, cum certum sit posse DEUM producere infinitas alias creaturas entitativè in se perfectiores illis, quas defacto produxit, siquidem sua potentia est infinita. Fateor DEUM non posse facere, nisi *optimum*, sed in eo sensu, quem explicui tract. de DEO Disp. de volunt. DEI; Est utique necessitatus ad *optimum*, quod tale sit, non quidem physicè materialiter & entitativè quasi non sit possibile metaphysicè quippiam quod entitativè in se sit melius eo, quod DEUS defacto fecit: Quoniam id inferret omnipotentiam DEI esse limitatam, sed *ad optimum*, quod tale sit, optimitate, ut ita dicam prudentiæ, ac sanctitatis &c. Et hoc in sensu tantum conditionato, quatenus est penitus necessarium, quod hic, & nunc atque in his determinate circumstantiis sit dicta optimitate optimum, id quod in his circumstantis DEUS facit; Cum enim non sit alia regula primaria, & ultima prudentiæ, ac moralitatis, quam divina voluntas, necesse est, quod hic, & nunc atque respective ad has circumstantias sit optimum optimitate dicta res A ex hypothesi, quod hic, & nunc, atque in his circumstantiis DEUS ut Author faciat illam; ergo quamvis alias perfectiora essent astra physice, ac entitative, perfectiorque similiter esset Mundus, si illa essent animata anima intelligente, attamen hic, & nunc ex hypothesi, quod DEUS voluerit condere Astra inanimama-

mata, hæc sunt optima optimitate dicta: Tum quia hæc sunt volita per DEUM, secus illa, tum quia hæc existunt physice, ac realiter secus illa. Reassumo igitur argumentum supra datum: Nulli entitati de facto existenti concedenda est positiva magna perfectio absquè positivo magno fundamento; alias aperietur Paradysus, quem ajunt stolidorum, qui pulchris, & amænis pasci solent imaginationibus, sed vanis, & insubsistentibus: At anima verè, ac propriè talis; hoc est, quæ sit rationalis, vel saltem sensitiva, vel saltem nutritiva, est magna positiva perfectio: Deindè nullum ex istis quinque fundamentis hactenus excogitatis est sufficiens, ut illam concedamus astris defacto existentibus; ergò non est concedenda.

LXXXVIII. Addo, non carere pondere rationem illam sumptam ex divina probatione. *Ne fortè elevatis oculis ad cœlum, videas solem, & lunam, & omnia astra cœli, & errore deceptus adores ea, & colas, quæ creavit Dominus DEUS tuus in ministerium cunctis gentibus*: De cujus præcepti violatione arguuntur Hæbrei quidam ab Ezechielem, *& adorabant ad ortum solis*, & alibi non rarò: Etenim verbis illis Deutheronomij non solum jubebantur hæbrei non adorare astra, ut *DEUM*, hoc est cultu *latriæ*, verum etiam adorare, ut creaturas dignas, quas homo, qui DEI est imago, Coleret, ac veneraretur, quandoquidem dicuntur facta, sicut terra, & mare, in ministerium, seu famulatum cunctis gentibus: Si enim forent creaturæ rationales, & sanctæ, non prohiberetur illarum proportionata adoratio cultus, & veneratio; sicut nec propter periculum idololatrandi fuit prohibitus cultus Angeli illius, qui inducturus erat Hæbreos in terram promissam, immo positivè præceptum fuit: *Observa eum, & audi vocem ejus; nec contenemndum putes, quia non dimittet cum peccaveris, & est nomen meum in illo*; sicut etiam præceptum est honorare majores. *Honora personam senis*, & parentes venerari jubemur

Deut. 4.

Ezech. 8.

Exod. 23.

Levit. 19.

passim: si ergo sol luna, & reliqua astra rationalia, imo & sancta essent, cum ex alia parte tot commoda ex illis habeamus, & tanta annositate præcedant nobis, adorare, & colere deberemus illa cultu saltem, & adoratione, quæ debetur personis graviſſimis, & insigniter benefactricibus: Atquì hoc prohibetur; Ergò sunt inanimes subsstantiæ. Parco alijs rationibus, quæ magis oratoriæ sunt, quam Philosophicæ.

CAPUT VIII.

De Operibus Diei quintæ.

LIX. DUo fuerunt illa, nempè pisces, & aves. Scribit enim Moyses: *Dixit etiam DEUS. Producant aquæ reptile animæ viventis, & volatile super terram &c.* sive ut legunt Hæbraica, Caldaica, *& volatile volet super terram*; ubi vox illa *reptile* non significat hæc terrestria reptilia, quorum proprium domicilium est extrà aquas, quia de hujusmodi scribitur fuisse facta die sexta: Dixit quoque DEUS: *Producat terra animam viventem in genere suo jumenta, & reptilia, & bestias terræ &c.* Illa itaquè prima reptilia sunt pisces omnes, qui cum plerumque non habeant pedes sed supra pectus, & ventrem gradiantur per aquas, reptiles dici possunt, & quidem super terram licet non immediatè, sed mediatè, quemadmodum etiam dicitur *volatile super terram*, pisces namque natant per aquas, quibus terræ superficies supposita est, & volucres volant per aërem, cui similiter supponitur terra. Rursus neque vox illa significat ea amphibia, in quibus prævalet genus terrenum v.g. testudo: sed ea, in quibus prævalet genus aquatile, v. g. rana, & monstra, qua vocantur piscis homo, piscis mulier. De amphibiis enim physophandum videtur in ordine ad diem, in qua, & in ordine ad materiam ex qua fuerunt formata, sicut de Hermaphroditis in ordine ad personam, quã agere debent in matrimonio. Item voces illæ *reptile*, *volatile* non significant aquatica, aut aërea animalia,

Genes. 1.

Genes. 2.

quæ

quæ licet interdum fiant per generationem plerumque tamen, aut sæpius fiunt ex putri aquarum (ut multiplex illud genus conchiliarum, quarum domus concrescit ex salinis spiritibus aquarum per accidens concurrentibus sub innumeris figuris, & coloribus jam in majore, jam in minore quantitate in diversis particulis aquæ, intrà quos spiritus tenaciter obduratos formatur illæ vermis aqueus) aut ex putri aëris, nempè, ex mordacibus exhalatiunculis erumpentibus ex globo terraqueo, aut ex cadaveribus, ut muscæ, vespæ, culices, apes &c. quia tunc nondum invaserat tam citò hæc corruptela elementa illa. Præterea neque voces illæ significant animalia aquatica, aut aërea quæ fiunt ex commistione aliarum cum aliis specierum, quia fundamentum non est, ut dicamus animalia alterutra in prima ipsâ die suæ productionis declinasse ad fœminas diversæ speciei, & has concepisse, & in illa ipsâ die peperisse: Denique modum, quo imperfectorum eorum animalium generatio contingit explicui in Philosophia naturali Disp. num. 216. Pisces, & illorum multiplicationem ibidem num. 80. & sequent. Quod attinet ad volucres ibidem à num. 258. explicui octo propositionibus quæ illarum sunt propria, à quibus omnibus propter hanc rationem abstineo modò.

XC. Objicies ex pererio tres rationes ad probandum volucres non fuisse formatas ex aqua 1. juxta scripturam: *Formatis Dominus DEUS de humo cunctis animantibus terræ, & universis volatilibus cœli adduxit ea, &c.* ergò volatilia fuerunt formata etiam ex humo. Nego, quia ut ipse notat, illud *&* non nectit volatilia cum humo, sed cum illo *formatis*, & syntaxis est. Formatis de humo cunctis animantibus, & formatis universis volatilibus, ut jam dixerat die quinta, adduxit ea ad Adam. Ratio est, tum Authoritas hymni Ambrosiani, quem dicimus in vespere færiæ quintæ, ubi loquentes de piscibus, & volucribus, inquimus. *Ut stirpe ab unâ prodita, diversa repleant loca*; Ergo pisces, & volatilia fuerunt ex eadem stirpe, seu origine: At pisces fuerunt ex aqua; ergò etiam volatilia. Tum authoritas capitis primi geneseos. *Producant aquæ reptile animæ viventis, & volatile super terram*; Et quamvis hæbrea, ac Caldaica addant *volatile volet super terram*; nihilominus Græca, & Latina legunt sicut dixi: & licet legeretur illud *volet*, non officeret, immo faveret, ut quid enim juberentur aves die quinta *volare*, si non tunc ex aqua sed die sexta ex terra formatæ fuissent; Et ecce solutam secundam objectionem, tum quia novum non est in scriptura nectere nomen, non cum immediatè, sed cum remotè præcedente; ergò absque vi, & tormento verborum potest illud *volatilibus cœli* necti cum illo *formatis* & non cum illo de *humo*: Antecedens ex quo probavi decâde III. Regularum scripturæ num. 75. aliquas scripturæ propositiones, quæ videntur affirmativæ, esse negativas, ostendi, ibi ex Davide ajente. *Non avertas faciem tuam à me, & similis ero descendentibus in lacum*; hoc est, *& non ero similis*, ubi illud *&* nectit, *similis ero* cum remoto illo *non*; Item ex illo Salomonis: *Non didici sapientiam & scientiam sanctorum novi*, hoc est, *& non novi*, ubi illud, *&*, ligat *novi* cum longinquo illo *non*, quæ expositio congruit versui immediatè antecedenti prolato à quodam Agur juxta textum Hæbreorum: *Stultissimus sum virorum, & sapientia hominum non est mecum*: Item ex illo Isaiæ. *Non erat aspectus & desideravimus eum*, hoc est, *& propterea non desideravimus*; Ubi cernis idem: Non ergo erit syntaxis aliena ab scriptura, maximè additis duabus, quas dedi authoritatibus, nectere illud *volatilibus cœli* non cum illo de *humo*, sed cum illo solo remoto *formatis*. Hic discursus si tibi acclivis videtur, dicito volatilia facta fuisse ex aqua, & ex humo, ex illa primariè, & hac secundariè; quatenus facta fuerunt, juxta Augustinum, & Rupertum, ex aqua vaporosa ascendente in Atmosphæram, in qua innumeræ sunt attomi pulveris, & terræ, ut constat; ergò fuerunt

Pro. Genes. & volunt volet non lia, n est scri- quo- mvi- repti- e pri- , qui bedes dian- nt, & im- dmo- r ter- quas, a est, ui fi- s ne- ia, in n v.g. valet non- piscis loso- iem, m ex Her- nam, Item igni- alia, æ

Genes. 2.

Pſ. 142.

Prov. 30.

Iſa. 53.

Aug. 3. de Gen. cap. 3.

facta etiam ex humo, id est pulvere leviſſimo per atmosphærã vagantẽ. III. objectio eſt, animalia fuiſſe producta ex elemento, in quo degunt; ſed volucres plerumque ſaltem non degunt in aqua; ergo. Ad hoc nuper reſpondit Auguſtinus, & cum eo Rupertus, aquam, ex qua formatæ fuerunt volucres, non fuiſſe hanc craſſam, & fluidam maris aut fluminum, ſed vaporoſam, & aëream, quales ſunt nebulæ quæ aquà leviſſimà, & quaſi pulvere aquæ, nec non aëre conſtantes, naturaliter vagantur per atmoſphæram inter cœlum, & terram: Hac ex aqua formatæ ſunt volucres, quarum complexio eſt aëra, & aquoſa, & quarum locus eſt inter cœlum & terram.

CAPUT IX.

De Operibus Diei Sextæ.

XCI. DUo etiam fuerunt illa: Primum animalia irrationalia terreſtria, non quidem quæ ex putri naſcuntur, aut ex commiſtione aliarum cum aliis ſpeciebus, aut quæ amphibia ſunt, prævalet tamen in illis qualitas aquea, aut aërea, ut nuper philoſophabar; ſed quæ ſimpliciter ſunt terreſtria, & per ſolam generationem ex mari ac fœmina ejusdem ſpeciei habentur: Hæc animalia fuerunt tempore poſteriora ad alia, & ex materia viliore facta, quamvis, ut probat Perer in opere diei quintæ, ſint perfectiora piſcibus: ſecundum opus fuit homo: Nempè quoad marem, & fœminam. Hæc duo opera ſextæ diei conſtant ex ſcriptura ajente. *Genes. 1.* *Fecit DEUS beſtias terræ juxtà ſpecies ſuas, & jumenta, & omne reptile terræ in genere ſuo, & vidit DEUS quod eſſet bonum, & ait faciamus hominem &c. Et factum eſt veſpere, & mane dies ſextus.* Hinc ſicut in pompis noſtris ſolennibus perſonæ minus nobiles præcedunt, nobiliſſimæ autem ſunt ultimæ, ut illæ quaſi præparent viam, concilientquè authoritatem his, ita in creatione hujus mundi viſibilis, præſcindendo ab Angelis, ignobiliora fuerunt primo producta, poſteà producta fuit omnium nobiliſſimum, nempe homo ad imaginem, & ſimilitudinem DEI, atquè ut præeſſet piſcibus maris, volatibus cœli &c. Primum enim opus viſibilis & materialis mundi fuit Empyreum, elementa, & lux primitiva: Secundum, cœlum chryſtallinum, tertium fuit mare non quoad ſubſtantiam, ſed quo ad locum cum omnibus viventibus merè vegetabilibus, quartum fuit ornatus totus ſydereus, quintum numeroſus populus piſcium, & volatilium, ſextum, animalia terreſtria, & homo: Primus quidem vir, poſteà fæmina: Sed graviſſima alia ſex contigerunt in hac ſexta die. I. Intromiſſio Adami in Paradyſum extrà quem ſanè creatus fuerat: *Tulit ergo Dominus DEUS hominem, & poſuit eum in Paradyſo voluptatis*; ſi namque in illo creatus fuiſſet, improprius valdè eſſet ille ſermo *tulit hominem, & poſuit eum in Paradyſo*: hic ſanè modus loquendi ſatis clarè innuit hominem alibi exiſtentem illinc fuiſſe adductum ad Paradyſum, aut per Angelum externâ figurâ illum ducentem, aut per internam inſpirationem DEI. II. Conceſſio aliorum fructuum, *ex omni ligno Paradyſi comede*: Gen. 2. quæ verba conceſſionem ſolam ſignificant, non autem præceptum alias peccaviſſet Adamus non incipiens illico manducare ſingulos fructus arborum illarum, & hæc conceſſio ampliſſima facta videtur, tum quia immediatè imponenda erat lex illa: *De ligno autem ſcientiæ boni, & mali nè comedas*: Decebat autem, ut ſeveræ prohibitioni complanaret viam liberalis conceſſio, tum quià immediatè antè iniunxerat DEUS homini cuſtodiam, & culturam Paradyſi, ut operaretur, & cuſtodiret *illum*, (qui articulus in hæbreo cum ſit fœmineus non poteſt cadere ſuprà hominem, ſed ſuprà Paradyſum) dignus eſt autem operarius mercede ſua: verba illa, *de ligno autem ſcientiæ boni, & mali ne comedas* immediatè, ac directè ſoli Adamo fuerunt dicta, cum nondum facta fuiſſet Eva, ſed huic per Adamum fuerunt notificata. III. Adductio coram Adamo omnium animalium terræ, & aëris (non verò aquæ,

aquæ, quià hæc sinè miraculo non possent tamdiu conservari extrà aquas in Paradyso terrestri, & quia non futura erant tam familiaria hominibus, quam illa utraquè altera) nec non impositio nominum: IV. sopor Adami, qui profectò non fuit ex fatigatione in tot nominibus imponendis cum signanter dicat scriptura: *Immisit ergò Dominus DEUS soporem in Adamum*, effectus autem DEI, ut causæ naturalis, & universalis, & consequenter somnus ex fatigatione derivatus, non est cur DEO singillatim, & specialiter tribuatur. V. formatio Evæ, quia hæc formata fuit antè diem septimum, in quo DEUS cessaverat ab omni opere suo. VI. Matrimonium Adami, & Evæ, *relinquet homo patrem suum, & matrem, & adhærebit uxori suæ.* VII. Præceptum de multplicatione, *replete terram.* VIII. Imperij concessio super cætera animalia: *Dominamini piscibus maris &c.* IX. Repetitio concessionis cæterorum fructuũ præsente jam Eva: *Ecce dedi vobis omnem herbam &c.* Unde concessionem immediatè ac directè manifestavit DEUS Evæ; prohibitionem vero jam factam omisit tunc, manifestandam verò Evæ per maritum, ut illa credens authoritati hujus testificantis eam divinam prohibitionem, inciperet marito subjici subjectione imperfectioris personæ ad perfectiorem, quam haberet fœmina respectu viri, etiamsi ambo perseverassent in statu innocentiæ.

XCII. Hinc I. si Eva sola comedisset ex arbore illa peccasset quidem graviter, quia revera tenebatur præcepto illo, ut ipsa tassa est, inquiens: *De ligno quod est in medio Paradysi præcepit nobis DEUS, ne comederemus*, Ast sobolem non inficeret, quia peccatum originale non pependit ex peccato Evæ, quamvis nonnunquam matres etiam infament filios apud homines, sed solius Adami, qui utpotè caput familiæ, hanc nobilitaturus, aut infamaturus erat; tametsi enim voce, *homo*, significetur etiam Eva; veruntamen unius solius meminit Paulus, quandò agit de peccato originali: *Sicut per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, & per peccatum mors &c.* & iterum: *Si enim unius delicto multi mortui sunt*: Et iterum *sicut per unius delictum in omnes homines in condemnationem, &c.* semper igitur uni soli imputat nostram mortem: Ergò vel soli Adamo, vel soli Evæ. Sed non huic soli, ut constat; Ergò etiam si Eva comedisset, modò Adam abstinuisset, nos non periissemus, quamvis ex matre peccatrice descenderemus. Sic Jonathas non desinebat esse primus Princeps regni, quamquam ex matre parum pudica ortus juxtà opprobrium à suo patre ipsi objectum *fili mulieris virum ultro rapientis*: sic Phares Booz, Obed, Salomon non desierunt esse principes in tribu Juda, tametsi ex matribus non valdè honoratis orti, juxta Matthæum. II. Si Eva abstinuisset, Adamus verò comedisset, omnes corrupti nascerem9 etiã ex Innocente matre, quoniã hanc originalẽ infamiam annexuit DEUS, quia voluit, peccato primi, non primæ parentis, ut dixi. III. Si tam Adamus, quam Eva patrasset aliud peccatum grave, non verò illud gulæ, non corrupissent nos: Quia non de quovis lethali, sed de illo determinato in specie dixit DEUS: *Morte morieris* IV. idem dicendum, si quamvis Adamus plenè consensisset internè coram DEO in commestionem illam, & consequenter jam peccasset graviter in foro conscientiæ; nihilominus inter pomum accipiendum, manum posteà retraxisset, aut in guttur suscepisset, ità ut protinus illud totum rejiceret, & nihil illius in stomachum descenderet. Nostra quippe perditio alligata erat *soli commestioni* verè, ac simpliciter tali, sicut gratia Eucharistica alligata est manducationi vere tali Corporis Christi Domini, & non licet onerosam illam legem ampliare. At nisi cibus ex ore per guttur in stomachum trajiciatur, non datur commestio verè ac simpliciter talis, cum hujus essentia stet physicè ex parte rerum in eo, quod cibus ex ore per guttur descendat in stomacum: Ac propterea dicebam disputat. I. de Sacramentis, non suscipere gratiam Eucharisticam, illum; qui Eucharistiam

Ad Rom. 5.

1. Reg. 20.

Matth. 1.

tan-

tantum habet in ore, vel tantum in gutture vel tantum adhærentem superiori parti interioris pectoris, quia nil ex his est verè, ac simpliciter manducare, donec cibus cadat in stomachum (licet *deglutire* propter magnam propinquitatem cum eo, quod cibus cadat in stomachum, vocari soleat *manducare*, quam univocationem actus primi cum actu secundo esse frequentem in scriptura ostendi Decade III.) & constare videtur in eo, quod homines respiratione attrahentes subtilissimas portiunculas carniũ, vel alius cibi sparsas per aërem, quandò cibus assatur, vel coquitur, non frangunt jejunium naturale requisitum ad Eucharistiam suscipiendam, quoniam subtilissimæ illæ portiunculæ carnium per aërem sparsæ (ut vestes illorum hominum, nec non odor, & pinguedo ostendunt, quibus homines illi afficiuntur propter continuam attractionem spirituum carnium, quibus refertus est ille aër, in quo degunt) nec censentur, nec sunt cibus usualis, & communis, & trajectio illarum in stomachum non est trajectio quæ dicitur aut censetur commestio usualis & communis; ergò: V. An Adamus, vel Eva, vel ambo ejcerentur in his casibus à DEO extrà Paradysum, nescimus. Quis enim cognovit sensum Domini; Pendet hoc ex divina voluntate hactenus non revelata. Videtur tamen certum, aut ambos ejiciendos, aut ambos retinendos, ne protinus separentur illi, quos DEUS ipse conjunxerat; & ne impediretur illud. *Crescite, & multiplicamini.* VI. Si utroquè primo parente obediente aliquis ex filiis, aut nepotibus comedisset ex illa arbore, ille videtur peccaturus; nam præceptum impositum capiti familiæ obligasse videtur totam sobolem, filii tamen ex illo descendentes non contraxissent peccatum originale, quia hoc, ut dixi ex sola inobedientia primi parentis pendebat: At supponitur primum parentẽ obedientem fuisse, quamvis secundus aut tertius essent inobedientes. Ergo. VII. Si Adam longum tempus degisset in Paradyso obediens, & in eo tempore genuisset filios, postea verò comedisset ex arbore illa, & alios tunc filios procreasset, nepotes, qui descenderent ex his secundis, licet per lineam fœmininam, nascerentur infecti peccato originali, secus, qui descenderent ex illis primis solis, non admixtis cum his secundis: Quoniam hi sanguinem sumpsissent ex fonte, nondum corrupto, sed adhuc puro, illi verò traxissent originem, sive masculinam, sive fœmininam (quod discrimen in re præsenti videtur purè materiale, cum semper sit attendendum in hac materia peccatum originale ad primum parentem) ex radice jam corrupta corruptione illa determinata, cui annexum erat peccatum originale: Et inter homines etiam valere solet hæc lex; nimirum, quod Filii nati post crimen læsæ Majestatis à parente patratum, sint infames, secus qui antè crimen illud nati sunt.

XCIII. Hinc VIII. Si Adamus non peccasset, verba illa *subjicite, Dominamini*, tametsi utrique nostro parenti simul dicta, non debebant æquè intelligi pro utroquè, sed æquivocè ac distributione accomoda, nempè dominatio, & activa subjectio primariè, ac directè concedebatur masculis, secundariè, atquè indirectè fœminis, quoniam status innocentiæ non inverteret ordinem naturæ: Atqui ordo hic postulat, quod solus vir cæteris paribus primariè, ac directè dominetur, fœmina verò duntaxat sit dominantis socia, siquidem juxtà ordinem ipsum naturæ vir est animal perfectius, magisque idoneum ad gubernandum, & subjiciendum, quam fœmina: *Et caput mulieris vir*: Et rursus: *Non enim vir*, nempe primus, *ex latere mulieris est, sed mulier ex viro*: Et hoc quidem ante peccatum utriusque: Et demum. *Non est creatus vir propter mulierem, sed mulier propter virum*: Ergò etiam in statu innocentiæ dominatio competeret primarie, ac directe soli viro, fœminæ autem indirecte ac secundarie; quamobrem sicut in sanctis Angelis, qui nunquam peccaverunt, datur naturalis subjectio, ac subordinatio aliorum ad alios, quæ pro-

profecto non est in pœnam peccati ut
Apoc. 7. constat ex Apocalypsi, ubi non rarò audiuntur aliqui Angeli Monere, aut Jubere alios: V.G. *Nolite nocere terræ, & Mari, nequè arboribus &c.* Et ex
Zach. 2. Zacharia, qui audivit unum Angelum dicentem Angelo alii: *Curre loquere ad puerum istum dicens &c.* Ità in statu innocentiæ fœmina esset naturaliter subjecta viro, non utique subjectione illa, qua una species est subjecta alii entitativè superiori, siquidem subsisteret, ambos esse ejusdem speciei quoad substantiam, sed minore ea, & mitiore subjectione, qua scilicet unum individuum subjicitur alii individuo, hic, & nunc perfectiori, quamvis per accidens, v.g. qua puer subjicitur viro, filius parentibus, discipulus magistro: Non ergo est imposita hæc subjectio fœminæ in pœnam peccati, cum multis de causis gravius fuerit peccatum Adæ; sed durior alia: quatenus scilicet post peccatum est subjecta viro, etiam injusta, aut minus justa imperanti (quæ subjectio non fuisset in statu immunitatis ab specifico illo peccato, quod fuit Originale, quamvis alia tunc committerentur peccata) & quatenus fœmina ipsa propter inordinationem appetituum, quam omnes habemus in pœnam peccati, ægre fert imperia sui viri, etiam justa. Unde
Genes. 3. vox illa divina: *Sub viri potestate eris, & ipse dominabitur tui*, fuit anticipata notificatio illius primæ dulcioris subjectionis, & sententia hujus secundæ,

XCIV. Hinc 9. Quamvis illa eadem verba *subjicite, Dominamini*, non videantur procedere, nisi de solis irrationalibus, juste nihilominus dominarentur in statu innocentiæ aliqui homines aliis hominibus; tum quia licet homines non nascerentur infecti peccato Originali, cum tamen propagarentur, sicut nunc: *Crescite & multiplicamini, & replete terram*, fuit dictum ante peccatum, & ex alia parte libero arbitrio pollerent, Vero similius est, quod in tanta hominum numerositate mundique dura-

ratione patrarentur multa scelera; Profecto Angeli non habuerunt peccatum Originale, & tamen ingens illorum numerus peccavit: *Cauda* *Apoc. 12.* *ejus trahebat tertiam partem stellarum cœli;* quibus verbis potest etiam significari, præter alia, Angelorum apostasia: Et duo illa sola individua humana, quæ initio creata sunt, ambo ceciderunt: Et peccatum Originale radix sanè est multorum peccatorum, sed non est unica radix: Quidni ergo committerentur multa scelera tametsi homines non nascerentur infecti peccato Originali: Unde constat DEUM omnibus, & singulis hominibus, & semper & ubilibet, opitulaturum auxilio efficace ad superandum omnes diabolicas suggestiones, quas tunc etiam paterentur, sicut passi sunt nostri parentes antè peccatum. Forent ergò tunc multa peccata, & forsan plura, & fœdiora, quam modo sunt, maximè si tunc non esset Christus venturus, cujus gratia crebriora dantur auxilia efficacia; Ergo justum esset, quod tunc homines sapientiores, & meliores regerent, gubernarent, coërcerent, atque punirent alios, ut hi saltem formidine pœnæ manum temperarent ab injuriis irrogandis: Ergo justum esset, quod aliqui homines subjicerent alios, eisque dominarentur: Tum quia filii naturæ jure debebant subjici suis parentibus, discipuli suis magistris, quoniam non esset idem, immunes esse à peccato Originali, atque scire omnia & non indigere ullo magistro, unde essent tunc discipuli, & magistri. Tum quia Christus Dominus immunis à peccato Originali *erat subditus illis* secundum humanitatem; & beata Mater immunis quoque, subdita erat viro suo Josepho: Per quem accipiebat a DEO præcepta illa, quæ *Matth. 2.* meminit Evangelium. Tum quia licet omnes prorsus homines sanctè victuri essent in eo casu, verumtamen propter diversitatem judiciorum, & voluntatum, in diversas abirent opiniones, sicut de sanctis hominibus, imo, & de Angelis novi

mus ex sacris libris. Ergò, nè mundus evaderet chaos plenum confusionibus, opus erat supremis aliquibus potestatibus per totum orbem dispersis, quibus dubia, & controversiæ sedarentur; sed congruentius foret, quod hæ potestates essent humanæ, nisi velimus dicere, fore tunc providentiæ ordinariæ, mitti à DEO Angelos, qui frequenter, atque in variis mundi partibus sedarent illas lites: Ergo.

XCV. Neque obstat 1. quod Augustinus scribat de DEO *rationalem factum ad imaginem suam, noluit nisi irrationabilibus dominari, non hominem homini, sed hominem pecori*: Quoniam idem S. Doctor paulo ante explicuit speciem dominationis, de qua loquebatur, inquiens. *Non enim justi dominandi cupiditate imperant, sed officio consulendi, nec principandi superbia, sed providendi misericordia*: De hac sola specie dominationis loquor, quando dico justos dominaturos homines hominibus aliis, etiamsi Adamus non commisisset illud peccatum. Neque obstat 2. quod DEUS utens illis verbis *subjicite. Dominamini*, loquatur duntaxat de bestiis, non autem de hominibus, de quibus tamen loqui debuerat, si homini concederet pro illo statu dominium supra hominem: Etenim non est necesse, quod omnia prorsus dixerit DEUS, maxime quando res de qua poterat esse dubium resolvitur per naturam ipsam circumstantiarum; tituli autem plerique, quos protuli ut alii homines subjicerentur aliis, fundantur in natura ipsa rei, & resolvuntur per circumstantiarum naturam: Præterquam quod cum verba illa probata sint à DEO præscio ruinæ generis humani, necesse non erat, quod explicaret dominium, quod concedebat, aut negabat pro casu nunquam futuro, quod omnes homines nascerentur innocentes. Neque obstat 3. quod vox *servitus* primum audiatur post diluvium, quando Noë prædixit, aut fulminavit maledictionem Chanaam: Tum quia etiam tunc primum auditur *vinea, vinum, ebrietas*, & tamen est verosimilius, quod in illis 1656. annis, qui præcesserunt diluvio, fuerint vineæ, vinum, & ebrietas. Tum quia istud probaret ad summum, quod procacitas illa contrà Noë fuit ratio subjiciendi servituti familiam chanaam; At quamvis homines nascerentur sine originali poterant patrare, ut dixi, multa scelera propter quæ mererentur subjici servituti rigidæ, atque propriæ mancipiorum, & poterant adesse aliæ rationes jam insinuatæ, ut uni rationabiliter essent subjecti aliis subjectione miti, & pure civili, à qua subjectione, si abhorreret appetitus libertatis, foret appetitus irrationalis, cum sit rationi consentaneum privari libertate eum, qui libertate abutitur contrà alios (ut multi tunc etiam abuti poterant,) & eum, qui illâ uti nescit, ut multi tunc nescirent, quandoquidem non esset idem, liberos esse à peccato Originali, & omnia sapienter ac practicè scire: Ergò. - -

Lib. 19. de Civ. Dei cap. 15.

Ib cap. 14.

§. Secundus.

XCVI. His præmissis, varias solvam quæstiones circà formationem Adami, & Evæ. Dico 1. Organicum illud corpus Adæ, in cujus faciem inspiravit DEUS spiraculum vitæ, hoc est, animam rationalem, quæ *in faciem* inspirata dicitur, quamvis toti corpori à vertice usque ad plantam pedis inspirata sit, eo quia nuspiam alibi clarius apparet nobis anima, quam in facie humana, in qua manifesta deprehendimus indicia vitæ, imo, & cogitationum non raro atque affectionum præsentium hominis, quem alloquimur, illud inquam corpus non fuit formatum ex puro, & mero pulvere terræ, sed ex hoc per aquam conglutinato, coalito, & coagulato: Ità Poeta sæcularis loquens de terra, ex qua homo fuit formatus, *quam satus Japeto mixtam fluvialibus undis. Finxit in effigiem, moderantium cuncta Deorum*, & consonat poeta sacer loquens de DEO

Ovid. Metam. lib. 1. fab. 4. vers. 78.

Tem-

S. Alchim. l. de Pii Patrem.

Imperat humentem conſperſò pulvere limum, moliturque novum dives ſapientia corpus: Ratio autem eſt: Tum quia merus, & purus pulvis, eſt materia adeò fluxa, & labilis, ut ſine nova ſpeciali providentia, pro qua nullum urget fundamentum, nequiret conſiſtere, quin protinus diſſiparetur; Tum quia nequè nunc, nequè in illo ſexto die mundi, erat elementum terræ purum omnino ab omni alio conglutinante inter ſe particulas illius, maximè cùm paulò ante fuiſſet terræ totius ſuperficies oppleta aquis, quæ die tertio congregatæ fuerant in mari: Ergò non ſolum propter fontem, qui aſcendebat è terra, & ex quo fluere cæperant quatuor illi amnes, verum etiam propter imenſas aquas, quibus paulò antè imbuta fuerat terra, hæc habebat in ſe maximam humiditatem; ſed humiditas nil aliud eſt à parte rei, quam tenuiſſimæ portiunculæ aquæ, ſivè alius liquoris quaſi in pulverem redacti, ut oſtendit vapor ex corpore humido aſcendens, quandò illud calore ſiccatur, qui vapor, quando globatur, & in ſubjectum proportionatum impingit, protinus oſtendit ſuam quidditatem, nempe ſe eſſe aquam. Ergo terra illa de qua corpus Adæ formatum fuit, non erat pura, & mera terra, ſed terra mixta cum aqua; tum quia in vulgata ſic legitur: *Formavit igitur Dominus DEus hominem ex limo terræ*: ſed limus non eſt merus, & ſolus pulvis, ſed pulvis mixtus cum aqua: Ergo. Fateor, quod textus hæbraicus ſolum pulverem memorat, inquiens: *Finxit Deus hominem pulverem, è terra*, cui conſonat textus græcus: *Formavit DEus hominem, pulverem accipiens è terra*, ſed vulgata interpretans verba hæbrea, ut ſepè alias, poſuit de *limo*, à qua interpretatione ſtandum eſt nobis: Illi autem duo textus ſolum meminerunt pulverem terræ, hoc eſt minutiſſimam, & delicatiſſimam, & quaſi hujus florem, quia major portio corporis illius fuit pulvis, ita ut aqua ingrederetur, quaſi in obliquo, quia erat pulvis *aquâ compactus*: ſolent autem ſcriptura loqui de homine, jam verbo ſignificante unam ſolã partem illius, jam verbo ſignificante aliãſolam: V.G. *Videbit omnis caro pariter, quod os domini locutum eſt.* Item, *Effundam de ſpiritu meo ſuper omnem carnem.* En utrobique ſignificatum hominem totum ſub nomine unius tantum partis. Rurſus. *Anima, quæ peccaverit, ipſa &c.* Et alibi. *Appoſitæ ſunt in die illa animæ circiter tria millia.* En ſignificatur totus homo nomine alterius tantum partis: Mirum ergo non eſt, quod illi duo textus meminerint in compoſitione tantum integrali corporis Adæ, ſolum pulverem; tametſi aqua, & alia, quæ mox addam, compoſuerint etiam illud, quandoquidem ex partibus componentibus eſſentialiter interdum meminit ſcriptura unius tantum, interdum alterius tantum. Potuit autem fieri, quod ſolus pulvis exprimeretur, ut fragilitas, vel etiam nobilitas (pulvis namque quaſi flos terræ eſt, ſubtilisquè, & quaſi ſpiritualizata illius portio) corporis humani declararetur: nam ſuppoſito, quod DEUS voluerit formare illud ex terra, cum potuerit illud formare ex aqua, ſicut formavit piſces, & volucres, formavit illud ex ſubtiliſſima, & delicatiſſima parte illius: Ex duplici titulo fabricavit illud ex terra. Primò, quia intrà ipſam compoſitionem, integralem utiq; humani corporis, eſt terra formalis vera, & realis, juxtà doctrinam, quam dedi in Phyſica ſpeculativa Diſp. 1. num. 152. & ſeqq. & Diſp. 1. de Anima: 2. quia multa ex illis aliis, quæ integrabant illud corpus, fuerant paulo ante ſub forma terræ; & eſt ſolitum, quod res retineant nomen quod paulò antè habebant, quamvis jam non ſit ratio ſignificata per illud nomen: v. g. *Ah virgo infelix, quæ te dementia cæpit*, & alius: *Virgo illa*, cum ambo loquantur de fœminis jam corruptis: Exempla ſacra hujus conſuetudinis dedi Decade 4. Regul. 2.

Joël. 2. Ezech. 18. Actor. 2.

XCVII. Dico 2. Nequè ſoli aquæ elementari fuit admixtus ille pulvis, ſed etiam aeri admiſcebatur non tantum occupanti externos poros, internasquè concavitates, ſed intimè penetrato cum terra, & aqua, ſub eadem tamen quantitate, ſicut materia, & forma

forma substantialis materialis reciprocè penetrantur, quià eandem habent quantitatem, nam res habentes quantitates diversas nequeunt naturaliter penetrari: Etenim ut Disputationibus nuper citatis dixi, terra, aqua, & aër, sunt prima elementa, seu partes (non utiquè essentiales, sed integrales) horum omnium corporum viventium, quæ experimur, ut satis constare videtur ex eorum resolutione in genere integrali facta per ignem Alembici; unumquodq; autem resolvitur integraliter in ea, ex quibus integraliter componitur, siquidem ibi experimur terram, hoc est cineres, item aquam, interdum pellucidam, & claram, ut quandò herbæ stillant, quandoquè turbidam, ut quando ex corpore pinguiore elicitur, neutra tamen baptismo convenit, quia propter magnam commistionem cum particulis corporis illius, neutra est aqua elementaris communis, & usualis: Item experimur aerem, id est subtilissimos spiritus, sivè exhalationes; quæ omnia licet retineant in se multas qualitates, immo, & portiunculas quoque illorum corporum, quæ per alembicũ resolvuntur; at vehicula illarum sunt respective terra, aqua, & aër, nusquam sola apparentia, quia nullibi sub luna sunt elementa pura, ut dixi in Physica: De igne non est ità exploratum: Quoniam licet in eo corpore Adæ fuerit etiam calor, utpotè dispositio naturaliter prærequisita ad introductionem animæ rationalis, sicut etiam ad introductionem aliarum formarum viventium, & licet calor possit dici ignis levissimus, & subtilissimus, qui ob suam levitatem, & raritatem, non ità comburit, ut ignis densior (sicut humiditas non est accidens distinctum ab aqua; sed est levissima, & quasi pulverizata aqua, & sicut pulvis est subtilissima terra, quæ passim propter suam levitatem vagatur per aërem, & non est accidens terra: unde poterat dici calorem esse quasi pulverem ignis) veruntamen non omnia, quæ possunt dici, possunt probari. Et istud est corollarium quoddam illorum, qui negant cuncta accidentia, quibus authoribus contradixi in Physica speculat: Disp. 3. num. 79. & seqq. Quamvis non nego calorem quendam specialem posse dici ignem & in hoc sensu valere poeticum illud: *Igneus est ollis vigor*; sed est figurata locutio in utraque litteratura vulgaris, quâ effectui adscribitur nomen causæ physicæ, aut moralis. v. g. *Pallas te hoc vulnere, Pallas immolat*; similiter rebellantes hæbrei contra roboam dicebant: *Vade in tabernacula tua Israël.* En adscriptum filiis nomen Patriarchæ illorum, *nunc vide domum tuam David*: Ecce idem: Et Christus Dominus solet vocari *David* in Prophetis, cujus specialissimus erat filius, non ergo est mirum, quod specialis calor, qui quasi specialis filius est ignis, quandoque vocetur ignis: Igitur in illo pulvere ex quo fuit formatum corpus Adæ innumeræ erant portiunculæ terræ actu formaliter talis, innumeræ aliæ aquæ actu formaliter talis, & demum aëris, sed nullæ erant puræ omninò ab aliis rebus, quia ut dixi nunquam experti sumus ullum elementum purum; atque idcircò omnes dictæ portiunculæ admixtæ erant multis aliis atomis rerum aliarum vicinarum facillime sese insinuantium corpori vicino: singula tamen ternaria ex punctis terræ, aquæ, & aëris inter se penetrantur, quia sub eadem erant quantitate, sicut propter eandem rationem penetrantur inter se omnia accidentia corporea, quæ sunt in hac charta; nequibant autem penetrari cum vicino simili ternario, quia hoc habebat distinctum punctum quantitatis: quorum omnium ratio esse potest, quia sic fit, atque firma durat integralis compositio nostrorum corporum, & corpus illud Adæ, tametsi quo ad alia diversimodè factum fuerit, sed non quoad integralia constitutiva, integralemque compositionem.

XCVIII. Dico 30. quamvis fieri potuerit, ut *aliquod Ministerium in formatione corporis primi hominis Angeli exhiberent, sicut exhibebunt in resurrectione pulveres colligendo*, ut scribit S. Thomas,

mas. Quod quamvis negare videâtur Suarez revera non negat, ut conferenti constabit quod ille dicit, cum his, quæ ego infrà exponam: Unde quamvis fieri potuerit, quod Angeli, aut unus solus, fecerint simulacrum illud, sivè conglutinaverint massam illam individuam, quæ proximè futura erat corpus Adæ ex individuis illis pulvere aqua, & aëre, atomisquè, & portiunculis aliorum mixtorum, immo quamvis fieri potuerit, ut congeriem illam rerum ita coordinaverint, & distribuerint, ut resultaret organizatio, forma, & figura membrorum externa, & interna, quam DEUS præfinierat humano corpori Adæ (sicut in generali resurrectione combinabunt in formam humanam, sivè figuram portiunculas nostrorum corporum hac illac dispersas) quamque ille per carnalem generationem nobis communicaturus erat quoad substantiam, quidquid sit de varietate accidentali, quam experimur inter humana corpora: quamvis inquam id ita fuerit; verum tamen solus DEUS fecit absolutè, ac simpliciter corpus Adæ ac Ævæ. I. quia ut dixi in Philosophia nat. Disp. 4. num. 28. notanda est diversitas styli, quo utitur Moyses inter narrandum primas illas productiones rerum. Productionibus cæterarum omnium permittit semper imperium divinum. *Dixitque DEus fiat, & factum est*: Solis autem productionbus cœli, nempè Empyrei, terræ, viri, & fœminæ non præmittit Moyses hoc imperium, sed absolutè, ac simpliciter dicit. *In principio creavit DEus cœlum, & terram.* Item. *Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram.* Item. *Ædificavit Dominus DEus costam, quam tulerat de Adam in mulierem* Hac autem loquendi diversitate non utiq; casuali videtur innuere Moyses, quòd licet DEUS injunxerit Angelis (non enim erant tunc alia entia capacia præcepti) perfectam & absolutam compositionem, & quasi organizationem aliorum corporum, in quibus jam pro priori naturæ dispositis ad suas formas substantiales, has ipse solus DEUS illico produxit, unde ipse solus est absolute, ac simpliciter creator cœli, & terræ, visibilium omnium, & invisibilium: Aſt innuere videtur ipse Moyses, quod non ità contigerit in productionibus illarum quatuor rerum, sed quod ipse solus DEUS produxerit non tantum formas substantiales illorum, verum etiam corpora, excepto illo remoto ministerio, quod in formatione corporis Adæ dabat nuper Angelis S. Thomas.

Suarez Disp. 5. de vita Christi Sect. 4.

Genes. 1.

CXIX. Secundo: Quoties ex una parte scripturæ absolutè docent absque restrictione, DEUM fecisse, aut perfecisse rem A. v. g. & ex alia non constat fecisse illam per modum imperii solius, aut consilii, aut permissionis, & ex alia nullum sequitur absurdum, ex eo, quod ipse solus illam fecerit, dicendum est, quod ipse solus fecerit aut perfecerit illam physicè: At ex una parte scripturæ de solo DEO absolute enuntiant fecisse, ac perfecisse corpus humanum in prima hujus formatione v. g. *Formavit igitur Dominus Deus hominem de limo terræ.* Item. *Deus creavit de terra hominem.* Item. *Pelle, & carnibus vestisti me, ossibus, & nervis compegisti me.* Item. *Singulorum membra non ego ipsa compegi, sed enim mundi creator &c.* Ex alia parte non constat DEUM facere modò, aut fecisse olim hæc per modum imperii, sicut illa alia: *Dixitque DEus fiat, & factum est*, quia, ut dixi formationi illorum duorum corporum humanorum, non præmittit Moyses hanc clausulam quã aliorum formationi præmittit: Et demum non sequitur ullum absurdum ex eo, quod DEUS concedens Angelis primam illam rudem, ac imperfectam fabricam, & conglutinationem, corporis Adæ, ipse solus ultimo perfecerit, ac disposuerit fabricam eam ad animam rationalem, imò hoc videtur necessarium, ut jam subjicio; Ergo &c. Dico ipsum *solum*, quatenus simulacro illi rudi, & imperfecto formato per Angelos in figuram humanam, solus ipse DEUS addidit cætera v. g. substantiales formas carnis, ossis, sanguinis, nervorum, & reliquas, quæ necessariæ sunt ad ultimam perfectionem

Genes. 2. *Job. 10.* *2. Machab. 7.*

nem corporis humani, quam ex natura ipsa rei habere debet pro priori ad introductionem animæ rationalis. In primo namque suæ animationis instante fuit Adamus vir, virilitas autem omnia hæc poscit, & non produxit illa omnia sola anima Adami: similiter de corpore Ævæ; costæ quippè carne vestitæ, detractæ ex Adamo, qui non solum dixit *os ex ossibus meis*, sed etiam *caro ex carne mea*, quamque forsan etiam Angeli per additionem aliorum corpusculorum per extensionem, per unionem, per separationes, & per alias membrorum combinationes, coordinarunt in figuram muliebrem, adjunxit solus DEUS cæteras perfectiones humani corporis, necessarias pro priori ad introductionem animæ rationalis, & quidem non juxta ætatem infantilem, sed adultam jam, juxta quam ætatem fuit primitus creata Æva: neque ex eo, quod illi costæ addita fuerit multa alia materia necessaria ad molem corporis muliebris juxta ætatem viginti annorum, v. g. sequitur, quod corpus illud non fuerit ex costa Adæ: Hæc quippe fuerat primum fundamentum & quasi substractum totius illius molis, & in hoc solo sensu fuit ex corpore Adæ corpus Ævæ: Explicari utcumque potest hoc ministerium Angelicum exemplo pictorum, sculptorum & similium Artificum, qui suis discipulis, aut famulis, aut filiis nè otientur, iniungunt præparationes quasdam rudes ac remotas ad opus artificiosum, ipsi tamen soli manu propria absolute, ac simpliciter faciunt, & perficiunt opus illud.

C. Rationem quasi à priori jam insinuavi: pro priori ad introductionem animæ rationalis in corpus non infantile quale est nostrum, quando incipit animari, sed perfectè virile, quale erat corpus Adæ, qui mox eliciturus erat operationes viriles, requiritur ex natura rei, quam tunc DEUM violasse non est dicendum, quod materia illa sit carnea, quod habeat ossa, cartilagines, nervos, sanguinem tum rubrum invenis, tum album in nervis succum, medullam in ossibus, spiritus vitales, & animales, membranas, adipem, & copiosam aliam suppellectilem rerum, quam anathomici norunt, quia etiam quando anima fuit diu in corpore, si hæc deficiant, moritur homo, aut ægrotat, Et insuper, quia si anima Adami non invenisset hanc supellectilem in eo corpore, diu fuisset Adamus quo ad rationales functiones instar statuæ, aut stipitis: quandoquidem anima rationalis non potest operari in corpore ubi nil est sanguinis, nil carnis, nil ossis, nil nervi; undè necesse fuisset, quod diu laborasset Adamus in adeò hetherogenea fabrica sui corporis, priusquam actus rationalis inciperet: Ergo ex natura rei erat necessarium, quod hæc omnia fuissent in corpore illo Adæ cui DEUS animam rationalem infudit; Ergo hæc omnia ab aliquo produci debuerunt: Sed non ab Angelis, & hoc est, quod probat suarez supra laudatus, quando negat ministerium Angelicum in futura resurrectione, de quibus nescimus quod habeant virtutem physicam faciendi hæc: Imo uniformi strigum confessione habetur, quod in frequente strictissimo commercio cum Dæmone, qui sanè vires physicas & naturales non amisit, nunquam expertæ sunt, quod ille faciat quidquam ex his, vel saltem ipsum calorem naturalem possit imitari, aut ponere in corporibus, quæ assumit ad scelerata illa, & nefanda commercia succuba, aut incuba. Lege martinum à Rio: Deinde non ab ipsa anima Adæ, quoniamlicet anima multa possit perficere in Domo, quam per aliquos annos jam inhabitavit, nam producit dentes in ore, capillos in capite, barbam in mento, cornua in capite taurino v.g. & in ventre ipso materno incipit nutrire, substantialiterque augere membra corporis, quod informat; nihilominus ad hæc omnia indiget non modico tempore, & hæc omnia facit adjuta primis seminibus, & lineamentis harum rerum, quæ invenit in materia, cui primitus unitur. Ergò dicendum est, quod formæ carnis, ossium, cartilaginum, membranarum

narum utriusq; sanguinis, utrorumq; spirituum, medullarum &c. quæ inerant corpori Adæ in prima hujus creatione fuerunt productæ à solo DEO.

CI. Hinc 1. in pulvere illo, seu limo ex quo fuit formatus Adam, & in costa hujus, ex qua fuit formata Æva, non fuerunt illa sola, quæ notavi in prima conclusione, & in secunda; sed insuper formæ substantiales, quas nuper dixi, sicut etiam fuerunt multa accidentia, v. g. calor naturalis, frigus, gravitas, quantitas, color illi regioni paradysi connaturalis, dulcedo in sanguine, figura consistens physicè in tali, & non alia distantia, atque indistantia unarum partium, sivè membrorum ab aliis. Præsentia etiam sivè ubicatio in eo loco determinato, & alia. Ratio est. Adamus in prima sua creatione non solum fuit homo, sicut etiam sumus nos in nostra, sed etiam *vir*, & Æva non solum fuit mulier in sua prima formatione, sed mulier *matura viro*: Ergò dicendum, donec oppositum gravi fundamento suadeatur, ambos respectivè habuisse corpus quoad numerum, qualitatem, quantitatem, dispositionem, coordinationem, figuram, combinationemque membrorum, simile corpori, quod ejusmodi viri, ac mulieres habent: simile inquam non quoad imperfectiones, sed quoad substantiam & primariam integritatem. At omnes viri, & mulieres habent formas, sivè substantiales, sive accidentales insinuatas, ità ut sine illis nequeant naturaliter vivere, (v. g. sine alterutris spiritibus) quin potius illis deficientibus homo protinus moritur, & anima separatur à corpore: Ergò in prima sua creatione primi nostri parentes habuerunt omnes formas dictas in eo limo, & in ea costa in quibus repective fuerunt creati: Vel dicendum, DEUM miracula multiplicasse, vel illas fuisse per tempus non modicum tanquam statuas ob defectum eorum requisitorum ad operandum.

CII. Hinc 2. apparet distantia primæ partis conclusionis ab hæresi manichæorum; hi dicebant corpus humanũ fuisse creatum à malo DEO, hoc est à malo illo Principe, quod *seuclam*, vel *saclam* dicebant: Item apparet distantia ab errore Philonis ajentis corpus humanum productum fuisse ab Angelis: Absit, quod primum illud de *seuclam* admittatur, sivè cum, sivè absque explicatione: Quod attinet ad Angelos oportet distinguere tria: Primum, quod Angeli fecerint corpus humanum, quatenus fecerint carnem, ossa, nervos, sanguinem, spiritus illos, utrosque, & reliqua tum substantialia, tum accidentalia, quæ proximè immediatè requiruntur ad conservationem animæ rationalis in corpore non infantile, sed adulto. Hoc non dico, sed expresè nego, & hoc dicebant illi, qui humanum corpus censebant opus Angelorum, & in hoc staret, quod Angeli verè, ac simpliciter fecissent corpus humanum: 2. Quod hoc fecerint, quatenus præcisè conglutinaverint, & compaginaverint illos pulveres, aquam, & reliqua, ex quibus solis resultaret non quidem corpus humanum, sed figura, simulacrum, rudisque adumbratio humani corporis quoad exteriorem, & interiorem Æconomiam partium, idquè fecerint ex mente, ac sola voluntate propria: Nequè hoc dico. 3. Quod fecerint humanum illud corpus, quatenus illa omnia fecerint ex præscripto, & voluntate DEI docentis illos, quid, quomodo, & quam figuram volebat in præsenti providentia in corpore humano, & tanquam combinationem, qualitatem, & quantitatem, & numerum membrorum (poterat sanè nobis dare aliam ex innumeris alijs possibilibus, v. g. quod haberemus quatuor oculos, & tunc monstrosum foret duos solos habere: Quod haberemus tantum brachium unum, & tunc qui per accidens haberet duo, foret monstrosum &c.) sicuti pictor, statuarius docet, ac jubet suos discipulos, aut famulos, coordinare materias in figuram rei, illius, quam mente concepit:

Apud Clement 12. Stromat. & Aug. de hæres c. 48.

Phil. de Oper sex. dierg.

Et

Et non dico id contigisse *facto*, quia fundamentum non occurrit ad hanc absolutam affirmationem; sed *potuisse* contingere in sensu composito præsentis providentiæ: Et hoc est ministerium, quod in primi hominis formatione exhibere potuerunt Angeli juxtà S. Thomam suprà citatum, qui sequitur Augustinum idem docentem: Et hoc idem ministerium exhibebunt in ultima resurrectione, ut suo loco dicam, colligentes ex imperio divino omnes cujuslibet humani corporis particulas hac illac dispersas absque periculo miscendi proprias unius corporis cum propriis corporis alius, abjicientes formas alias, sub quibus erunt tunc illæ particulæ, unientes item, conglutinantes illas per continuativas uniones & demum combinantes illas in figuram humanam, quo facto, DEUS solus in momento reproducit in eo scheletro humano informi, & rudi juxta emblema objectum Ezechieli, illas easdem formas respectivè carnium, ossium, nervorum, cartilaginum, musculorum &c. quas olim habebat, ad quas videtur non extendi virtus Angelica ut suprà dicebam; atque in signo posteriore reuniet illam eandem animam rationalem, quam olim habebat.

Augustin. de Gen. ad litt. lib. 9. c. 15.

Ezech. 37.

CIII. Etenim cum ambo testamenta doceant nos plurima, frequentia, & stupenda opera quæ ex præscripto divino faciunt Angeli, quin propterea desinant frui quiete, ac tranquillitate, quæ est propria æternæ beatitudinis, non debemus imaginari Angelos tanquam statuas imotas, aut tanquàm Mariam sedentem semper imobiliter ad pedes Domini: Imitantur quoque Martham, & non vult DEUS, quòd sint in otio perpetuò vires, quibus eos ornavit maximè cum *millia millium ministrent ei, & decies centena &c* juxta Danielem. Similiter non est multum omnipotenti facere in momento reunionem tot animarum, ut Paulus docet; sicut non est multum huic soli materiali mittere ex se in singulis momentis innumerabiles gradus lucis, & innumerabiles alios caloris deorsum versus nos, & innumerabiles alios sursum versus firmamentum, & innumerabiles alios antrorsum versus occasum, & innumerabiles alios retrorsum versus ortum, & innumerabiles alios dextrorsum versus boream, & innumerabiles alios sinistrorsum versus Austrum, & innumerabiles alios versus loca collateralia horum punctorum cardinalium; sed de hoc fusius agam Disp. 3. cap. 9. Igitur ministerium quod exhibere potuerunt Angeli in formatione corporis Adæ, meritò explicatur ab utroque S. Doctore per ministerium, quod exhibebunt in iterata formatione, non unius, aut duorum, sed omnium humanorum corporum in ultima resurrectione mortuorum; durum profecto videtur, quod in formatione corporis humani nequeant Angeli facere ex divina illustratione, atque voluntate quoad interiorem partium humanarum Æconomiam, id quod figulus, quod pictor, quod statuarius faciunt quoad exteriorem, nempè rudè quandam, & inanimem apparentiam, rudia lineamenta corporis humani perficienda à DEO, tanquam summo magistro Artis primo per formas carnis ossis, sanguinis & deinde per animam rationalem.

Dan. 7.

1. Cor. 15.

CIV. Hinc tertio: quemadmodum Angelicum Ministerium exhibendum ab Angelis in ultima generali resurrectione non tollit quod DEUS solus sit causa illius universalis resurrectionis, imo & illius reparationis, ac reformationis omnium corporum: Nempè quia in sensu composito illius Angelici Ministerii subsistunt hæ tres veritates. Prima, quod solus DEUS reuniat animas rationales. 2. Quod solus DEUS reproducat in eis pulveribus formas quondam habitas carnium, nervorum, ossium, pellium &c. quæ cum perseverent post mortem animalis, distinctæ sunt à forma vitali. 3. Quod illud Angelicum Ministerium colligendi, coagulandi, combinandique illos pulveres in figuram humanam quoad interiora, & exteriora fiat ex solius DEI authoritate.

Ità

Ità Miniſterium Angelicum in formatione corporis Adæ non opponeretur plurimis illis ſententiis ſcripturæ, ac Patrum (in longum iremus, ſi omnes illas in medium proferre vellemus) quibus docemur, ſolum DEUM feciſſe hominem, *manibus ſuis*, ſive in ſenſu methaphorico, & accommodato vulgari noſtro modo loquendi, ſivè in ſenſu phyſico, & reali, ut vult Pineda, quatenus DEUS humana ſpecie apparens, & loquens cum Adamo, humanâ quoque ſpecie, & conſequenter manibus, ipſum formavit, ex quibus DEO ſoli tribuitur fabrica illorum corporum, primo propter quotidianum & ſæpè productum exemplum. Solus artifex manibus ſuis facit imaginem, ſtatuam, aut picturam, quamvis ex ejus authoritate ſui diſcipuli, aut famuli præparent, combinent, & coordinent materiam, nec non rudia aliqua, & remota lineamenta ducant ſtatuæ, aut picturæ. Ergo ſolus DEUS fabricaſſet illa corpora, quamvis ex ipſius authoritate famuli, ſeu diſcipuli ſui, videlicet Angeli, collegerint, præparaverint, & in figuram humanam coordinaverint materiam, ex qua fuerunt facta, quandoquidem hæc important multa alia, quæ à ſolo DEO facta fuerunt, cum nequeant fieri ab Angelis, v. g. formam carnium, oſſium, ſpirituum vitalium, & animalium, nervorum &c. 2. eo ipſo, quod ſolus DEUS fuerit author eorum omnium, quæ in corporibus Adæ, atque Evæ fieri potuiſſe per Angelos dicimus, & ſolus DEUS induxerit in materiam ſic præparatam formas, carnium, oſſium, ſanguinum &c. & ſolus DEUS infuderit animas rationales illis corporibus ſubſiſtit, quod ſolus DEUS fecit hominem ſolitudine proportionata rei præſenti, ac vulgari modo loquendi juxtâ quæ, & non juxta ſummuliſticum loquitur ſcriptura: At quamvis Angeli habuerint Miniſterium dictum, ſubſiſtunt illa tria; Ergò quamvis, &c. Veruntamen cum vox *corpus humanum* protinus excitet cognitionem fabricæ habentis carnem, oſſa, ſanguinem &c. Et cum nil ex his poſſit fieri ab Angelis ſibi relictis, hac de cauſa dici non poteſt abſolutè, Angelos feciſſe illa corpora, quia diceretur res falſa, & male ſonans: ſed loquendum eſt cum ſobrietate, qua utuntur Doctores duo ſupra citati, nimirum Angelos potuiſſe exhibere Miniſterium aliquod in formatione corporis Adæ, & hoc Miniſterium eſt, quod ſæpè explicui.

Pineda in 30. Job. 5. 8. num. 11.

CV. Hinc 4. Cum pro fabrica noſtrorum corporum in utero materno non ſit authoritas illa ſancti Auguſtini, & Thomæ loquentium de fabrica corporis Adæ & inſuper adſint aliæ cauſæ humanæ ſufficientes ad illam fabricam, quin Angelis opus ſit; Idcircò non eſt dicendum Angelos habere ullum Miniſterium in formatione corporum noſtrorum; ſed de his phyloſophandum eſt, ſicut phyloſophatus ſum in Phyſica Diſp. 1. num. 238. Illa autem Phyloſophia non poteſt afferri contrà rem præſentem, quia cum anima noſtra egeat multo, & multo tempore ad fabricandum ſibi domicilium proportionatum in Maſſa illa ſanguinis paterni, & materni, ex qua incipiunt formari noſtra corpora, ſicut ſuo tempore emittit barbam, capillos, dentes &c. Animæ quoque Adami, & Evæ multo tempore indiguiſſent ad fabricam ſuorum corporum, non enim erant perfectiores, quam noſtræ, aut materiam illi melius diſpoſitam invenirent: Ergò fuiſſent multum temporis tanquam infantes, vel miracula multiplicarentur. 5. Non poteſt inferri Angelos exhibuiſſe, quoque prædictum Miniſterium in formatione, atque remota Organizatione corporum animalium aliorum: Tum quia neque reſpectu hominis dico exhibuiſſe, ſed exhibere potuiſſe illam: Tum quia licet neque ex natura rei, neque ex ullo alio titulo ſit ſpecialis difficultas in eo, quod Angeli exhibuerint etiam reſpectu beſtiarum,

quæ non generantur ex putri, prædictum Miniſterium; aſt apud nullum probatum authorem id invenio, & congruentius videtur, quod in fabrica majoris authoritatis majore authoritate uteretur DEUS; ſed ut mox dicam utens Miniſterio Angelorum in fabrica illorum duorum corporum, & non in fabrica corporum animalium aliorum, majore authoritate uteretur in fabrica illorum quam horum. Ergò.

CVI. Objicies. Pulveres, & guttæ aquæ, ex quibus reſpectivè formata fuerunt cætera animalia, non fuerunt coordinata, & combinata in figuram externam, & internam illorum per Angelos; non per elementa, aut illa mixta quæ erant vicina loco, in quo unaquæque illorum ſpecies creata fuit. Nam illorum quid intereſt, quod equus, quod aquila, quod Balena, & ſimiliter de aliis, habeant eam membrorum coordinationem, quam habent? Ergò corpora animalium terreſtrium, aquatilium, & volatilium à ſolo DEO fuerunt coordinata, & fabricata: Ergò horum animalium corpora meliorem authorem habuerunt, quam illa duo corpora humana: Id nego: nam cum DEUS indiſpenſabiliter concurrat cũ omnibus cauſis ſecundis ad effectus, quos illæ faciunt, concurriſſet phyſicè immediatè cum Angelis ad fabricam illam, quam dixi, corporis humani; Ergò artifex plenus adæquatus illius non eſſet ſolus Angelus, ſed complexum ex eo, & ex DEO: At ſolus DEUS neque magis, neque minus perfectus entitative eſt, quam complexum ex DEO, & Angelo: Quoniam licet ſimplicitas cæteris paribus ſit major perfectio, quam compoſitio; in præſenti cætera non ſunt paria, tum quia in hac compoſitione, ſeu complexione imbibitur iſta eadem ſimplicitas, tum quia complexum ex DEO, & Angelo non eſt quid compoſitum compoſitione ſtricta, nimirum per phyſicam unionem minus cum altero, ſed eſt mera, & pura coexiſtentia DEI cum Angelo, & influentis ſimul cum hoc: Tum quia alias verbum divinum utpotè ſimplex, foret magis, aut minus perfectum, quam Chriſtus, ut talis, utpote compoſitus ex gemina natura; Ergò ultimum illud conſequens non valet. Præterea quamvis interdum ſit majoris benevolentiæ ſignum, quod Rex per ſe ſolum immediate, ac non per ſuos Miniſtros, donum, & favorem præſtet: Atque ideo Sponſus Sanctus dicebat Sponſæ: *Murenulas aureas faciemus tibi*, non autem *præcipiam quod alii faciant tibi*; ſed hoc non ſemper ſubſiſtit, quoniam Rex per ſe immediatè phyſice faciens aliquid, poteſt illud facere ſimul cum Miniſtro, tum, ut hunc honoret (& ſic potuit honorare Angelos admittens illos ad fabricam dictam corporis omnium animalium perfectiſſimi) tum ut honoraret, & authoritatem conciliaret ipſi operi.

CVII. Sic potens indicere ſe ſolo Hæbræis legem in Monte ſina, indixit illam *in diſpoſitione Angelorum*, ut Stephanus aſſerit, quo Angelos honoravit & legi authoritatem conciliavit, apud gentem illam totum illum apparatum, & pompam cernentem: ſic potens per ſe ſolum docere Deiparam incarnationem verbi, noluit, ne videretur nobis operari, ut cauſa prima & univerſalis, ſed miniſterio ſpecialiſſimo uſus eſt Angelico *Miſſus eſt Angelus Gabriel à DEO*; Sic potens per ſe ſolum roborare ſacroſanctam filii ſui humanitatem, quandò ſecundum hanc erat in agonia, & prolixius orabat, noluit; ſed Angelo uſus eſt. *Apparuit autem illi Angelus de cœlo confortans eum*; Quo Angelus ille electus ad hoc Miniſterium ſpecialiſſimè honoratus fuit, & æternus pater utens ſpeciali cauſa ſecunda ad confortandum eam humanitatem, & non ſua

ſola

sola omnipotentia, quæ est causa communis, & universalis omnium rerum, speciale signum benevolentiæ dedit: En tria insignia opera DEI ad extra, quæ non effecit per se solum, sed per Angelicum etiam Ministerium, & sic rei ipsi, & Ministerio authoritatem conciliavit: Quidni potuit facere idem in formatione corporum Adæ, & Ævæ, ut fabrica hæc majorem haberet authoritatem quam fabrica corporum vulgarium animalium? Ratio autem est, quam insinuavi: Cæteris paribus majus signum est benevolentiæ uti causa speciali, ac nobilissima, quam communi, & generali, tametsi hæc infinite nobilior sit; Et similiter, majus signum est regiæ authoritatis regem uti in functione aliqua nobilissimis proceribus suæ aulæ, quam nullo uti; At omnipotentia licet sit infinitè nobilior quacumque creatura, est tamen causa communis, & universalis Organizationis omnium corporum: Angeli verò sunt causa specialis, quando illam faciunt ex authoritate DEI, & insuper sunt nobilissimi proceres aulæ cœlestis; Ergò cæteris paribus, majus signum benevolentiæ, atque authoritatis, DEus dedit ergà homines utens Angelico Ministerio ad fabricam dictam (nempe rudem, ac remotam corporum Adæ, ac Evæ) quam erga bestiarum vulgus, fabricans, & organizans sola sua omnipotentia corpora illarum: Explicatur: Fabricasse DEUM cum majore pompa, ut ità dicam, & authoritate prima illa, & rudia lineamenta corporum parentum nostrorum est magis æstimabile: Ast fabricasse illa simul cum Angelis, atque utens illorum famulatu, est fabricasse illa majore cum pompâ, & authoritate, (extrinseca utique, & quoad nos) quia ut dixi utebatur primis suis proceribus ad fabricam illam physice efficiendam, & quia ostendebat suam authoritatem super illos, quam non ostenderet, tunc, si construeret per se solum fabricam illam, & quia sic illos etiam honorabat: Ergò majorem ostendit DEUS authoritatem in fabrica illorum duorum corporum utens Angelico ministerio quam in fabrica corporum bestiarum, faciens illa per se solum: At per se loquendo princeps, qui facit opus cum majore authoritate, ac Majestate, magis illud commendat, & magis venerabile reddit; Ergò:

CVIII. Hinc demum: Tametsi fecerit DEUS de terra homines, & bestias terrestres, nec non ex pingui aqua pisces, atquè ex aqua vaporosa, & semi aërea volucres, ut suprà dicebam ex Augustino, & Ruperto: Nihilo tamen minus cum dixisset: *Producant aquæ reptile, animæ viventis.* Item. *Producat terra animam viventem*, non tamen dixit. *Producat terra hominem*, aut *producat costa Adæ Evam*: Licet enim neque terra, neque aqua produxerint physicè formas vitales bestiarum, aut formas substantiales, vel accidentales carnium, ossium, sanguinum &c. quibus illa corpora constant, quia illa vox *animam* ponitur per synechdochem, qui modus loquendi frequens in scriptura est, ut notavi suprà num. 96. Et licet non organizaverint corpora illa, aut physicè coordinaverint eorum membra, siquidem omnia hæc à sola causa prima universali, tunc primum producente has species viventium facta sunt, & nulla apparet causa secunda cui hæc effecta commodè tribui possint: Veruntamen terra, & aqua dicuntur produxisse animalia hæc, quia ex una parte corpora illorum, seu potius prima adumbratio, primavè lineamenta illorum corporum, verè ac simpliciter conglutinata, & coaugmentata fuere ex terra, & aqua respectivè; ex alia autē formæ illæ substantiales, sivè accidentales carnium, sanguinum &c. sicut etiam figura, hoc est specifica illa coordinatio membrorum, verè, ac simpliciter fuerunt eductæ ex potentia materiæ terræ, aut aquæ illius (hucusque conveniunt Adamus, & Eva cum illis; nam idem contingit in corporibus horum duorum) ex alia demum, formæ ipsæ vitales equi, v. g. Aquilæ, Balenæ &c. *Genes. 1.*

eductæ quoque fuerunt in sensu, quem exposui Disp. 1. Physicæ, ex potentia illarum materiarum, non quatenus intra cavernas, aut viscera harum latentes prius, foras postea evaserint, sicut incarceratus educitur ex carcere, (quia vastam istam intelligentiam eductionis satis rejeci loco citato, & Disp. 1. de anima agens contra Atomistas, & contra eos, qui censent bestias omnes esse quasi machinas quasdam artificiales, operantes ex sola combinatione quam habet partium sui corporis) sed quatenus omnes illæ formæ tum accidentales, tum substantiales productæ fuerunt à DEO per actiones essentialiter unitas illis materiis tanquam subjecto præsupposito, id est, non producto per illas: Undè verba illa: *Producant aquæ, producat terra*, valent: *Dent aquæ, det terra* materiam, ex qua educantur harum formæ sustantiales viventes, atquè specificæ: Bestiæ igitur omnes factæ fuerunt ex eis elementis respectivè tanquam ex subjecto receptionis, sivè eductionis, quatenus ultima constitutiva, sivè prima distinctiva illarum, recepta fuerunt in materia Elementorum illorum, sivè educta ex illa in sensu insinuato: Et causa passiva, quamvis non dicitur *producere* loquendo in rigore scholastico, neque semper, ac in qualibet occasione, multoties tamen dicitur. Usitatum quippe est dicere: Talis terra dat, fert, producit bonum frumentum, talis collis fert, dat bonum vinum, dat mediocre oleum. Tales montes sunt steriles, tales sunt fœcundi argenti, auri &c. Cum tamen nil ex his producatur physicè à terra, montibus, à collibus; Unde ille ajebat absquè sermonis improprietate: *Non omnis fert omnia tellus;* non ita contigit in formatione Adæ, atquè Evæ, quoniam ultimum specificum constitutivum horum, & eorundem distinctivum ab omnibus aliis, fuit rationalis animus. Hic nequè fuit ex elementis tanquam ex partibus essentialibus, nequè tanquam ex integralibus nequè tanquam ex subjecto eductionis, utpotè productus per veram creationem, hoc est per actionem non unitam essentialiter subjecto ulli præsupposito, sed unitam essentialiter ipsi animo rationali, per ipsam producto: merito igitur loquendo de bestiis potuit dici, *producant* aquæ *producat terra*, secus loquendo de homine.

CIX. Ex quibus omnibus en systema haud improbabile formationis illorum duorum corporum. Angelus, vel Angeli, quos DEUS scit, colligere potuerunt ex authoritate DEI individuas illas subtilissimas atomos terræ, aëris, aquæ &c. 2. conglutinare & continuativè unire. 3. formare quoad interiorem, ex exteriorem æconomiam, rudem quandam figuram humanam: Virilem pro anima Adæ, & postea fœminam ex costa Adæ pro anima Evæ. Hucusque potuit contingere Angelicum Ministerium, quod etiam præstabunt in generali resurrectione 4. tunc DEUS solus pelle, & carnibus humanis vestivit rudes illas figuras, & quasi scheletra humana ossibus, & nervis compegit illa, quippè ad tantam perfectionem effectus non constat assurgere virtutem naturalem Angelicorum. Et cum hoc solum sit quod absolutè, ac simpliciter vocatur *corpus humanum*, hac de causa DEUS solus fecit corpora illa humana, tametsi ex dignatione concesserit Angelis prima illa Ministeria: 5. solus DEUS creavit tunc, & univit illis corporibus, sic jam dispositis, animas rationales. Ubi cum audis *primo, secundo &c.* Nè intelligas prioritatem, aut posterioritatem temporis, in unico enim momento potuerunt hæc contingere; sed prioritatem, & posterioritatem naturæ, quatenus hæc habent connaturaliter hunc ordinem inter se, quod una præcedant aliis tanquam causæ, aut dispositiones &c.

§. Tertius.

CX. Celebris alia occurrit hic quæstio an videlicet costa illa, ex qua formata fuit Eva, necessaria fuerit ad integritatem corporis Adæ: si affir-

mes

mes, ſequitur adamum reſtaſſe mutilum, & imperfectum: Nam quamvis DEUS illi coſtæ ſuffecit carnem: *Genes. 2.* *Replevit carnem pro ea*, at non ſuffecit coſtam: Ergò quamvis corpus Adæ non reſtaſſet ex latere illo perforatum, permanſiſſet ſine illa coſta neceſſaria, ut dicitur, ad illius corporis integritatem: ſi dicas non fuiſſe neceſſariam, ſequetur, Adamum fuiſſe monſtroſum in prima ſua creatione, quippè habuiſſet viginti quinque coſtas (duodecim habemus nos dexteras, & duodecim ſiniſtras) qui numerus non minus exorbitaret, quam ſi conditus fuiſſet cum tribus pedibus, aut cum ſex digitis in manu ſi- *Perer. lib. 4. in Gen. q. 6.* niſtra, v. g. Nequè valet ſolutio, quæ probatur Pererio, videlicet illam tertio decimam coſtam in latere ſiniſtro Adæ latuiſſe decenter ſub carne. Hoc enim excuſaret monſtroſitatem coram hominibus, qui latentia, & interiora corporis non vident, ſecus coram Angelis, non minus ac ſi conditus fuiſſet Adamus cum hepate in loco lienis, aut cum corde in cerebro: nequè aſſentior exemplis, quæ producit, ſcilicet cœlum quoque initio fuiſſe imperfectum, ac ſine ſtellis. Hæ quippe non componunt integritatem æthereæ regionis, quam DEUS fecit die ſecunda: *Fiat firmamentum in medio aquarum*, & in qua regione poſuit illas, ergo ætherea regio monſtroſa non foret, licet ſtellis careret. 2. Lucem ſolis primò factam informem, & imperfectam: Hoc nego, unde probatur. 3 mundum ipſum primò fuiſſe obſcurum, quia ut ſuprà dixi, poſt tres horas à prima creatione cœli, & terræ fecit DEUS lucem. Hoc eſt verum; Aſt cum lux non ſit pars integralis cœli Empyrei, aut terræ, ſed merus ornatus, & quidem reſpectu oculorum corporeorum, quorum nullus tunc erat in illis primis tribus horis mundi, jam vides diſparitatem ad coſtam Adæ, quæ hujus erat pars integralis. 4. Inquit illam coſtam non fuiſſe adamo generatam per errorem naturæ, ſed adjunctam illi ex DEI conſilio pro formatione corporis Evæ: Idem potuiſſet dici, ſi DEUS decreviſſet, ut potuit, formare Evam ex capite, aut ex pede, aut ex oculo, aut ex brachio Adæ, & ſic reaſſet hunc cum gemino capite, aut cum tribus pedibus, tribus oculis, aut tribus brachiis; probat utique ratio iſta Adamum initio fuiſſe monſtroſum, non ſanè contrà rationem abſolutè, ſed contra æconomiam membrorum, quam DEUS præfinierat in cunctis aliis hominibus; Etenim monſtroſitas alia eſt abſoluta, & quaſi contrà naturam, ut quando res caret termino quem ex natura ſua exigit, aut illum habet, cui ex natura ſua reſiſtit, v. g. ſi ignis careret omni calore, aut unitum ſibi haberet frigus: Alia eſt conditionata, & quaſi accidentalis; nimirum, quando res ab initio caret aliqua parte, quam omnes aliæ ſpeciei ejusdem habent, aut ab initio habet aliquam, quæ in aliis individuis ejusdem ſpeciei non invenitur; hinc ex ſuppoſitione, quod DEUS ità condiderit corpus humanum, ut non niſi viginti quatuor habeat coſtas, monſtroſitas eſt incipere, eſſe, ac vivere cum pluribus, aut cum paucioribus: ſic, ſi DEUS ità inſtituiſſet humanum corpus, ut omnes omninò homines haberent duo, capita, ſicut habent duos oculos, aut haberent unum oculum ſolum, ſicut habent unicum caput, tunc qui haberet duos oculos, aut unicum caput eſſet homo monſtroſus, non utique abſolutè, ac contrà natram humanam ſecundum ſe (quia hæc indifferens eſt ad hunc membrorum numerum, & ſolum ratione conſuetudinis, quam ab infantia habemus, videtur nobis monſtroſus homo biceps, aut monoculus) ſed contra univerſalem aliorum hominum conſtitutionem quoad corpora: Habebimus ergò Adamum fuiſſe à DEO creatum monſtroſum, licet ad breve tempus, non monſtroſitate abſoluta, & contrà naturam ſecundum ſe, ſed reſpectivâ, & contrà integritatem generalem aliorum hominum, ſi cum omnes hi non habeant, niſi viginti quatuor coſtas, ille creatus fuiſſet cum 25. Ergò coſta illa, ex qua Eva formata fuit, erat una ex illis, quæ verè integrabant corpus

Adæ ; Et hoc erat magis conducens ad conciliandam reciprocam benevolentiam, & major ratio, ut sequens ille de Eva diceret. *Hoc nunc os de ossibus meis*, nempè mihi propriis, & mihi necessariis, *& caro ex carne mea.*

CXI. Quamobrem magis mihi probatur alia responsio ejusdem authoris, quam ex Catharino ibi producit ; videlicet illam costam fuisse unam ex illis 24. quæ verè integrabant corpus Adæ, & sic vitatur monstrositas, cum qua fuisset creatus à DEO, si creatus fuisset cum 25. costis, & DEUM fecisse costam aliam æqualem priori, & annexuisse illam corpori Adæ penitus sicut priorem annexuerat, & sic vitatur, quod mutilus, & imperfectus restaret ille: Quapropter sicut paulò antefecerat DEUS per se solum, sive Ministerio etiam Angelico, viginti quatuor costas in eo corpore, & eas nexuerat, & combinaverat, ità ut resultaret illa figura, quam præfinierat in corpore humano, ita per se solum aut per Ministerium etiam Angelorum fecit aliam, antequam adamus evigilaret è somno, & carne, ac pellem vestitam suffecit in locum illius, quam ademerat, ità ut corpus totum haberet eandem figuram, quam paulo ante habuerat: Etenim, vel dicendum est, Adamum habuisse initio costas plures justo, nempè 25. Vel habuisse posteà pauciores justo nempè 23. Vel DEUM post avulsam illam, fecisse & adjunxisse aliam. Hoc tertium videtur magis verisimile : Nequè obstat quod scriptura solum dicat de DEO, *Genes. 2.* *Replevit carnem pro ea*, quasi DEUS in locum costæ detractæ non costam sed carnem solam suffecerit: Etenim aliud est, quod scriptura hoc tantum dicat, aliud, quod dicat *repleviſſe tantum carnem* : si diceret hoc, sequeretur DEUM non produxisse novam costam, quia costa est os, & consequenter est aliquid ultrà solam carnem, sed hoc non dicit scriptura: ex illo primo non infertur, DEUM non produxisse novam costam; quoniam ibidem etiam tantum dicit. *Tulit unam de costis ejus*, & tamen non sequitur, quod os tantum sinè ulla carne sumpserit, sed os carne vestitum ; alias non dixisset Adam, *os ex ossibus meis, & caro de carne mea*: Ergò ex eo, quod tantum dicat scriptura: *Replevit carnem*, non sequitur, quod in eo latere Adæ posuerit solam carnem sine osse, sed carnem cum arcuato osse quod est costa. Hoc enim subintelligi obligat ratio ipsa, ne primus ille homo restaret mutilus, & sine una ex illo numero costarum, quem cæteris omnibus humanis corporibus præscripserat DEUS, sicut alium majorem, aut minorem præscribere poterat, sicut etiam proceriorem aliam, aut breviorem figuram, majorem, aut minorem numerum oculorum, alas, geminum caput &c. in quibus casibus figura, quam modo habemus esset monstrosa, ut jam dixi, tametsi natura nostra secundum se inspecta indifferens sit ad omnia hæc.

CXII. Quæres cum Tostato: uter in resurrectione habiturus sit illam costam, Adamus, an Eva? Respondeo, quod hæc. Illa namque costa fuit primum fundamentum, & quasi substractum totius corporis Evæ, & quasi sua materia primigenia, unde *Genes.* fuit pars physica essentialis illius juxta ea, quæ dixi Disp. 1. Physicæ speculat: respectu autem Adæ fuit pars integralis ; sed non est necessarium, quod omnes resurgant cum omnibus prorsus partibus integrantibus, quas aliquando habuerunt in hac vita. Tum quia Antropophagi habuerunt pro partibus integrantibus continua nutritione acquisitis multa corpora, quæ fuerunt propria hominum aliorum, & tamen non resurgent cum illis, quia illa corpora restituentur hominibus illis devoratis. Præsens ergo resurrectionis lex tantum poscit, quod homo resurgat cum eadem anima, & eodem corpore, nempe cum eodem minimo naturali, hoc est cum eadem materia primogenia, cui primitus fuit unita sua anima, ut explicui, & probavi Disput. illa num. 231. *Num.* 22. & seqq. & cum illis eisdem particulis ad solam integritatem spectantibus, in quibus meritum, aut peccatum fuit

fuit consummatum ut suo loco dicam ; Tum quia si omnes resurgere deberent cum tota illa materia, quam habuerunt in toto decursu vitæ, quamque ob reactionem agentium contrariorum frequenter amittebant, multi resurgerent monstrosi, & cum vastissimis corporibus : Contingeret ergò Adæ in ordine ad illam costam, quod nobis omnibus in ordine ad totam carnem quam habuimus in hac vita, & in ordine ad dentes, quos mutavimus cadentibus unis in infantia, & erumpentibus aliis; nisi dicas resurrecturos nos omnes cum utrisque dentibus, & consequenter cum quatuor ordinibus dentium: Et tamen dentes quos in illa ætate habebamus, erant tunc partes integrantes nostrum illud corpus.

CAPUT X.

De corporeitate Dæmonum.

CXIII. FOrmatis Adamo, & Eva, jussisque à DEO non comedere fructum arboris, de qua re egi supra, successit tentatio serpentis : *Serpens erat callidior cunctis animantibus terræ, quæ fecerat Dominus DEUS, qui dixit ad mulierem : Cur præcepit vobis Dominus &c.* Tacitas præterea alias difficultates, quas excitatas, & explicatas invenies passim apud Authores, & super quibus nil speciale occurrit dicendum : Duas itaque solas disputabo in his duobus capitibus, unam de corporeitate dæmonum, alteram de locutione bestiarũ in Paradyso. Ambæ descendunt ex illâ: An serpens, qui Evam decepisse dicitur, fuerit verè, & realiter ipse Diabolus ex illis, qui serpentinam animam materialem, aut serpenti num corpus habeant sibi affixum; an potius individuum aliquod animal speciei, quam vocamus serpentinam, motum clam per Diabolum extrinsecè assistentem, vel intrinsecè latentem, sicut latet in Energumenis, qui in ore illius animalis edebat sonos, ex quibus formabantur illa verba : *Cur præcepit &c.* sicut Angelus bonus formavit in ore asinæ cujusdam sonos, quibus constabant illa verba : *Quid feci tibi, cur percutis me, ecce jam tertio*, quod exemplum displicet Cajetano, sed placuit Augustino. Parcens obscuris quibusdam locutionibus priscorum aliquorum patrum circa corporeitatem Angelorum, imo & DEI ipsius, cujus substantiam corpoream esse ausus fuit dicere Tertullianus, de qua tota re consule Suarez, Dico. Aliud est, quod dæmon post peccatum sit corporeus per adæquatam identitatem cum corpore, ità ut totus ille sit corpus, sicut hæc carta, hæc penna, hic paries &c. Aliud, quod sit intrinsecè corporeus per inadæquatam identitatem cum corpore, quatenus intrinsecè componatur ex corpore, & spiritu, sicut componitur homo. Neutrum dicam ex his duobus, quippe ambo solide refutata invenies apud eum Doctorem, & sanè Methamorphosis Ovidio digna esset, quod Angeli, qui antè peccatum erant adequatè entitativè spirituales post peccatum evaderent adæquatè, vel inadæquate identificati cum corpore, aliud item est, quod sit intrinsecè corporeus, quatenus cum sit in se adæquatè spiritualis substantia, habeat intrinsecam connexionem, sivè exigentiam unionis cum corpore aliquo, sicut anima rationalis, quæ licet sit omninò spiritualis suaptè natura exigit unionem cum corpore, eo quia est entitas incompleta, & forma illius; unde animæ ipsæ beatæ possunt dici esse in statu violento pure materialiter, & physicè in ipso cœlo, tametsi hæc purè physica violentia abundè suppleatur aliundè: & neq; hanc speciem corporeitatis valdè impropriam dicam de dæmone, quoniam Angelus bonus, & malus, est substantia completa, non ordinata ex se ad componendum compositum ullum substantiale cum alio subjecto, sed ad summum ad componendam personam cum subsistentia, tanquam cum forma, si subsistentia fuerit quid positivum : Et in hoc sensu docuit sanctus Thomas vel etiam in sensu antecedente: *Dæmones esse substantias intellectuales corporibus non unitas ;*

Genes. 3.

Num. 22.

Aug. lib. 11. de Gen. c. 39.

S. Suarez. lib. 2. de Angel. c. 5. §6.

I. p. q. 115. part. 5.

Ibidem q. 51. a. 1.

non

non negat omnem penitus speciem unionis, sed refutat platonicos ajentes, *Dæmones esse animata corpora, aërea, animo passiva*, & consequenter intrinsece constare corpore, vel saltem connecti cum corpore. Jure igitur docet, quod non sint corporibus uniti in hoc sensu, *& quod non habent corpora sibi naturaliter unita.*

CXIV. Aliud præterea quod sit intrinsecè corporeus, quatenus permissivè, ac indifferenter se habeat ad unionem cum corpore: neque hoc dicam, quia cum sit substantia spiritualis completa, potius videtur repugnare ex se unioni cum corpore, cujus contagione minus benè se haberet si anima rationalis etiam ratione sola suæ spiritualitatis, minus benè se haberet cum unione ad corpus caninum, cum non sit simpliciter infinitè perfecta, & incapax augmenti, ac decrementi in perfectione, sicut est incapax personalitas verbi, quæ ideo non minus benè se habet unita hypostatice corpori Christi Domini, quam non unita. Profectò anima unita peccato pessime se habet, secus lapis si uniretur, quia illa est capax ille est incapax inimicitiæ cum DEO. Præterquam quod Verbum ex dignatione habet unionem cum sacro illo corpore, Dæmones haberent ex necessitate sibi imposita propter suum peccatum, & quod factum ex dignatione vertitur laudi, factum ex necessitate vituperio verti solet. Rursus eadem res, quæ in unis circumstantis probrosa est, in aliis solet esse gloriosa; unde meritò dicitur de cruce in suo officio: *Res, quæ antea probro, ac ludibrio fuerat, venerationi, & gloriæ esse cœpit*: Et Augustinus inquit: *Jam in fronte Regum crux illa fixa est, cui inimici insultaverunt*: Ergò ex eo, quod Angelica substantia male se haberet cum unione ad corpus sibi invitæ imposita, non sequitur unionem cum corpore dedecere verbum. Aliud rursus est, quod Dæmon sit corporeus intrinsecè per intimam receptionem sui in aliqua materia prima: neque hoc dicam. Quoniam licet res producenda ex se per creationem possit divinitus produci per eductionem, ut alibi dixi, sicut res producenda per eductionem juxta suam naturam potest divinitus produci, ac conservari per creationem, & hoc secundum contingit de facto quantitati Eucharistiæ, quia ut explicui Disp. 1. Physic. num. 32. & Disput. num. 76. & 79. produci per eductionem non est rem educi, sivè extrahi ex viscеribus subjecti, intrà quæ olim latebat sicut educuntur, sive extrahuntur pecuniæ ex crumena, (absit puerilis intelligentia grammaticæ phylosophicæ) sed est rem produci actione essentialiter unita per se immediatè alii subjecto præsuppositо, id est non producto per illam eandem actionem: Licet inquam hoc ita sit, veruntamen non apparet, ulla prudens ratio, aut congruentia, ut DEUS producat, sive conservet Dæmonem actione essentialiter unita ulli materiæ primæ corporeæ.

Aug. in Ital. 54.

CXV. Aliud tandē est, quòd Dæmon sit intrinsecè corporeus, quatenus in *dedecus*, atque ignominiam æternam purissimæ illius spiritualis naturæ quæ superbivit contrà DEUM, ligaverit illam DEUS, & intimè unierit cum aliquo corpore (considera hominem damnatum ad habendum sibi intimè alligatum corpus asininum, aut perpetuas sordes in facie) sicut eam ligavit cum igne materiali, & corporeo, quo dæmon semper, & ubilibet comburitur, ità ut, cogatur gestare corpus illud ubicumque fuerit, & sic cum immenso dedecore appareat coram sanctis Angelis, & coram aliis Dæmonibus, & coram animabus humanis, sicut eques alias nobilissimus, qui in pœnam criminis læsæ Majestatis cogeretur incedere per vias publicas omninò nudus, & cum furca impressa vultui; appareret sanè plenus ignominiâ coram aliis equitibus, olim suis sodalibus, & coràm sociis etiā suæ perfidiæ, & coram ipsa plebe: Hoc est, quod dico non esse improbabile, & in hoc solo sensu ajo, Dæmonem post peccatum, & in pœnam peccati potuisse fieri *intrinsece* corporeum; Intrinsece inquam non per

per identitatem adæquatam, aut inadæquatam, non per receptionem in ulla materia prima, aut subjecto corporeo, non per unionem potentiæ & actus, sive materiæ, ac formæ, sed per unionem perpetuæ, atquè invincibilis contiguitatis cum corpore aliquo organicè disposito in figuram alicujus Bestiæ, aut etiam cum anima sola materiali Bestiæ illius, aut cum utroque; quam unionem habet canis cum catena, quâ ligatur, & habebant cum furca illi, qui erant, & dicebantur *furciferi*, & quam unionem habent personæ illæ, quæ à Magistratu coguntur gestare publicum aliquod infame signum, quo toti populo noti sunt, ut infames v. g. *Sanbenito*, quod coguntur gestare in hispania, quia convicti sunt, quod à fide Catholica susceptâ, aliquando defecerint. Si hæc species unionis, contiguitatis tantum, licet immediatæ, insolubilis, atquè perpetuæ, videatur insufficiens, ut Dæmones dicantur *intrinsecè* corporei, Addam, potuisse illos damnari in dedecus æternum, vel saltem usque ad diem judicii ad habendum cum illo corpore unionem insolubilem *continuationis*, qualis est unio, quam habent partes Lunæ, aut partes solis inter se (quæ unio major est, quam solius contiguitatis) vel ad unionem stantem in eo, quod intrinsecè in se ipsis sint penetrati cum corpore organicè, ac proportionatè disposito cum forma v. g. serpentis, quæ in eo solo corpore generatur, sicut cæteræ; quod corpus, & quam formam portent secum semper, & moveant quoties ipsi moventur; vel stantem in eo, quod recipiant formam substantialem materialem alicujus Bestiæ v. g. serpentis, vespertilionis, muscæ &c. sicut intrinsecè recipiunt ardorem, & ignem materialem, quo intrinsecè ardent: Et sicut anima nostra recipit inadæquatè, licet sit entitativè spiritualis, unionem corpoream cum materia, nec non materiales, & corporeas sensationes: si enim hæc inadæquata receptio est naturaliter possibilis, & defacto existens, cur non erit supernaturaliter possibilis illa receptio adæquata? Et sicut humanitas Christi Domini entitativè naturalis recipit adæquatè unionem hypostaticam entitativè supernaturalem; non enim requiritur indispensabiliter inter receptum, & recipientem, proportio *in omni genere*: vel illos potuisse damnari ad habendum per solam unionem absq; receptione formam illam serpentis v. g. aut Bufonis, aut vespertilionis, sicut materia unitur animæ nostræ, quin hæc recipiatur in illa tanquam in subjecto eductionis, & tunc forma illa produceretur, ac conservaretur per creationem, sicut conservatur forma illa ignis, quâ torquetur, & sicut conservatur quantitas Eucharistiæ.

CXVI. Et tunc illud totum, quod resultaret ex completa spirituali Angelica substantia, & ex anima illa serpentis v. g. non esset serpens ex illis, quos vulgò dicimus *serpentes*, quia hi intrinsecè per identitatem sunt corporei, cum intrinsecè componantur ex corporea materia, sed esset serpens quoad solam serpentinam animam, vel etiam quoad externam serpentinam apparentiam: sicut totum, quod defacto resultat ex eadem substantia Angelica, & ex forma ignis materialis ipsi intrinsece inhærente, quâ comburitur Dæmon, & ardet, juxtà communem Theologiam, docentem Dæmones, & animas damnatas ardere igne materiali, & corporeo, (quam sententiam jure vocat suarez certam & Catholicam, licet de modo quo hæc tortura contingit non conveniat inter Theologos) non est ignis ex his, quos vocamus *ignes*; quippè hi intrinsecè constant materiâ primâ corporeâ; sed tantum est quid corporeum *ignitum* ratione formæ ignis, quam miraculosè habet: sicut anima intrinsecè per unionem habens sanctitatem est intrinsecè sancta, sed non est sanctitas, sic cum proportione Dæmon esset quid intrinsecè corporeum, intrinsecè ignitum, intrinsecè serpentinum, sed non esset intrin-

Suarez. l. 8. Angel cap. 12. n. 9.

intrinsecè corpus, ignis, aut serpens; & sicut ex eo, quod Dæmon habeat intrinsecè per unionem dictam formam, aut dictum calorem, non sequitur, quod sit hypostasticè unitus igni, aut calori, quia illa non est unio immediata hypostasis Angelicæ, sicut est unio verbi divini in natura humana; sed est unio substantiæ, ac naturæ ipsius Angelicæ cum igne, aut cum combustione. Ità ex eo, quod haberet per intrinsecam unionem formam substantialem corpoream serpentis, non sequeretur, Dæmonem esse hypostaticè unitum serpenti, quia illa forma non esset serpens, sed pars constitutiva serpentis sicut anima nostra non est homo, sed pars constitutiva hominis: & unio illa non foret unio immediata hypostasis Angelicæ, sed naturæ Angelicæ cum illa forma serpentis: neque hic valeret communicatio idiomatum, quæ valet in Christo Domino. Testimonia namque scripturæ, quæ pro hac congerit Cyrillus contrà Nestorium, & Theodoretum, firmandi ergo communicationem idiomatum in Christo Domino, non docent similem communicationem inter Dæmonem, & serpentem, sicut non docent illam inter eundem, & formam ignis quo ardet, ac comburitur; Et sicut non est absurdum quod DEUS ad torquendum Dæmonem, & animas damnatas, faciat continuum, & grande miraculum conservandi in eis substantiis spiritualibus formam materialem ignis, & calorem, ardoremque materialem, ut comburantur, & ardeant sicut stypites. Ità non est absurdum, quòd DEUS deprimendi ergò substantiam Angelicam quæ superbire ausa est contrà DEUM, faciat continuum, & grande Miraculum conservandi in Dæmoniaca substantia absque omni materiâ primâ corporeâ, corpoream illam, & viventem formam serpentis aut vespertilionis, aut muscæ &c.

CXVII. Et sicut non ubicunque est Dæmon actu physicè præsens, v.g. ubi actu physicè tentat hominem, ubi actu physicè apparet, videtur, aut sentitur ab hominibus forma ignis materialis, aut vehementissimus calor, quo torquetur, & quem intrinsecè in sua substantia unitum habet juxta Strabum docentem ex communi sensu Ecclesiæ, Dæmones quocumque eant, *sua secum circumferre supplicia*, etiam si alias ignis materialis, & calor sint sensibiles ab hominibus. Ità quamvis formæ corporeæ dictæ sensibiles sint per homines, non tamen percipiuntur ubicunque, ac quandocunq; Dæmon est præsens in aliquo loco, aut corpus aliquod occupat; Quia vel corpus illud serpentinum v.g. nullam habet lucē, & colorem, atque ideò oculis carneis percipi nequit; vel Deus propter rationes sibi notas visionē impedit; vel diabolo permittit, quod formā illam corpoream, ad quam gestandam est damnatus, sicut furciferi erant damnati ad ferendum furcam, occulter: quòd facillimum est Diabolicæ solertiæ, præsertim respectu hebetum nostrorum sensuum, cum experiamur tot joculatores occultantes numerosæ coronæ hominum jocos mirabiles, quos interdum faciunt: Profecto ad videndum corpus non sufficit quod physicè sit oculis præsens, sed insuper requiritur, quod non sit tectum (& diabolicum corpus potest esse tectum attomis, vaporibus, & innumeris corpusculis, quibus referta est hæc pars infima atmosphæræ, intrà quam degimus) neque sufficit quod apertum sit, nam requiritur etiam, quod luce perfundatur (& potest fieri, qud illud copus non perfundatur luce sufficiente) neque sufficit, quod luce, & colore sit perfusum, sed etiam requiritur, quod sit in loco proportionato respectu oculorum nostrorum (& fieri potest quod quando Dæmon est homini præsens occupet loca, in quibus non coincidant lux, & nostri radii visuales) certe specialis ille candor, seu lux reflexa, quam intuemur in superficie aquæ, luce solari imburæ, in puncto coincidentiæ lucis solaris, & nostrorum radiorum visualium, non est ibi tantum, sed est diffu-

Strab. in cap. 16.

sa

sa per totam superficiem maris, aut fluminis, si enim continuè mutes locum, continuè videbis in aliis, & aliis partibus aquæ illum candorem, sive lucem reflexam, quæ sanè non producitur de novo in eis partibus superficiei aquæ in gratiam tui motus, & tamen ille spelialis candor non videtur ex loco A. v. g. in qualibet parte superficiei; nempè quia præter dicta requiritur specialis quædam localis proportio inter oculos visuros, & objectum videndum: similiter ex qualibet parte speculi fit reflexio, nam si locum mutes in nova parte speculi, videbis tuum vultum, & tamen ex loco A. v. g. non videbis illum in qualibet parte speculi; nempè quia tantum videtur in eo determinato angulo, seu parte, in qua coincidunt radii visuales directi, & species reflexæ: Demum neque ista omnia requisita sufficiunt, sed insuper desideratur, quod objectum corporeum habeat aliquam soliditatem, & non sit adeo tenue, ac subtile, ut incapax sit reflectendi lucem, quam verè habet, & ebibit; æterea namquè regio ambiens lunam, & Planetas cunctos, est corporea, & tota nocte videt solem, & ab hoc videtur, & ab hoc accipit lucem, & tamen à nobis ex nulla parte globi terraquei videtur: nempè propter summam suam raritatem, subtilitatem, & diaphaneitatem non remittit ad nos lucem, quam revera accipit à sole, non enim apparet ulla ratio propter quam sol non producat lucem in altis eis regionibus, similiter potest evenire quod licet corpora, ad quæ gestanda damnati sunt diaboli, habeant requisita alia, attamen adeò tenuia, subtiliaque, ut à nobis non videantur.

CXVIII. Jam ratio nostræ conclusionis sic formari potest ex collectione omnium prædictorum. Inprimis non dico rem ità defacto evenisse, quia cum ad hoc non occurrat efficax positivum fundamentum, ægrè excusaretur ab omni temeritate, qui absolute affirmaret Dæmones post peccatum evasisse corporeos adhuc in sensu dicto. Solum itaque dico, rem ità potuisse evenire absque repugnantia contrà naturam aut contrà præsentem providentiã. Deinde paritas furciferorum, & aliorum eorum hominum, qui coguntur publicè gestare, & quandoque in faciè ipsa, impressam notam aliquam infamem, qua non solum in corpore, verum etiam in honore puniantur apud homines, sufficienter ostendit Dæmones congruenter fuisse punitos à DEO specie hac supplicii proportionati eorundem superbiæ; nempè, quod intrinsece in se ipsis recipientes formam aliquam corpoream valde alienam à suæ conditionis nobilitate, vel saltem habentes cum illa indissolubilem unionem *contiguitatis*, qualem habet canis cum catena, aut continuitatis, qualem habent inter se partes fortissimi alicujus continui, perpetuo, ac magno dedecore erubescant inter se ipsos, & coram sanctis Angelis suis quondam collegis, & coram hominibus. Sicut nobilissimi Principes, & gravissimi senatores damnati, prorsus nudi ad triremes, erubescerent inter se, & coram suis collegis, & coram plebe ipsa: Demum paritas altera ignis materialis, non quoad materiam primam, sed quoad formam ipsam substantialem ignis ob supra dicta, quo semper ardent, & quem secum semper gestant, sufficienter ostendit, quod sicut gestant hanc rem corpoream ad tormentum sensibile, possunt gestare aliud ad ignominiam, & tormentum honoris, & sufficienter quoque enervat objectiones, quæ fieri possunt contrà intimam unionem cum alia ignominiosa forma corporea: Ergò potuit contingere, in præsente providentia quod Dæmones post peccatum, & in pœnam illius, evaderent corporei in sensu dicto, & consequenter evaderent serpentes, muscæ, porci, buvonesve, sicut evaserunt igniti igne materiali.

CAPUT XI.

De Serpente Seductore.

CXIX. HInc tres sunt modi, quibus intelligi potest id, quod scriptura dicit, nimirum. Serpentem locutum fuisse cum Eva, & decepisse illam. I. Vulgare in scriptura est loqui de rebus non prout sunt physicè, ac realiter, sed prout apparent esse, ac prout sensibiliter sunt. Hoc principium stabilivi multis exemplis Decade 3. num. 92. (ubi etiam adverti, non esse insistendum eo passim, & temerè; sed duntaxat ubi non est ratio aut authoritas specialis pro parte contraria) & infra dicam aliqua super hoc. v. g. *Luna non dabit lumen suum*, cum tamen lumen, quod dat modo, non sit *suum*, sed reflexa solis lux. Item *stellæ cadent de cœlo*, cum non stellæ, sed accensæ illæ exhalationes, quæ stellæ videntur casuræ sint &c. Ergò eo ipso, quod suppositum illud, quod locutum fuit cum Eva, eamque decepit, fuerit Dæmon ipse sub externa figura, & apparentia serpentis, (positâ namquè divinâ permissione potuit ex aëre, vel alia circumstante materia formare externam figuram, & apparentiam, quam vellet, ut frequenter facit) sequentes Moyses, & Paulus dictum morem scripturæ, potuerunt dicere, *serpentem*, id est subjectum, quod videbatur, & apparebat serpens, locutum fuisse, atque seduxisse; At fieri potuit, quod subjectum illud, sive suppositum fuerit Dæmon sub externa figura, & apparentia serpentis; Ergò meritò potuerunt Moyses, & Paulus dicere serpentem &c. Res ergò illa, sivè subjectum potuit non esse verum, & reale animal serpentinæ speciei, sed Dæmon sub externa apparentia hujus animalis latens. Et sensus omnium aliarum propositionum, quas hac super re scribit postea Moyses potest esse: *Id, quod apparebat serpens.* v. g. *Ait Dominus DEus ad serpentem;* hoc est ad id, quod videbatur, & apparebat esse serpens; similiter *serpens erat callidior cunctis animantibus terræ;* hoc est illud, quod videbatur serpens, erat callidius &c. quod Dæmoni benè convenit, certè ille, qui luctabatur cum Jacob non erat vir, sed Angelus, quia tamen apparebat sub virili forma, & videbatur non posse superare Jacob, ideo dicitur: *Ecce vir luctabatur cum eo.* Item. *Cùm videret, quod eum superare non posset &c.* similiter, qui apparuit Josuë non erat vir; *sed princeps exercitus Domini*, & tamen scriptura vocat eum virum absolute: *vidit virum stantem contra se &c.* similiter de Angelo Gabriele dicit Daniel: *Ecce vir Gabriel, quem videram &c.* similiter apud Prophetas alios, Angeli vocantur sæpè *viri*, si ergò Angelus bonus, quia apparet sub specie viri, vocatur absolute *vir*, cum non sit vir, quid mirum, quod Angelus nequam apparens Evæ sub specie serpentis vocetur *serpens*? Quamobrem sicut in his testimoniis oportet distinguere inter virum, & id, quod apparebat ut vir, ità in casu præsenti distinguendum est inter serpentem, & id, quod apparebat, & loquebatur sub figura serpentis. Etiam Logici distinguunt inter universale, & id, quod denominatur, ac dicitur universale, eo quod cum sit multiplex, apparet ut unum. Universale, ajunt, non datur à parte rei; id verò, quod denominatur universale datur à parte rei. Est itaque probabile in toto illo casu colloquii, ac seductionis non interfuisse animal serpentinæ speciei, sed solum Diabolum figurâ, & externâ apparentiâ serpentis tectum. Objectiunculas modo solvam.

CXX. Secundus modus est: Serpens ille, qui locutus dicitur, ac decepisse Evam, potuit esse individuum quoddam verum, & reale animal speciei serpentinæ quod Diabolus extrinsecè assistens, vel intrinsecè latens, (ficut latet in Energumenis) agitavit, & movit, sicut hos movere solet, atque in ejus ore edidit sonos, ex quibus voces illæ formarentur: *Cur præcepit vobis DEUS &c.* idiomate noto Evæ; sicut Angelus bonus merè

merè assistens illi alii bestiæ in hujus ore edisse dicitur sonos, ex quibus formatæ fuerunt illæ aliæ voces, *quid feci tibi* idiomate, quod cupiebat Balaam, & sicut diabolus edere solet in ore, faucibus, ac ventre Energumenorum voces, quas vult, quin illi quidquam intelligant v. g. quando per illos loquitur Diabolus idiomate illis prorsus ignoto. Hoc exemplo utitur Augustinus, & Beda post illum ad rem hanc explicandam. Fateor potuisse Diabolum uti alio ex innumeris animalibus ad peragendum hoc negotium perambulans in tenebris; at videtur DEUM noluisse permittere illi aliud instrumentum ad corrumpendum genus humanum, nisi callidissimam bestiarum: *serpens erat callidior cunctis animantibus terræ*, quia futurorum præscius voluit præmonere nepotes omnes illius fœminæ (& præsertim eos, qui quasi futuri erant in Paradyso semoti à fæcibus, & turbulentia sæculi) illos rarò apertis, & visibilibus, frequentissimè callidis, & clandestinis artibus invadendos tentandosq; fore à Diabolo. Initio quidem à longè & quasi aliud agens, & quasi ex innocente desiderio sciendi tentat Diabolus: *Cur præcepit vobis DEUS:* Deinde excutiendo sanctum timorem *nequaquam morte moriemini.* Postea blasphemam calumniam contrà DEUM, quasi invidentem fœlicitati creaturarum, & per fallacem promissionem aëreæ fælicitatis: *scit enim DEUS, quod in quocunque die comederitis ex eo, aperientur oculi vestri, & eritis sicut Dii:* Et quemadmodum serpens graditur, & in ulteriora pergit declinando ab uno latere, ut ultrâ illud terram occupet, ità Diabolus videndus erat multoties, retrahere homines ab uno malo, ut majus aliud malum perpetrent. Voluit igitur DEUS, à cujus solius permissione pependit juxta Augustinum animal, quo abusurus erat Diabolus, quod ex prima tentatione diabolica, ex qua traxit originem corruptio totius generis humani, disceret genus hoc cæteras: Atquè idcirco solum permisit Diabolo callidissimâ solâ bestiâ uti, tanquam Organo ad provocandum Evam.

Num. 22.

Aug. 11. de Genes. c. 27.

Aug. ibid. cap. 3.

CXXI. Porro serpentem esse bestiarum callidissimam, quamvis simia, vulpes, Elephas, & bruta alia nobis magis familiaria, majorem instinctum habere videantur, constat non solum ex Physiologis multa narrantibus de calliditate serpentum, verum etiam ex litteris sacris solius signanter bestiæ astutiam memorantibus: V. g. *Sicut aspidis surdæ, & obturantis aures suas*, nota calliditatem *quæ non exaudiet vocem incantantium.* Item. *Estote prudentes sicuti serpentes:* Item. *Si mordeat serpens in silentio:* nota astutiam, *nil minus &c.* Item: *Fiat Dan coluber in via, cerastes in semita mordens ungulas equi, ut cadat ascensor ejus retrorsum*, quod alludere videtur ad illud *tu insidiaberis calcaneo ejus* clam enim subruens fundamentum ædificii, totum dejecit: Alii hostes invadunt caput, sed cum ibi soleat esse aut majus robur, aut major vigilantia, opus est, quod aggressor sit magis generosus, & strenuus; at serpens, quia calliditate valet, omissa partè magis forti, ac custodita, partem aggreditur magis remotam, & minus defensam, sed qua diruta, totum opus collabitur: Astutissimus ergò inter bestias est serpens, maximè ad nocendum homini, qua arte longe excedit simiam, vulpem, Elephantem &c. & de hac astutia videtur loqui Moyses, quando dicit. *Serpens erat callidior cunctis animantibus*, quia de hominis ruina incipiebat tunc loqui, sed *sicut serpens Moysis devoravit serpentes magorum*, ita serpens alius exaltatus è regione diabolici serpentis, *ut omnis, qui credit in ipsum non pereat, sed habeat vitam æternam*, devorat illum seu potius eum, qui sub illo latet: Quod autem dixi de astutia serpentis, qui est animal, non dixi de astutia consistente in actu mentis reflectente suprà proportionem mediorum cum fine nocendi homini; sed de actu consistente in instinctu, quem bestiarum instinctum explicui in Physica Disp. 3.

Psal. 57.

Matth. 10. Eccl. 10.

Genes. 49.

Joan. 3.

num. 163. & Disp. I. de anima, & nil aliud est à parte rei, quam quædam cognitio materialis, utpotè à sola phantasia oriunda, magis, aut minus vivax, similis eis, quas homines habere solent dormientes, Ebrii, aut amentes, quæ cognitio imitatur rationalem cognitionem sicut sphæra ænea imitatur cœlestem, aut sicut actiones simiæ imitantur humanas, & hæc cognitio instigans appetitum sensitivum bestiarum, quatenus organa titillat suorum corporum, est causa effectuum mirabilium quos interdum experimur in Brutis.

§. Secundus.

CXXII. SEd objicies I. Moyses non scribit, quod Diabolus quidquam dixerit mulieri, sed quod ipse *serpens dixit ad mulierem cur &c.* 2. *ad Cor.* 11 Et similiter Paulus scribit: *Sicut serpens Evam seduxit*: At si serpens non fuit, nisi merum instrumentum, & Organum materiale Diaboli, impropriissimè valdè diceretur *illum dixisse ad mulierem*: Ergò non fuit merum Organum materiale, sed verè, ac simpliciter locutus est ipse serpens: Nego minorem. Quia licet posteà dicam, haud improbabilem esse Basilii sententiam docentis bestias in *Paradyso loqui sensatè*, id solum intelligo de locutione super rebus per sensus materiales perceptibilibus, & quidem non de omnibus omninò sed de illis duntaxat, vel etiam de paucis aliis, quas modo explicant motu, aut sono aliorum membrorum à linguâ distinctorum, quæ autem serpens locutus dicitur cum Eva superant sensum materialem: Nec favet adversariis id, quod Moyses scribit, quoniam etiam 2. *Pet.* c. 11. Petrus scribit de Balaam, *subjugale mutum animal hominis voce loquens prohibuit Prophetæ insipientiam*, & tamen asina illa fuit merum instrumentum materiale per quod Angelus ille prohibuit Prophetæ insipientiam, quin bestia illa verè, ac simpliciter locuta fuerit: Et ratio est duplex 1. vulgare est in scriptura dicere de instrumento pure physico illud, quod proprium est causæ principalis v. g. quod nunc dicebat Petrus de asima illa, Item: *Salvavit mihi brachium meum*, *Isai.* 63. *& indignatio mea ipsa auxiliata est mihi.* Item: *Stellæ manentes in ordine, & cursu suo adversus Siseram pugnaverunt*, *Judic.* 5. id est fuerunt instrumentum quo DEUS, vel Angeli stellarum motores, pugnarunt contrà Siseram, similiter multoties invenitur in scriptura *oculus parcet*, *oculus non parcet*, nempè erit instrumentum, aut non erit instrumentum, ad manifestandum voluntatem parcendi &c. idem dico de solita alia phrasi *gladius parcet*, *gladius non parcet*: Atqui serpens ille fuit instrumentum, quo locutus est Diabolus: Ergò mirum non est, quod locutio, & seductio ab hoc solo propriè oriundæ, tribuantur serpenti, sicut quæstus, & divinatio illa, de *Actor.* 16. quibus Lucas, quorum causa principalis erat Diabolus, tribuuntur puellæ illi, quæ profecto nil aliud erat *Luc.* 2. quoad rem illam, quam merum organum Diaboli. *Factum est autem euntibus nobis ad orationem, puellam quandam habentem spiritum Pythonem, obviare nobis quæ quæstum magnum præstabat Dominis suis divinando.*

CXXIII. Altera ratio. Vulgare etiam est in scriptura tribuere figuræ id, quod proprium est figuratur ostendi Decade 5. num. 36. Atqui serpens ille erat Diaboli figura, & typus; Ergò potuit Moyses absque falsitate ac improprietate tribuere illi locutionem, ac seductionem quæ erant propriè à Diabolo: Sic Osseas dicit de *Osee* Israelitis: *Quærent Dominum DEum suum, & David regem suum*, hoc est JESUM Christum cujus ille fuit figura, unde merito scripsit Augustinus: *Nil est ista prophetia manifestius qua David regis nomine significatus intelligitur Christus.* *Aug. lib. de Civ. Dei.* Quod si quæsieris cur nec Moyses, nec Paulus mentionem faciunt de Diabolo, sed de solo serpente, cum non hic, se ille fuerit causa principalis locutionis: & seductionis? Respondet bene Pererius, Moysen egisse historicum, non autem expositorem, Paulus autem citans Moysen, atque ad ejus historiam alludens, utitur eodem verbo, quo utitur Moyses, histo-

historici autem est referre ea, quæ sensibiliter, & humano modo videbantur. Sed quanquam Diabolus extrinsecè assistens aut intrinsecè latens in serpente, sicut in Energumenis, revera fuit causa principalis illius locutionis, atque seductionis, id tamen non apparebat, neque erat humanitus sensibile Evæ, quæ solum serpentem videbat, & cum eo solo videbatur sibi loquens, quoniam in illius solius ore formabantur verba quæ audiebat; ergo Moyses historicum|duntaxat agens, explicationem, interpretationemque aliis relinquens, jure scripsit serpentem dixisse &c. Cujus ulterior ratio est, quam suprà perstrinxi primo loco: Nimirum solere loqui de rebus non prout sunt physicè coram DEO, sed prout apparent, & sunt coram hominibus v. g. *Abscondisti hoc à sapientibus, & prudentibus*, cum tamen illi coram DEO essent cæci, & duces cæcorum, habebantur tamen, ut sapientes, & prudentes; similiter: *Ecce pater tuus, & ego dolentes*, cum Joseph non esset Pater JESU, sed Patrem esse apparebat. Luc. 2.

CXXIV. Ubi noto duo. Unum est, quod Eva non exhorruerit ad conspectum serpentis, neque ad loquelam illius. Causa potuit esse, vel quia tunc animalia, quæ adhuc mansueta erant & subdita homini, loquebantur familiariter, ut nuper insinuavi ex Basilio, & cap. seq. explicabo: Vel quia propter rerum inexperientiam nesciebat adhuc Eva, loquerentur necne bestiæ, sicut de his ignorant multa homines etiam sapientes post tot sæculorum experientias; & suffragatur exemplum Balaam, qui non obstupit ad loquelam asinæ & nescimus, quod Eva tunc jam foret ditata sapientia illa, quâ fruebatur suus maritus, vel quia suspicata est, superiorem aliquem spiritum sibi benevolum loqui per animal illud; vel dicendum est, illam revera obstupisse ad colloquium illud, sed stuporem non fuisse tantum, ut non sineret eam loqui, ut multoties contingit hominibus, quibus Angeli boni, aut mali, vel animæ separatæ apparent; qui stupent sanè, sed non est tantus stupor, ut non respondeant quandoque: Eadem quæstio moveri poterat circà Balaam: Cur colloquium habuerit cum asina sua, & non stupuerit audiens illam loquentem, cum jam esset senex, & longissimam habuerit experientiam, quod asinæ non loquebantur? Dicendum igitur est, vel illum revera obstupisse, quamvis id non dicat Moyses, qui utique non tenebatur dicere omnia, vel stuporem non fuisse talem, ut sanguinem, & linguam ligaret; Constat enim illum respondisse asinæ, alterum est. Duæ solæ bestiæ locutæ dicuntur in scriptura, serpens, & asina. Serpens tanquam organum, quod sonabat Dæmon ad decipiendum Evam, & per perdendum homines. Asina tanquam instrumentum, quo utebatur Angelus sanctus ad corripiendum, & docendum Balaam. Locuti sunt itaque Angeli per bestias, bonus per bestiam rudem, ut doceret, malus per bestiam callidam, ut deciperet: Non ità facilè supplet malus, quàm bonus improportionem instrumenti.

CXXV. Ojicies 2. Quæ Moyses scribit in toto hoc casu intelligenda sunt, non tantum in sensu allegorico, sed etiam in sensu litterali, quia ut modò dicebam agit historicum, & utitur historico stylo; At quamvis illud: *Ait Dominus DEUS ad serpentem, quia fecisti hoc, maledictus es &c.* possit, ac debeat intelligi de Diabolo in sensu allegorico, qui fuit causa principalis in toto eo negotio, sensu tamen materiali, & historico debet intelligi de serpente, quia de illo expresse, ac formaliter procedit textus; Ergò in sensu historico verè, ac simpliciter locutus est DEUS ad serpentem, verèque punvit illum maledictionibus eis, *quia fecisti hoc, maledictus es &c.* Atsi serpens ipse non fuisset, nisi merum instrumentum materiale Diaboli, sicut Organum, tuba, Cithara, aut campana, ità ut nil penitus loqueretur, nil penitus intelligeret; stultum esset

loqui

loqui cum illo, & dicere, quod propter peccatum puniendus esset: Ergò ne hoc dicamus, dicendum est serpentem verè ac simpliciter locutum, verè ac simpliciter seduxisse Evam, meruisseque illas pœnas, ad quas fuit ibi damnatus: & non fuisse instar Energumenorum, qui nil merentur aut demerentur in eis verbis, quæ absque omni eorum voluntate Diabolus pronunciat in ore ipsorum, sed fuisse instar scelerati peccatoris, v. g. instar Judæ, qui agebatur profectò, & incitabatur à Diabolo, sciebat tamen quid ageret, & pœnam merebatur. Distinguo primum consequens: Verè ac simpliciter locutus est DEUS ad serpentem & punivit eum, tanquam purum intermedium ad loquendum cum alio; & puniendum alio, concedo: tanquam personam aut suppositum ad quod primariè dirigeretur illa locutio, aut punitio, nego consequentiam; & distinguo minorem subsumptam: stultum esset loqui, & punire illum tanquam merum instrumentum, seu intermedium, ad loquendum cum alio & puniendum alium nego; Tanquam suppositum, ad quod primariè, ac directè dirigetur illa locutio, sivè punitio, concedo minorem, & nego ultimam consequentiam: Quapropter serpens non fuit tanquam peccator, quem Diabolus movet, quia neque fuit, neque est capax liberi arbitrii, sed tanquam instrumentum quod sonat adulter ad pelliciendum, & seducendum adulteram, quod adulterii instrumentum allidere solet ad parietem maritus: vel fuit tanquam Energumenus in cujus ore edit Diabolus illos sonos, quibus formantur talia, & talia verba, quo exemplo utuntur Augustinus, & Beda supra citati.

CXXVI. Explicatur. Quoties judex rationaliter loquitur cum aliquo, & punit illum tanquam suppositum, ad quod primariè, ac directè dirigitur locutio, & punitio, necesse est, quod suppositum illud verè, ac simpliciter intelligat, & peccaverit, ut dicitur in objectione: Cæterum quando judex loquitur cum aliquo, & punit illum, tanquam purum intermedium ad loquendum cum alio, & puniendum illum, necesse non est, quod intermedium illud intelligat, aut peccaverit, sed quod ille alius tertius intelligat, & peccaverit: sic Anonymus ille Propheta missus à DEO contrà Jeroboam, exclamavit contrà altare in sermone Domini, & ait. *Altare altare hæc dicit Dominus, &c.* & certè altare illud utpotè quoddam artificiale totum inanime, atque rationis expers, nil intelligere aut peccare poterat, neque meruit scindi, ut scissum protinus fuit. Locutus itaque ad illud dicitur Propheta, & illud ut sacrilegum evertit DEUS, dirigens tamen locutionem, ac punitionem ad circumstantem populum, & maximè ad regem ipsum ibi præsentem: sic Jeremias notificaturus hominibus supplicia, quæ eos manebant, utitur prosopopeja eadem; *Audi terra; Ecce ego adducam malum &c.* & rursus. *Terra, Terra, Terra, audi sermonem Domini*: Certè terra incapax audiendi erat, sed dicens Propheta terram, loquebatur directè, ac primariè cum Jechonia rege; & iterum. *Repulit Dominus altare suum, maledixit sanctificationi suæ.* Non peccaverant utique altare, aut sanctificatio, sed peccaverant hæbrei, qui illis abusi fuerant. Sic demum Christus Dominus maledixit ficui, quæ pœnam nullam merebatur. *Fiat arbor cus, cui maledixisti, aruit.* Sed maledictio, & locutio illa fuit directa primariè ad Judæos, ut intelligerent se maledicendos, eo quod fructum non dedissent, quem ex ipsis requirebat Dominus, crebra hujusmodi exempla invenies in scriptura v. g. *Obstupescite cœli loquimini ad terram &c.* Quis ignorat modum loquendi per prosopopejam esse antiquissimum, & elegantem? Jam hujus doctrinæ ratio esse potest. Quemadmodum unus ex artificiosis modis projiciendi pilam, vel globum est projicere illam obliquè, aut per triangulum, aut per quadrangulum, & tunc non attenditur aliud in obsistente illo immediato, quam capacitas, ut ex illo pergat glo-

globulus, aut pila in locum alium primariè, ac directè intentum; Ità unus ex elegantibus modis alloquendi & suggillandi aliquem est obliquus per ambages ac quasi per triangulum, nempè alloquendo quoad apparentiam, & puniendo aliud subjectum (ut quando verberatur servulus, ut intelligat filiolus) & tunc non desideratur in subjecto eo alia capacitas audiendi correptionem, aut solvendi pœnam, quam ea, quæ sufficit, ut alius ex verbis, quasi directis ad hoc subjectum, & ex hujus malo discat, quid sibi dicatur, & ad quam pœnam destinetur; sicut Sextus Tarquinius intellexit quid sibi faciendum erat de Gabbiis, quando scisitatus Patrem, nempe Tarquiniũ superbum, hac super re, per internuncium dubiæ fidei audivit, Patrem nil aliud fecisse, quam baculo decutere eminentiora papavera. Fateor locutionem illam & punitionem esse vere, ac simpliciter locutionem, & punitionem, non tamen respectu illius subjecti immediati, sed respectu illius, ad quod ea diriguntur.

Liv. Dec. 1. lib. 1.

CXXVII. Tunc sic: fateor Moysen historicè scribere totum hunc casum, sed non scribit DEUM locutum fuisse historicè, ac in sensu litterali cum serpente: & consequenter fateor DEUM verè, ac simpliciter allocutum fuisse, & damnasse serpentem; sicut etiam sterilem ficulneam maledixit Christus Dominus, sed addo, tractasse eum tanquam instrumentum intermedium ad colloquendum, & damnandum ad novam pœnam Diabolum, qui animali eo abutens tantam cladem intulerat generi humano: Quamobrem verè, ac simpliciter dixit DEUS serpenti *Quia fecisti hoc, maledictus es &c.* Nuspiam tamen dicit Moyses hanc divinam locutionem, damnationem, atque maledictionem quæ verè, ac simpliciter fuerunt tales *respectu Diaboli* (non quoad pœnas primarias damni, atq; ignis, ad quas jam erat damnatus, sed quoad alias etiam gravissimas) fuisse verè ac simpliciter tales *respectu serpentis*: Contigisse videtur hic, quod proverbium hispanicum tribuit socrui castiganti coram Nuru innocentem filiolam. *Ati telo digo byvela, entiendelo tu minuera si* discursus hic videtur tibi acclivis, longe acclivius est censere animal illud serpentinæ speciei habuisse cognitionem rerum illarum, quæ imperceptibiles erant per sensus materiales, & peccasse peccato stricte tali, & libero arbitrio functum esse, sine quo impossibile est peccatum personale, & sine quo impossibilis est pœna strictè talis.

CXXVIII. Hac doctrina solvitur illa quæstio. Quomodo potuit esse pœna, & punitio serpentis illud, quod est consequens ad suam naturam, & Organizationem: nempe gradi supra pectus suum, comedere terram? Hæc quæstio supponit falsum juxta nuper dicta: supponit namque locutionem, maledictionem, & punitionem divinam fuisse directas ad serpentem, non tanquam ad medium intermedium ad maledicendum, & puniendum Diabolum, sicut hic abusus fuerat serpente tanquam instrumento, & intermedio ad seducendum Evam: supponit fuisse damnationem serpentis, & non Diaboli solius: At nuper negavi ista: Ergò ista quæstio supponit, quod nuper negavi. Rursus id, quod serpenti est connaturale, potest esse signum, figura, aut symbolum illius, quod Diabolo est valdè pœnale, & quod non pateretur ultra suas pœnas primarias, nisi abusus fuisset serpente ad deturbandum genus humanum: Deindè cur supponitur serpenti specificativè, ac secundum solam suam naturam inspecto, præscindendo ab organizatione, atquè partium æconomia, quam in hac providentia præfinivit illi DEUS, esse connaturale per humum serpere, incedere supra pectus &c.? Cur non potuit ab initio, & semper usquè ad tempus præsens producere sublimia, & cum pedibus, individua omnia speciei, quam vocamus serpentinam. Tunc sanè diceremus naturale esse illis non gradi supra pectus, & monstrosum foret, si aliquis serpens suprà pectus graderetur. Homini, ser-

penti, & cuivis animali potuit DEUS præscribere figuram, & organizationem corporis diversam, valde ab ea, quam modo habent, & sub qua suas proprietates haberet æquè benè, ac sub præsente figura, & Organizatione, quam habent: quidni? Essetnè hoc multum omnipotenti? unde constat, animas eas esse per se ab intrinseco determinatas ad specificam eam figuram secundum positivum, ac negativum corporum, quæ informant: quam violentiam pateretur anima rationalis, si uniretur corpori humano habenti quatuor oculos, aut non habenti, nisi quatuor digitos in singulis manibus? In eo autem systemate innaturale esset, quod animalia haberent figuram externam: quam nunc habent: Ergò ista connaturalitas de eo, quod serpens gradiatur supra pectus, quod terram comedat, quod inimicitias, id est naturalem antipathiam habeat cum muliere &c. Est connaturalitas tantum ex suppositione, quod DEUS serpentem sic condiderit. Potuit itaque serpens non esse ab initio talis, qualis nunc est, & cepisse talis esse, postquam fuit instrumentum Diaboli, & sic opinantur graves authores apud Pererium: Cæteri autem serpentes, qui postea fuerunt, cum descendant ex illo per generationem, & ille, quando incepit concipere sua ova, haberet jam omninò mutatam organizationem sui corporis ob illud decretum divinum, *supra pectus tuum gradieris*, mirum non est quod nascantur cum ea deformitate: Quia licet non semper nascantur filii propter introductionem aliarum causarum, similes parentibus quoad membrorum Æconomiam; at multoties nascuntur similes, & potuit DEUS sic coordinare illum primum serpentem, ut semper nascerentur similes sui filii, & nepotes, quoad hæc: sicut ita coordinavit corpora nostrorum parentum, ut omnes nos nascamur illis similes quoad substantiam humanæ figuræ: Sanè propter unius solius culpam strictè talem punit DEUS interdum totam speciem, v.g. *Filii autem Israel prævaricati sunt mandatum*: En sugillatam totam quasi speciem hæbreorum, imò, & punitam: *qui statim terga vertentes percussi sunt à viris urbis Hai*, & tamen unus solus peccaverat: *Achan filius charmi &c.* Potuit itaque DEUS totam serpentinam speciem pedibus mulctare propter unum solum serpentem, qui fuit instrumentum Diaboli ad perdendum genus humanum. *Josue 7.*

CIX. Quæres: Quam specialem maledictionem, pœnam, Diaboli significant illa verba DEI immediate directa ad serpentem, in quo tanquam in instrumento suo ille punitus fuit? Respondeo, non significarunt maledictionem, aut pœnam, atque ut ità dicam, essentialem, consistentem in odio DEI contrà illum, in damnatione irrevocabili ad æternam pœnam damni, & ignis: Quia jam fuerat damnatus ad hæc omnia, quando prima die mundi peccavit, præcipitatusque fuit ab altissimo cœlo ad infimas partes mundi, unde quando abusus fuit serpente non erat in statu merendi quoad præmium, aut pœnam essentialem, neque in statu merendi præmium ullum accidentale positivum, erat tamen, & est in statu merendi, aut non merendi novas pœnas accidentales, & quoad hoc durat in eo libertas indifferentiæ, ut constat ex præceptis illi impositis per exorcistas, ex retinentia quam sæpè habet in obediendo, atque ex novis pœnis ad quas damnatur, & quibus se torqueri ostendit. Pœnæ itaque accidentales Diaboli, quæ significari videntur illis verbis. *Quia fecisti hoc &c.* materialiter, atque ad apparentiam directis ad serpentem, sed hoc circumloquio directis primariè, ac directè ad ipsum Diabolum, ut suprà explicui, fuerunt 1. maledictio, quâ DEUS, Angeli, & homines execrantur illum, non solum quia initio fuit perfidus contrà DEUM, sed etiam de novo, atque specialiter execratur illum, quia invidia correptus corrupit genus humanum in radice. 2. Maledictus est inter omnia

omnia animantia, & bestias terræ, non quia Diabolus factus sit verè, ac simpliciter bestia terræ, & mulctatus suæ rationalitatis essentia in bestiam conversus sit: Tunc quia istæ Metamorphoses platonicæ, atque Origenistæ coincidunt cum Ovidianis, tum quia licet multoties vox *inter* significat subjectum, & extrema, de quibus est sermo, esse ejusdem rationis v. g. *Benedicta tu inter mulieres, &, grandævus inter viros*, nempe Isai Pater Davidis, & sæpè alibi; non tamen semper: significat enim quandoque illa vox, aut locum habitationis inter extrema de quibus est sermo, aut majus decus, majusque dedecus, quando scilicet res illa, licet distincta ab externis, super omnia illa eminet quoad laudem, quoad vituperium; & tunc *inter* valet idem quod supra, v.g. *Pontifex id est sacerdos maximus inter fratres suos*, hoc est supra fratres suos; nam certe ipse non erat unus ex fratribus suis. Similiter ficus, & vitis dicebant juxtà illum adolescentem, *ut inter cætera ligna promovear*, hoc est, *super cætera ligna*, quoniam ipsæ non erant à numero cæterorum lignorum: Similiter de quodam Jeroboam dicit scriptura: *Princeps inter triginta*, nempe, *super triginta*: Et de Sponsa: *O pulcherrima inter mulieres*, id est super omnes mulieres. Unde ut benè notat Calepinus vox *inter* quandoque significat idem, quod vox, *maximè*; Ergò ex eo, quod Diabolus declaretur in suo instrumento maledictus *inter omnia animantia* non sequitur, illum conversum fuisse in animal terrenum, sed maledictum esse *super* omne terrenum animal; hæc quippe animalia soli corpori nostro, & quidem sine malitia morali nocent Diabolus verò, & corpori, & animæ nostræ ex summa malitia nocet.

CXXX. Rursus maledictus etiam dicitur Diabolus inter animantia, & bestias, quia sicut *homo cum in honore esset, non intellexit, comparatus est jumentis insipientibus, est similis factus est illis*, tametsi physicè, ac realiter sit in se quoad entitatem longè perfectior, quam jumenta: Et sicut Nabuchodonosor propter suam intolerabilem superbiam, *ex hominibus abjectus est, & fœnum, ut bos comedat*: Ità Diabolus cum in maximo esset honore, aulamque cœlestem habitaret, non intellexit, atquè ex rationalium republica abjectus (non quoad entitatem naturalesve suas perfectiones, sed quoad morales consentaneas primæ regulæ rationalitatis) comparatus est jumentis, similisquè illis quoad actionum irrationalitatem factus est. Meritò igitur eum in suo simbolo seu instrumento, id est in serpente, annumeravit DEUS bestiis. *Maledictus inter &c.* Præterea sicut solet scriptura negare id, quod licet physicè, ac realiter sit, non tamen constat, sivè non apparet esse, ut ostendi Decade 4. num. 22. V. G. *ne memineris iniquitatum nostrarum*, id est ne puniendo nos, appareat te meminisse iniquitatum nostrarum: Qua etiam phrasi usus est Tobias inquiens. *Neque reminiscaris delicta mea, vel parentum meorum*, cum impossibile sit DEUM oblivisci verè, ac realiter eorum, quæ aliquandò scivit. Item de Melchisedech scribit Paulus. *Sine Patre, sine Matre, sine genealogia, neque initium dierum, neque finem habens*: nempe quia licet omnia hæc physicè, ac realiter habuerit ille, utpotè homo descendens ex Adamo per naturalem generationem, non apparebant, seu de illis non constabat: Quemadmodum inquam scriptura solet negare, seu potius videri, quod negat, id, quod physicè, ac realiter est, apparet tamen non esse, seu non apparet esse: Ità solet loqui de rebus non prout sunt physice, ac realiter, sed prout apparent esse, ut semel, ac iterum adverti suprà & Decade 3. num. 92. ostendi. V. G. *Fecitque DEUS duo luminaria magna*, nempè quæ magna apparent, esse; nam certè luna, quæ ex his luminaribus unũ est, minima est omnium stellarum. Item: *Qui autem non habet, & quod habet auferetur ab eo*, id est quod videtur habere, ut magis explicuit Lucas: Atqui licet Diabolus non sit physicè, ac realiter bestia terræ, sævitiâ tamen, calliditate, morumquè irra-

Josue 7. — Luc. 1. — 1. Reg. 17. — Levit. 21. — Judic. 9. — 1. Paral. 2. — Psal. 48. — Dan. 4. — Psal. 78. — Tobiæ 3. — Ad Hebr. 7. — Genes. 1. — Matth. 13. — Luc. 8.

irrationabilitate apparet, ac videtur bestia truculentissima terræ, ità ut Angelica illa substantia, quæ nobilissima erat antè peccatum, post hoc sit adeo vilis, ac indigna, ut nil nisi bestiale cogitet, nil nisi bestiale, ac contra rationem appetat. *Facta sicut equus, & mulus, quibus non est intellectus*: Ergò juxtà phrasim scripturæ jure annumeratus est Diabolus in suo instrumento, nempè in serpente, bestiis terræ: Demum quia, ut multis exemplis firmavi decade illa 3. n. 86. illius quis habere solet nomen, cujus mores, indolem, ac qualitates imitatur, v. g. *Alius latio jam partus Achilles*: Et juxta Joannem: *Antichristi multi facti sunt*: Nempe quia Turnus ille imitaturus erat strenuitatem Achillis, & persecutores Ecclesiæ jam imitabantur, quæ post multa sæcula facturus erat Antichristus; & Dominus ipse dicit de Joanne: *Ipse est Elias, qui venturus est*, scilicet imitatur zelum, & mores Eliæ; At perspicuum est Diabolum imitatum esse in casu illo serpentis, & modò etiam imitari ferociam, calliditatem, & irrationalitatem truculentam bestiarum terræ: Ergò licet nec sit, nec esse possit bestia terræ, jure annumeratur inter illas, & maledictus declaratur inter eas: Ecce tres rationes propter quas subsistit illud, *quia fecisti hoc, maledictus es inter omnia animantia, & bestias terræ*: Etiam si totum hoc negotium peractum sit primariè ac directè inter DEUM, & Diabolum, ita ut serpens ille fuerit merum instrumentum physicum, quo Diabolus fuit usus ad decipiendum Evam, & quo etiam usus fuit DEUS ad alloquendum, & puniendum ipsum Diabolum.

Æneyd. 6.

1. Joan. 2.

Matth. 11.

CXXXI. Tertia maledictio, seu pœna, ad quam fuit damnatus Diabolus in suo instrumento, id est in serpente, fuit: *Super pectus tuum gradieris*: Quidditas hujus pœnæ, seu maledictionis consistit primo in eo, quod nulla sua operatio assurgit, vel tantillum super terram versus rationalitatis regiones, sed omnes tendunt deorsum versus centrum terræ, scilicet versus infernum, quasi solatium inventurus in pluralitate sociorum, quam pœnam forsan non subiret si Evam non tentasset: sicut non subibit post diem judicii, quando jam non supererunt homines, quos deorsum trahat, vel non subiret in gradu tam intenso, & continuò: Hæc autem fuit pœna imposita Diabolo in eo sensu, in quo unum peccatum solet esse pœna alius peccati juxtà doctrinam Pauli. *Propter quod tradidit illos desideria DEus in desideria cordis eorum*; Et iterum *propterea tradidit illos DEus in passiones ignominiæ*: Nempè in pœnam peccatorum, quæ ibi meminit Apostolus, dedit DEUS illis libertates eas in se bonas, quibus illos culpâ suâ abusuros esse, infallibiliter prævidebat, non daturus eas, si illi flagitia illa non commisissent. Idem respectivè in casu præsenti. Consistit 2. in eo, quod damnatus ad gradiendum supra pectus, damnatur ad subjectionem irresistibilem, ut super aspidem, & basilicum, id est super eum, ambulent, & conculcent Leonem, & Draconem, id est Diabolum ipsum fælices illi, quibus dicitur: *Ecce dedi vobis potestatem calcandi supra serpentes, & scorpiones*. 3. In eo, quod sic damnatus damnatur, ut non per generosas, atque ut ita dicam nobiles artes, sed per abjectas, viles, dedecoras, & infames, vincat, quos vicerit, ità ut suæ victoriæ sint ei dedecori potius quam decori.

Habac.

Thren. 4.

Judic. 8.

Ibid. cap.

Apoc. 12.

CXXXII. Quarta pœna est, *terram comedes cunctis diebus vitæ tuæ*. Hæc pœna consistit in eo, quod Diabolus tanquam sus lota involutabro, immundissimis, & obscœnis peccatis, stomachum moventibus non solum nobilissimæ substantiæ Angelicæ, verum etiam hominibus compotibus sui, summe delectatur, & invitat ad hæc peccata homines, & his vescitur tanquam delicatissimis dapibus: Comedit ergò terram, id est res vilissimas, & immundas cunctis diebus: sicut enim homines aliqui propter stomachi depravationem appetunt comedere terram, carbones, gypsum, scarabæos, & stercora ipsa; ità

ità Diabolus propter corruptionem ſuæ voluntatis appetit immunditias illas, ad quas toties pellicit homines. Fateor, quod de ipſo intelligi ſolet illud propheticum *cibus ejus electus*, eo quia magis inhiat animabus electis, vitam DEO devotam profitentibus; at quando hæ incipiunt eſſe cibus Diaboli convertuntur ex auro optimo in terram, imo in ſtercus, quià corruptio optimi peſſima eſt: & qui harum animarum lapſum norunt, inquiunt: *Quomodo obſcuratum eſt aurum, mutatus eſt color optimus &c.* Item: *Qui nutriebantur in croceis, amplexati ſunt ſtercora*: Contingit Diabolo, quod hominibus fœtidum, & corruptum habentibus ſtomachum; videlicet delicatiſſimas, & ſuaveolentes eſcas convertere in putridum, & fœtidum chylum, quo aluntur. Quinta pœna fuit: *Inimicitias ponam inter te, & mulierem, & ſemen tuum, & ſemen illius*: Magna pœna fuit hæc Diabolo: ſi enim viris eſt ignominioſum digladiare pro vita cum fœmina, quanto magis eſt Diabolo ſuperbiſſimæ creaturæ? Zebee, & Salmana erubuerunt occidi manu pueri, & poſtularunt à Gedeone. *Tu ſurge, & irrue in nos, quia juxta ætatem robur eſt hominis*, Abimelech timens occidi à fœmina, *vocavit cito armigerum ſuum, & ait ad eum, Evagina gladium tuum, & percute me, ne fortè dicatur, quod à fœmina interfectus ſim.* Effectum hujus inimicitiæ inſinuaſſe videtur Joannes allegoricè, quando de Dracone ſcripſit. *Perſecutus eſt mulierem, quæ peperit maſculum;* Et poſtea *miſit ſerpens ex ore ſuo poſt mulierem aquam, tanquam flumen, ut eam faceret trahi à flumine*: ſed notandum quod licet DEus dixerit, *inimicitias ponam*, non propterea eſt author, & cauſa per ſe inimicitiæ Diaboli cum muliere, ſed inimicitiæ mulieris cum Diabolo, quia illa inimicitia eſt mala, hæc autem bona; ſicut oppoſitio peccati cum lege eſt mala cum importet peccatum in recto, oppoſitio verò legis cum peccato eſt bona, quia dicit in recto legem (hujusmodi oppoſitiones ſunt realiter diverſæ, ſaltem inadæquatè quamvis reciprocæ ſint) dixit itaque DEUS, *inimicitias ponam* vel quia ipſe ſolus eſt author, & cauſa quaſi per ſe *permiſſionis* earum inimicitiarum, quæ permiſſio eſt ſancta, quippe quæ eſt actus divinæ voluntatis nolentis impedire illas: Vel quia ſicut DEUS interdum dicitur permittere id, quod bonum eſt moraliter, v. g. *Spero enim me aliquantulum temporis manere apud vos, ſi Dominus permiſerit*, quæ permiſſio eſſet rei bonæ nimirum moræ alicujus apud Corinthios cauſa inſtruendi illos in rebus neceſſariis. Item: *Et hoc faciemus* (nimirum redire ad verba vitæ æternæ, quæ tunc intermittebat Paulus) *ſiquidem permiſerit DEUS.* Ita facere dicitur aliquando id, quod non facit ſimpliciter, hoc eſt inſtar cauſæ per ſe, ſed dumtaxat permittit permiſſione ſpeciali, & non vulgari: v. g. *Ego indurabo cor ejus.* Item. *Ego Dominus decepi Prophetam illum.* Item. *Dominus enim precepit ei, ut malediceret David*, de qua re egi Decade 3. num. 42. Impoſuit itaque DEUS verbis illis magnam pœnam Diabolo, quandoquidem præſcripſit illi Antagoniſtam non potentiſſimum aliquem Angelum, ex Cherubinis aut Seraphinis, ſed infirmum muliebre vaſculum, & ſimul prædixit illi, acre adhuc reſtare bellum cum muliere, quam ille poſtratam credebat. 2. quia innuens DEUS magnis ſe cumlaturum beneficiis mulierem, magnæ invidiæ objectum objecit Diabolo.

Habac. 1. *Thren. 4.* *Judic. 8.* *Ibid. cap. 9.* *Apoc. 12.* *1. ad Cor. 16.* *Ad Hebr. 6.* *Exod. 4.* *Ezech. 14.* *2. Reg. 16.*

CXXXIII. Sexta pœna fuit, ut ipſe Diabolus aliquando triumphandus eſſet à muliere. *Ipſa conteret caput tuum.* Vel *ipſe conteret caput tuum*, alludendo ad filium illius mulieris, hoc eſt ad ſemen, quod in lingua hæbrea eſt maſculini generis: Utrovis modo intelligi poteſt, & utrovis modo fuit verificatum ut jam dixi ſupra num. 22. ſic enim evenit, quod inſtrumento eodem, quo adverſus DEUM bellare auſus fuerat, caput ſuum diſcinderetur: Demum pœna ſeptima fuit damnari in ſuo typo, organo, ſive inſtrumento, id eſt in ſerpente, ut bellum traheret viliſſimis (ut jam ex aliis verbis ſupra inſinua-

vi,) artibus, & indignis non solum generositati Angelicæ, verum etiam humanæ, *tu insidiaberis calcaneo ejus*: En quomodo totum illud colloquium, quod historicè scribit Moyses, habuisse DEUM cum serpente, quodquè reipsa habuit, quia id poscit historia vera, & realis, non fuit verè, ac realiter, ac secundum strictum sensum verborum cum illo, sed cum Diabolo in illo tanquam in Organo, sivè instrumento, quo Diabolus fuerat abusus; Et quanquam hic ad intelligendum sententiam, maledictionem, & damnationem divinam non indigebat verbis extrinsecùs sonantibus, his nihilominus usus est DEUS, tum ut Adamus, & Eva ibi præsentes rem intelligerent, tum, ut per medium illorum, negotium hoc descenderet usque ad Moysem, & per hunc perveniret ad nos, tum, ut sicut ille verbis externis perfecerat suam deceptionem ita verbis quoque externis acciperet suam damnationem. *Per quæ enim quis peccat &c.* Et etiam quomodo illa, quæ connaturalia sunt serpenti, ut gradi supra pectus suum, comedere terram, insidiare calcaneo &c. potuerunt esse pœna serpentis: Nempè fuerunt symbolum & figura novarum pœnarum, quæ propter illud crimen novum infligebantur Diabolo latenti sub illo serpente, vel extrinsecus causanti metus, actiones, & verba, quæ in eo animali percipiebat homo, & quod oculis suis cernebat.

§. Tertius.

CXXXIV. Hic est secundus modus ex illis tribus, quos promisi numero 118. explicandi ergò modum, quo potuit contingere colloquium illud serpentis cum Eva, tertius est consentaneus leis quæ super Angelorum corporeitate disputavi à num. 112. serpens ille potuit esse non quidem animal serpentinæ speciei, qualia sunt quæ vulgo novimus, & vocamus *serpentes*; sed Diabolus ipse divina justitia damnatus ad habendum sibi unitum aliqua ex unionibus ibi memoratis serpentem aliquem, (qui ut tunc esset visibilis oculis corporis minorem solito haberet tenuitatem, sivè diaphaneitatem, majoremque crassitiem, sive profunditatem) in suum dedecus, atque infamiam, non solum apud suos quondam sodales, & apud suos tunc compares, verum etiam apud animas separatas, quæ illum sic incèdentem intuentur; sicut nobilissimus eques damnatus cum aliis propter crimen læsæ Majestatis ad habendum impressas in vultu notas serviles, vel ad gestandum semper furcam pendentem è collo, aut infame illud scapulare, quod Hispani vocant *sanbenito*, torqueretur pudore, non solum apud fidam nobilitatem, & apud socios suæ perfidiæ, sed etiam apud infimam ipsam plebem. In pœnam igitur procacis suæ audaciæ potuerunt, ut ibi dicebam nobilissimæ illæ substantiæ Angelicæ, quamvis completæ, atque spirituales, damnari per iratum, & omnipotentem judicem ad gestandum sibi intimè unitum, & affixum (non tanquam partem essentialem, aut integralem, quia id repugnat essentiæ Angelorum) serpentem aliquem, aut Bufonem, aut araneum, aut vespertilionem, aut Draconem &c. quæ monstra sunt magis ignominiosa Angelicæ substantiæ, quam equiti nobilissimo sunt, notæ serviles, aut scapulare dictum: Quidni potuit hoc contingere? Ec quodnam absurdum sequeretur ex hac pœna! non sunt Dæmones damnati ad habendum sibi intimè infixum, & unitum ignem materialem, ardorem, & combustionem sine consumptione, quæ corporea sunt, & materialia entitative? cur non potuerunt damnari ad habendum aut per solam compenetrationem, aut per unionem etiam, aut etiam per receptionem aliquam aliam formam viventem materialem ipsis summè ignominiosam in eo sensu, & non in alio, in quo habent colorem ardorem, & ignem materialem? Profectò ad hanc unionem, v. g. habent capacitatem obedientialem, licet ipsi sint substantiæ completæ spirituales, sicut substantiæ completæ naturales habent capacitatem obedientialem

lem ad recipiendum adæquatè, & producendum inadæquatè actus supernaturales; non enim datur major improportio inter illa, quam inter hæc: si ergò supernaturaliter possunt fieri hæc: atquè defacto fiunt, cur non possunt fieri illa, hoc est, quod illa obedientialis potentia reducatur ad actum.

CXXXV. Dices 1. præter illa, quæ suprà soluta sunt multiplicarentur miracula sine necessitate: Multiplicentur, quippè non dico rem ità defacto evenire, sed potuisse fieri absque ulla repugnantia. Præterquam quod congruitas puniendi dedecore, atq; infamia superbissimas illas personas esset necessitas aliqua alligandi eas ad vile aliquid corporeum, & materiale, sicut vínculo alligantur homines propter dedecus ad furcam, vel ad compita publica, quandò a magistratu exponuntur infamiæ publicæ. Dices 2. Infelices illæ animæ bestiarum, quibus uniti forent Diaboli, damnatæ quoque forent ad magnam pœnam. Nego id: Quia quamvis ille sint ex se sensibiles, & ardorem sentiant, quando sunt in corpore quod comburitur, sed non quando sunt extrà omne copus (sicut est quantitas Eucharistica, quæ etiam est quid materiale suaptè natura exigens materiam, in qua recipiatur) & sunt in puro spiritu, in quo ignis materialis non potest operari immediatè, ac directè, nisi per miraculum speciale, ergò ut animæ illæ ardorem sentirent, opus erat novo speciali miraculo, etiamsi cum igne penetratæ sint, quandoquidem hæc penetratio non facit, quod illæ sint *in corpore*, seu quod *habeant corpus*: Atqui hoc novum miraculum non sequitur necessario ex primò: Ergò necesse non esset, quod animæ illæ bestiales ardorem paterentur, licet paterentur violentiam physicam, eo quod non essent in subjecto, in quo possent elicere connaturales suas operationes; sed hoc animabus etiam beatis contingit magna ex parte, quippè quæ separatæ sunt à corpore, cujus unionem appetunt naturaliter, & cujus organis egent ad multas proprias operationes: sanè energumeni habentes dæmones in suis intimis visceribus, habent consequenter intrà corpus suum ignem materialem, quo illi ubilibet torquentur, & quem secum semper gestant: Et tamen energumeni non sentiunt ardorem physicum, & materialem illius ignis, quo aliàs in favillas redigerentur: Ergò quamvis Dæmones in pœnam sui peccati fuissent intime penetrati non solum cum anima, sed etiam cum corpore serpentis. v. g. hoc est cum toto individuo animali serpentinæ speciei, non sequeretur animal hoc comburendum protinus, aut miraculosè conservandum; deniquè quæcumquè objeceris contrà possibilitatem Metaphysicam hujus corporeitatis Dæmonum, semel, & iterum explicatæ, hebetantur exemplo ignis materialis, quo torquentur, & quem sibi infixum habent ipsi, & animæ damnatæ, nec non animæ purgatorii, quia utræquè sunt spirituales entitativè, & utræquè habent in se ignem, quo torquentur. Hæc exempla, quamvis non admittantur à græcis, ac propterea non fuerit definitum, sed solum disputatum Purgatorium per *ignem* in concilio florentino, admittuntur unanimi consensu à Latinis.

CXXXVI. Stabilito, Dæmones potuisse absque ullo absurdo damnari, ut in sensu dicto evaderent corporei, ajo: Subjectum significatum illa voce *serpens*, quâ utitur Moyses in hac historia, potuit esse Diabolus ex illis (forte Lucifer ipse) qui damnati sunt ad habendum per intimam alligationem, seu per meram compenetrationem ut deducus summum, aut animam solam serpentinam, cui tunc ex circumstante materia aptavit corpus figuræ serpentinæ, aut ad habendum corpus solum serpentinum, aut ad habendum corpus, & animam hujus speciei, id est individuum quoddam animal serpentinum, eo ferè simili modo quo unum individuum unius speciei habet quandoque in partu monstroso sibi intimè

inne-

innexum individuum aliud, ut ex probatis historiis probavi Disput. 1. Physicæ num. 165. Et tunc illa vox *serpens* erit nomen adjectivum, & significabit *illum, qui sibi annexum habet serpentem*; sicut vestitus significat eum qui habet vestem, & armatus significat eum, qui habet arma: Et sensus erit: Ille, qui erat serpens, eo quod serpentem sibi intimè unitum haberet, erat callidior, & dixit ad mulierem &c. Item dixit DEUS ad illum, qui sibi intime unitum habebat serpentem, *quia feciſti &c.* Quamvis enim substantia, qualis est serpens nequeat esse accidens prædicamentale, potest esse accidens logicum, sivè prædicabile, quatenus adesse, & abesse potest subjecto absque hujus corruptione, ut in exemplo vestis, & armorum patet. Quamobrem non est magna violentia, quod illa vox *serpens* sit adjectiva, & significet eum, qui intimè unitus erat cum serpente corporeo: sicut vox *sanctus* significat eum, qui unitam sibi habet sanctitatem, & vox *albus* eum, qui unitam habet albedinem: Et vox *persona* significat naturam rationalem quæ sibi habet unitam subsistentiam, posito, quod hæc sit quid positivum, & non sit principium immediatum operationum, sed solum sit prærequisitum mediatum ad illas, ut inter explicandum axioma illud, quod falsò tribuitur Aristoteli, *actiones sunt suppositorum*, dixi in propomo Disp. 3. cap. 1. Sicut ergò verè dicitur: *Persona loquitur, persona decipit*, quamvis sola natura rationalis, quæ sibi habet unitam personalitatem (quæ non est entitativè accidentalis, sicut sanctitas, & albedo; nec tantum extrinsecè circumdat subjectum, sicut vestes, & arma) physicè ac realiter eliciat locutionem, deceptionem &c. Ita verè potuit dici, *serpens dixit, serpens decepit*, quamvis sola natura Dæmonis, quo sibi unitam habebat substantialem entitatem serpentis physicè, ac realiter loqueretur, deciperet &c.

CXXXVII. Quod si adhuc volueris, vocem illam *serpens* esse nomen substantivum, & significare non quod habet per intimam unionem serpentem, sed quod est serpens, adhuc subsistit tertius ille modus, cui insisto à num. 133. Tum quia effectus tribuuntur non tantum causis physicis, sed etiam moralibus, ut obvia, & quotidiana exempla ostendunt. At quam. quam totum illud negotium perageretur physicè à solo Dæmone, serpens ille individuus, quem sibi intimè unitum Dæmon habebat, potuit esse una ex causis moralibus incitantibus Dæmonem ad actiones illas: Quatenus ille serpens summopere affligens, & crucians Diabolum (non aliter, nisi quia erat opprobrium, ac dedecus sibi affixum a DEO, sicut furca pendens è collo affligebat furciferos) fuit una è causis instigantibus Diabolum ad corrumpendum illam imaginem DEI: Ergò quamvis nil physicè ageret animal serpentinum in eo negotio, sed totum fieret physicè à Diabolo, potuit negotium illud tribui serpenti sumpta hac voce substantivè, & pro eo, quod est realiter serpens. Tum quia sicut est vulgare appellare unam solam partem nomine proprio totius, v. g. *Sancte Petre ora pro nobis*, hoc est, *anima sancti Petri ora pro nobis.* Cum ille, utpotè olim mortuus, & nondum redivivus non sit in rerum natura, & similiter de aliis sanctis, quos frequenter invocamus: Ita vulgare est, appellare ipsum totum nomine unius tantum partis, ut supra notavi: Atque propterea homo interdum nominatur in scripturis, quas ibi dedi, nomine solius carnis, interdum nomine solius animæ, interdum etiam nomine solius nominis, v. g. *Occisa sunt in terræmotu nomina hominum* [illegible] *septem millia* hoc est septem millia hominum. Atqui serpens substantivè acceptus, animal nimirum serpentinæ speciei, esset una pars illius complexi ex Dæmone, atquè serpente; Ergò juxta phrasim scripturæ, imo & sæcularis litteraturæ, potuit totum illud complexum vocari serpens, etiam substantivè. Ex quibus omnibus habes tres modos, quos num. 118. pollicitus sum, intelligendi Genes. 6.

hanc

hanc hiſtoriam, ſerpentis ſeductoris, 1. quod ibi nullum penitus intervenit animal: ſed ſolus Dæmon, qui ſerpens dicitur, eo quia apparuit Evæ ſub figura ſerpentis, ſicut aliis apparare ſolet ſub aliis figuris, ex condenſata multitudine atomorum, replentium atmoſphæram, compoſitis; & res ſolent vocari nomine illius, quod non ſunt, apparent tamen eſſe, ut ibi oſtendi: 2. Quod intervenit ibi animal verum, & reale, ſed tanquam merum Organum, & inſtrumentum Diaboli extrinſecè aſſiſtentis, aut intrinſecè latentis, ſicut in energumenis, ut num. 119. explicui. 3. quod vox *ſerpens* poteſt eſſe nomen adjectivum, non quidem formæ accidentalis, ut *albus;* ſed rei ſubſtantialis, ut *perſona,* juxtà illos, qui perſonalitatem judicant eſſe quid poſitivum: Et conſequenter, quod vox illa poteſt ſignificare *illum, qui ſibi intimè affixum habebat ſerpentem*: Quod ſi fuerit nomen ſubſtantivum poteſt ſignificare ſerpentem verum, & realem, qui affligens Diabolum, ſicut notæ ſerviles, aut ſcapulare infame affligunt malefactorem, impulit eum ad illud ſcelus novum, & ſic fuit hujus cauſa moralis; cauſis autem moralibus frequenter tribuuntur effecta. Vel poteſt ſignificare totum illud complexum ex Diabolo, & ſerpente, cum ſit etiam vulgare, quod nomine unius tantum partis ſignificetur ipſum totum. Sinechdoche quippe, & metonimia ubique ſunt vulgares.

CXXXVIII. An autem hæc ſpecies corporeitatis, quam poſſibilem eſſe in Dæmonibus, jubet opinionem illorum, qui cenſuerunt Dæmones commiſtos fuiſſe cum filiabus Caini & ex hac ſcelerata commiſtione procreatos fuiſſe gigantes illos, quos meminit ſcriptura inquiens. *Poſtquam enim ingreſſi ſunt filii DEI ad filias hominum, illæquè genuerunt, iſti ſunt potentes &c.* Poſtea diſputabo inter explicandum hæc verba. Interea certum eſt, prædictam corporeitatis ſpeciem non prodeſſe quidquam, ut Dæmones verè ac ſimpliciter vivificent corpus illud, ſive Organicum, ſivè informe, ſivè ſit mera forma corporea, & materialis, ſivè quodcumque aliud, ad quod geſtandum in dedecus, & opprobrium continuum damnari potuerunt: Et multò minus prodeſſe, ut habeant ſemen corporeum prolificum, ſicut animalia habent: Quapropter, ſi homines aliqui fuerunt generati ope Dæmonum, ut illi, quos Heroes ac ſemiDEOS appellabat priſca gentilitas, ideò generati fuerunt, quia ſemen humanum copioſum ſpiſſum, craſſum, ſpiritibusquè refertum furati ſunt Dæmones ab aliquo homine proportionato, & fœmineæ matrici non multum diſtanti citiſſimè infuderunt, ne ſubtiliſſimi ſpiritus generationi ſervientes, diſſiparentur: Et ſic applicantes activa paſſivis, in cauſa fuerunt, ut heroes illi, ſivè etiam robuſti gigantes (quorum ferox quondam ſicilia dicitur juxta crebrò inventa ibi gigantea ſcheletra) naſcerentur. Momentanea quippè hæc transportatio ſeminis ad propinquam matricem non ſuperat vires diabolicas, & ſemen ibi ſemel receptum naturaliter operatur, non ſecus ac ſi modo ordinario fuiſſet infuſum. Sicut ignis Diabolicè aſportatus ex India Madritum eodem modò calefaceret, ac combureret Madriti, ac ſi modo ordinario fuiſſet ibi poſitus. Vide P. del Rio. *Del Rio lib. 2 diſquiſ. qu. 15.*

Genes. 6.

R.P. Ulloa de Principio & Fine Mundi.

CAPUT XII.

De Locutione Beſtiarum in Paradiſo.

CXXXIX. HÆc eſt altera difficultas, quàm ſuprà promiſi diſputare: Occaſionem dedit S. Baſilius, qui fæliciratem Paradyſi explicans, quem adhuc extare putat, inquit, *ſunt illic variorum etiam animalium ſpectacula:* Et mox. *Quæ, & audiunt inter ſe, & loquuntur ſenſatè*: Hæc ſententia ſobriè intellecta prout credendum eſt ſcriptam fuiſſe à S. Doctore, non caret probabilitate: Sex itaque diſtinguenda ſunt: Et quinque priora reor falſa eſſe. *Primum*, quod beſtiæ locutæ ſint ſenſatè ſenſatione rationali nempè quate-

Baſil. Orat. de Paradyſo.

nus locutio provenerit ex cognitione, ac volitione. Quæ opus essent mentis, atque rationis, quales sunt locutiones divinæ, Angelicæ, atque humanæ. Jam vides repugnare id essentialiter animali irrationali, quales sunt omnes bestiæ. 2. Quod locutæ sint sensatè ex sola quidem phantasia, & appetitu maleriali, de rebus tamen quæ sensu externo percipi nequeunt, v. g. de DEO, de substantiis spiritualibus, de veritatibus universalibus, de conditionalibus, de disjunctivis, de illationibus unarum veritatum ex aliis. Et hoc etiam repugnat bestiis, tum quia licet homines per cognitiones materiales ex sola phantasia oriundas, valdè abstractivas & imperfectas, cognoscamus interdum v.g. inter dormiendum somno naturali objecta spiritualia ut Deum & Angelos &c. & consequenter objecta superantia sensus externos, hoc ideò est: Vel quia priores cognitiones spirituales, quas vigilantes habuimus de objectis illis, cum representent illa per species corporum, relinquunt etiam in phantasia speciem materialem sui ipsarum (quamvis enim materiale nequeat se solo producere rem spiritualem hæc potest cum principiis ordinariis producere illud.) Hæc autem materialis species casu excitata in somno, (sicut chorda casu tacta edit sonum) animam determinat, ut objecti spiritualis producat cognitionem imperfectam valdè adhuc intra genus cognitionis abstractivæ & similem, non quidem cognitioni spirituali, à qua mediatè descendit, sed speciei materiali, ex qua immediatè producitur, & consequenter determinat animam, ut tunc producat cognitionem materialem valde imperfectam objecti spiritualis.

CXL. Vel ideò est, quia quando actu rationis cognoscimus objectum spirituale, cognoscimus etiam illud actu phantasiæ materiali, quippè cognoscimus illud instar rei corporeæ, atque per speciem rei corporeæ: Et quia non solum imaginamur res corporeas, sed etiam res spirituales, v. g. Angelos, animas nostras &c. ille actus materialis phantasiæ relinquit speciem materialem sui ipsius in ea parte cerebri, ubi fiunt actus imaginationis. Hæc autem species in somno excitata, casu, vel ope Angeli boni, aut arte Angeli boni, aut arte Angeli mali, determinat animam alias capacem, ad hoc, ut de novo producat aliam cognitionem materialem illius ejusdem objecti: Unde habetur, non esse de ratione actus phantasiæ humanæ quod suum objectum sit in se ipso immediatè perceptum per aliquem sensum externum, cum possit dari actus phantasiæ, sivè imaginativæ potentiæ, qui exprimat, licet imperfectè valdè, objectum spirituale olim cognitum actu spirituali ab illa eadem anima: Vel demum ideò est, quia interdum propter specialem combinationem circumstantiarum, præsertim propter habitum, & consuetudinem personæ dormientis, non solum excitantur species materiales phantasiæ, verum etiam excitatur tenuiter, ac valdè imperfectè species aliqua spiritualis ex priore aliqua cognitione spirituali relicta in anima. Hæc spiritualis species tenuis, & imperfecta relicta in anima, hanc determinat, ut de novo concipiat abstractivam, & valde tenuem, atque imperfectam cognitionem spiritualem illius ejusdem objecti. Et hæc est, quæ potest haberi inter dormiendum somno ordinario. Et sic potest salvari nunquam cognosci objectum spirituale sivè quomodolibet superans sensus externos, nisi actu spirituali. Cæterum cum meritum, & peccatum grave poscat plenitudinem advertentiæ, atque consensus, palam, fit tenuissimam illam advertentiam, quam dixi, tametsi spiritualis sit, imparem esse merendo, aut peccando graviter in somno; de quo lege Augustinum. Tunc sic: Unaquæquè ex his tribus rationibus propter quas possumus inter dormiendum habere aliquam cognitionem rei non perceptæ per sensus externos, trahit secum, quod prius co-

cognoverimus illam cognitione ſpirituali, nempè oriunda ex ſola mente, ac ratione : Ergò ex hac experientia, aliquorum noſtrorum ſomniorum, non poteſt argui ad beſtias, quæ utpotè irrationales, nunquam habere potuerunt cognitionem ſpiritualem: Ergò ex hac experientia non poteſt argui, beſtias poſſe cognoſcere objectum ullum, quod per ſenſus ipſarum non ſit perceptibile : Ergò nequè poteſt argui, eas poſſe loqui de illa locutione proveniente ex ſola phantaſia.

CXLI. Tum etiam, quia beſtiæ non modo ſunt impotentes cognoſcere independenter à ſenſibus externis, qua impotentia nos quoq; premimur in hoc ſtatu, ſed inſuper ſunt impotentes cognoſcere ea, quæ nequeunt percipi ſenſibus: quippè cum non habeant aliam viam, aliam portam, aliam feneſtram, aliud medium ad cognoſcendum, niſi ſolos ſenſus externos, & rebus per hos intrantibus nequeant uti ad habendum modum cognoſcendi magis purum, & elevatum, non poſſunt cognoſcere ullatenus, niſi quod per illos ingreditur. Homo autem cum ſit rationis compos, ſi non fuerit ex illis carnalibus, in quibus *tota regula intelligendi eſt conſuetudo cernendi*, hauſta ſemel aliqua luce per ſenſus, poteſt nativâ ſuâ vi intelligendi multiplicare, ut ità dicam, illam, & tenui eo capitali adjutus acquirere ſuâ induſtriâ alias, & alias veritates, alias, & alias nobilores cognitiones (licet abſolutè imperfectas, & abſtractivas) circà objecta non perceptibilia per ſenſus: ſicut mercator ſolers accepta initio modicà pecunia ſolet induſtriâ ſuâ multiplicare illam: *quinque talenta dediſti mihi, ecce alia quinque &c.* Atqui veritates univerſales, conditionales disjunctivæ, illativæ, DEUS, Angeli, & ſimilia, non percipiuntur per ullum ſenſum externum. Ergò quamvis homo in cognoſcendo pendeat etiam à ſenſibus poteſt nihilominus iſta cognoſcere, ſecus beſtiæ: Ergò hæ non poſſunt loqui ſenſatè de illis, locutione proveniente ex mera phantaſia.

Idem Serm. 147. de temp.

Matth. 25.

CXLII. *Tertium*, quod beſtiæ locutæ ſint ſenſate, locutione proveniente ex ſola phantaſia appetituque materiali, quæque eſſet de ſolis rebus per ſenſum externum perceptibilibus; poſſet tamen eſſe de omnibus his rebus ſenſibilibus: neque hoc dico poſſe evenire, v. g. quod loquerentur de motibus aſtrorum præteritis, & futuris, de febribus, de fabrica navium, de exercitu inſtruendo, de choreis componendis (quæ omnia perceptibilia ſunt per ſenſus materiales) qualitas namque, & univerſalitas rerum harum ſuperat captum beſtiarum, quas DEUS produxit in præſenti rerum ſyſtemate, quidquid ſit de aliis pure poſſibilibus, has omnes excedentibus, & rationalitati magis accedentibus, quin attingant illam; & quia totus inſtinctus, quem experimur in beſtiis non extenditur ad aliud, quam ad commoditatem proprii individui, ac prolis propriæ, ad aliaque pauca: *Quartum*, quod omnes prorſus beſtiæ etiam, quas mutas eſſe novimus, quales ſunt pleræque aquatiles, fuerentur dicto privilegio loquendi. Etiam cimices, v. g. & Pulices: neque hoc dico, quia hujusmodi animalcula muta non habent in ore, gutture, aut alibi, organa, per quæ formetur in vocem adhuc informem ventus, quem reſpiratione emittunt: Ergò vel tunc in Paradyſo locuturæ erant absque his organis (ecce novum miraculum) vel cum illis, & ſic mutata fuiſſet fabrica & Æconomia partium ſuarum integralium, quam mutationem, ſicut non nego poſſibilem, ità nequeo affirmare exiſtentem: *Quintum* eſt, quod bruta perfectiora quæ habent in ore, gutture, & pectore organa ad vocem emittenda, v. g. canis, felis, equus, Leo, Muſca, Culex, veſpa, apis, & multæ volucres, locuta fuerint ex ſola phantaſia, ut ſolent loqui ebrii, phrænetici, dormientes, atque de illis ſolis rebus, quas defacto exprimunt aliis motibus ſuorum corporum, ac etiam voce inarticulata oſtendunt ſe appetere, timere, aut non curare: Neque id dico eveniſſe de-

defacto, quia neque in natura, neque in scriptura, neque in Patribus (uno excepto Basilio, ut videtur, Philonem secuto) fundamentum detego ad asserendum id defacto contigisse.

CXLIII. *Sextum* denique est, quod hoc potuerit esse absque ulla repugnantia Metaphysica, aut physica. Hoc tantum dico, & de dicta sola specie locutionis puto locutum fuisse sanctum illum doctorem, quamvis attento verborum cortice videtur oppositum. Non enim credendus est tantus vir, & forsan neque Philo, censuisse canem potuisse habere concionem ad populum, aut felem potuisse loqui cum suis filiis de modis capiendi mures, aut equum potuisse conscribi in senatum, ut sententiam diceret, aut similia alia, quando scripsit animalia in Paradyso audire inter se, *& loqui sensatè*: Hæc autem locutionis species impar esset, ut ille serpens, qui decepit Evam, fuisset merus serpens non motus à Diabolo: Quoniam illud colloquium fuit, ut ex ipso constat, de rebus, quæ sensu externo non percipiuntur: Explico igitur hanc circumscriptam, & castigatam speciem locutionis non repugnare bestiis adhuc in hac providentia. In primis, arte, ac industria humana fit, quod nunc etiam aliquæ bestiæ articulatas non paucas edant voces, ut experimur in Picis, imo quod integras canant strophas; ut experimur in Psithacis: Et consequenter fit, quod loquantur locutione proveniente ex sola phantasia, & appetitu materiali. Loquantur inquam quoad solam articulationem vocum, & formationem verborum per pronunciationem litterarum Alphabeti nostri: Cur ex dispositione supremæ naturæ naturantis non potuit fieri citra miraculum, quod aliæ quoque bestiæ ederent formatas quoque, & articulatas voces illas, quas modo rudes, ac informes edunt: Sed in quo idiomate? In eo, quod ipse DEUS pro unaquaque specie instituisset, vel pro omnibus in communi: Certè solus DEUS instituit linguam, qua usi sunt Adam, & Eva, infundens illis facilitatem ad proferendum ea verba, nec non notitiam significationis, quam ex placito divino habebant. Ipse solus similiter instituit illa septuaginta duo idiomamata, quando in ædificatione Turris, *confusum est labium universæ terræ.* Ipse solus combinans, & coordinans hetherogeneè membra bestiarum, instituit defacto illas semiarticulatas voces, & sonantes ex nostro alphabeto litteras aliquas, quas defacto edunt bestiæ, & quas sponte absque prævia instructione intelligunt suo modo sociæ, & nos ipsi ex consuetudine, v. g. *Hin* equorum *Mu* bovum *Gua* canum, *qui &c.* pullorum *Juf* catorum, *Hon* asinorum, & multa similia, in quibus audiuntur nostri alphabeti litteræ; Hæ formatæ, ac articulatæ voces essent locutio, quatenus sonantes ordinatè, ac distinctè litteras multas, sivè plerasquè nostri alphabeti, ederentur à bestiis ex cognitione, atque appetitu purè materialibus, eodem penitus modo, quo nunc edunt alia signa externa, & aliorum membrorum motus, dum exprimunt famem, alacritatem, dolorem, timorem, minas, & alios materiales appetitus, quos passim experimur significari à bestiis per suas actiones, & motus. Deindè inter picas psitacos, & quædam alia animalia, sunt, quæ formant in gutture, & ore voces humanas, quibus assueverunt; plurima vero alia ejusdem speciei, quia non assueverunt, nunquam formant illas, quin propterea una, & altera habeant organa diversa substantialiter, sed solum accidentaliter, quatenus una organa sunt magis levigata, & castigata quam altera. Ergò quin bestiæ haberent in hypothesi, quam dixi possibilem, Organizationem substantialiter diversam ab ea, quam nunc habent, poterat fieri, quod tunc loquerentur in sensu dicto, & quod modò non loquantur, eo quia tunc haberent linguam, & guttur magis docilia, castigata, & levigata.

Genes. 11

CXLIV.

CXLIV. Ratio potest esse. Bestias loqui locutione dictis restrictionibus castigata, staret physicè ex parte rerum in his tribus solis. Primo, quod phantasiam, & appetitum naturalem tantillum ampliorem, quàm modò, haberent, eo quòd organa his servientia nonnihil melius temperata essent. 2. Quod emissione aeris ex præcordiis, variisque motibus gutturis, linguæ, atquè oris totius, formarent in ore plures diversos sonos, non sanè indigestos, & inarticulatos ut sæpè nunc faciunt (alias sequeretur, quod nunc etiam loquerentur) sed articulatos, & per plures minutas inflexiones sonorum A.B,C,D,&c. 3. Quod horum sonorum formatio in ore proveniret ex phantasia, & appetitu materiali jam circà hanc, jam circà illam, jam circà aliam rem determinatam, sicut modò faciunt aliis motibus membrorum aliorum, & multoties rudi quodam, & indigesti sono in ore. In complexo ex his solis, staret locutio, quam in bestiis non repugnare probabile judico. Cum enim tot sint, ac tam diversi modi loquendi apud homines ipsos idiomatis ejusdem, oportet assignare conceptum aliquem communem in quo omnes utcumquè conveniant: Videtur autem satis congruus ille, quem dedi Disput. 1. Dialecticæ n. 26. nimirum *edere aliquod signum ex directa, & absoluta intentione, ut alius rem sciat*: Cumquè hæc intentio possit esse pure spiritualis, ut cognitio, & intentio divina, Angelica, & hominis sobrii, vel purè materialis, ut cognitio, & intentio hominis ebrii, aut phrænetici, item cognitio, qua Gallus vocat gallinas ad prædam inventam, & gallinæ convocant similiter suam familiam articulatis illis vovibus *Co, Co, Co.* Item cognitio, & intentio, qua bestiæ aliæ edunt voces, quibus, aut sollicitant fœminas, aut minantur aliis: Idcircò locutio in genere prout præscindit à locutione oriunda ex mente, & ob oriunda ex sola phantasia, appetituque materiali videtur consistere in hoc: *Edere aliquod signum ex directa, & absoluta intentione interdum rationali, interdum pure materiali, de eo, quod alius, aut sciat, aut intelligat, aut faciat, aut emittat rem aliquam*: Ne autem inferas bestias defacto loqui, addidi quod signum sit, per varios motus linguæ; gutturis, & oris, formatio, inflexio, & articulatio sonorum respondentium non uni, aut duobus, (ut etiam nunc contingit) sed pluribus Elementis A, B, C, D, &c, hoc enim est quod vulgò dicitur *loqui*. Atqui tria illa, nec metaphysicè repugnant bestiis, adhuc attenta organizatione, quam defacto habent: Cedo rationem: Ergò non repugnat ullatenus species locutionis, quam probabilem puto: Quod si dixeris, hanc non esse proprie, ac simpliciter locutionem habebimus quæstionem de voce: Et distinguam: Non est propriè proprietate actus rationis concedo: Non est propriè proprietate actus phantasiæ, formantis vocem externam articulatam per elementa alphabeti nostri nego: Hoc modo loquuntur ebrii, dormientes, & pueri nondum nacti usum rationis, & tamen simpliciter loqui censentur.

CXLV. Tota igitur realitas locutionis, quam judico non repugnare bestiis, & non repugnasse in Paradyso, consistit in eo, quod ex cognitionibus, & appetitibus, materialibus vivacioribus tantillum, quàm sunt illi quos modò habent, formarent, gutture, lingua, & ore plures modò voces, & multis litteris alphabeti nostri articulatas, quibus exprimerent illa objecta materialia (& pauca alia) quæ modo exprimunt motibus aliis aliorum membrorum, & etiam quiete, & etiam vocibus sonantibus unam, vel alteram litteram nostri alphabeti, ut Leo exprimit, *Ruu*, Bos *Muu*, Gallinæ *Clo*, Canis *Gua*, Columba *Hun*, Pavo *Miavi*, sicut felis. Corvus *Cra*, ita ut canis, v. g. Loco illorum saltuum, & gemituum, quos dat, quando herum videt manducantem, vocem ederet has, vel similes voces sonantem *da mihi, habeo famem* loco illius minacis, murmuris, & illius ostensionis dentium, quando minatur, ederet aliam

vocem sic sonantem, *Abi hinc: Discerpam te*: Loco illius agitationis caudæ, aurium depressionis, saltuum, & festivorum latratuum, quando redeuntem videt herum, ederet voces his, vel aliis formatas litteris: *Quantum gaudeo: Benè veneris, heus scitote herum adesse*: Similiter quandò felis blando illo murmure vocat suos catulos emitteret articulatam vocem, v. g. *O viscera mea, venitè filii*: Similiter quando gallus convocat gallinas, & hic pullos suos loco illius, *Clo, Clo*, emitterent articulatam vocem, v. g. *citò, citò, habemus rem*, quando Equus, Mula, & Asinus erectione aurium significant specialem attentionem, loco illius actionis emitterent formatam aliquam vocem, v. g. *quid? quæ res ista*, quandò verò aurium depressione, & quasi falso risu minantur, loco hujus actionis proferrent vocem articulatam, v. g. *accede, accede, calces te manent*, & similiter respective in aliis bestiis; cumque non appareat gravis ulla difficultas in eo, quòd bestiæ vivaciorem tantillum habuerint imaginationem, & appetitum materialem, nec non ad res materiales aliquatenus plures, nec in eo, quod lingua, & gutture exprimerent appetitus materiales, quot modo exprimunt actionibus aliis, & aliarum partium modibus, nec in eo, quod suæ voces plura sonarent elementa nostri alphabeti, quàm modo sonant, nec in eo, quòd hos sonos ederent ex cognitione, & appetitu materiali, sicut defacto edunt alias actiones externas: Hac de causa censeo, non esse gravem ullam difficultatem in eo, quod loqui possint, aut locuta sint in Paradyso juxtà Basilium locutione dictis restrictionibus castigata. Et similiter cum non sit specialis difficultas in eo, quod bestiæ sociæ intelligerent suo modo illas articulatas voces, sicut nunc intelligunt alias voces, alias externas actiones sociarum suarum, & nos quoquè usu, & experientia intelligimus illas: Hac etiam de causa puto satis probabile, quod bestiæ habere potuerint à DEO idioma vel universale pro omnibus, vel potius multiplex juxtà multiplicitatem specierum animalium, quo se materialiter caperent, ac benè intelligerent; Est ergò probabilis sub restrictionibus initio datis, sententia Patris illius ajentis, quod tempore Paradysi bestiæ *audiunt inter se, & loquuntur sensatè*, sensatione utique valde distante à rationalitate.

CXLVI. Hinc primo. Argumenta conantia bestiis repugnare locutionem sensatam verè ac propie talem, concedenda sunt de sensatione, veritate, ac proprietate mentis ac rationis: Item de ea, quæ sit super rebus superantibus sensum externum: Item, quæ sit super rebus omnibus hoc sensu perceptibilibus; negando verò sunt de sensatione, veritate, ac proprietate sæpè explicatis. Hinc 2. si quæras idioma, quo loquerentur, ridiculam rem quæres: Quo idiomatè, seu quo externo modo manifestat canis alacritatem, furorem, famem, timorem, doloremve, quando has passiones manifestat jam unis, jam aliis vocibus, jam unis, jam aliis motibus corporis? Idiomate utiquè, seu modo canino: Id contingeret tunc: Esset a DEO institum aut unum idioma universale belluinum, pro omnibus belluis, aut potius ut supra dicebam, multiplex juxtà ipsarum divisitatem, v. g. idioma Leoninum, idioma eqninum, idioma bovinum &c. Sicut enim defacto DEUS coordinans belluarum corpora, & horum partes combinans, instituit illis voces rudes, quibus suas passiones manifestant, modis diversis, ita tunc vivaciorem, & universaliorem dans illis imaginationem, & aliquantulum plus modificans bestiarum guttur, linguam, & os, instituisset unicuique speciei speciales externos, & articulatos modos exprimendi passiones easdem, & consequenter specialia idiomata belluina.

CXLVII.

CXLVII. Hæc ſunt, quæ diſputanda ſelegi ex tribus primis capitibus Geneſis; Alia de peccato Originali, de ligno vitæ, de arbore ſcientiæ, de cherubino cuſtode, & gladio igneo, de Paradyſi deſtructione, vel conſervatione paſſim diſputata occurrunt. Interea nota: Cum homo & terreſtria animalia inceperint eſſe die ſexta mundi, creatus, & redemptus eſt homo die, quam nunc vocamus *feriam ſextam*: Sextam inquam, non à prima creatione & motu ſolis, nam reſpectu hujus, utpote facti die quarta, erat dies ſecunda, ſed ſextam à prima creatione cœli, & terræ: Die, quam vocamus *feriam quintam* facta ſunt animalia, & volatilia: Die, quam dicimus *feriam quartam*, facta ſunt ſydera errantia: Die, quam vocamus *feriam tertiam*, productæ ſunt herbæ, atque arbores. Die, quam *feriam ſecundam* vocamus, factum eſt mare & cœlum Chryſtallinum: Die quam Dominicam nuncupamus, creatum eſt empyreum, terra, aqua, & lux, & Chriſti Domini reſurrectione datum eſt nobis pignus reſurrectionis corporum noſtrorum è terra, ut ipſa etiam aliquando ingrediantur empyreum: Conſtat hic ordo inverſus ex ordine directo. Quem dat Moyſes, & quem ſecutus ſum in tota ha Diſputatione & quem Ambroſius ſequitur in ſuis hymnis.

DISPUTATIO SECUNDA.

De Primis Incolis hujus mundi usque ad diluvium.

NUmerum, qualitates Phyſicas, & morales, prædeſtinationem, reprobationemque hominum, qui vixerunt per illos 1656. Annos ab orbe condito usque ad orbem inundatum, diſputanda ſuſcipio, cum de diluvio ipſo nonnulla jam dixerim diſputatione prima num. 55. & ſeqq.

CAPUT I.

Propagatio, & Civiles diſciplinæ hominum ante diluvium.

I. ESto concluſio: Videtur genus humanum jam fuiſſe propagatum tempore diluvii Noëtici non minus quàm modo, aut fortè multò plus: Et conſequenter fuiſſe Europeos, Aſiaticos, Africanos, Americanosque *antediluvianos*: Habuiſſe urbes, pagos, rura, & caſtella ſicut nunc: Inſulas habuiſſe, & conſequenter nauticam exercuiſſe, atque mercaturam: Artes, ac diſciplinas non tantum Mechanicas, & liberales, ſed etiam ſacras nonnullos ex eis didiciſſe, & alios docuiſſe voce, ac ſcriptis. Habuiſſe monarchias, Ariſtocratias, Democratias, aliasvè regiminis ſpecies, magis, aut minus perfectas, quam præſentes: Uſos fuiſſe omnes illos eadem lingua non utique Syriaca, ut aliquis vult, nec Belgica, ut mavult alius; ſed Hæbrea, quamvis per multas dialectos diviſa, ita ut ægrè ſe caperent unæ, & aliæ ex illis gentibus. Hæc omnia dico ſub verbo *videtur*, quia cum neque Metaphyſica, nequè phyſica ratio convincat aliquid ex his, ſicut nequè contradictorium, rationabilius tamen inclinat animus in hæc, quàm in contradictoria. Probo primam partem, quam ſatis indicat S. Auguſtinus vocans illam primam hominum generationem *in immenſum Annos 1656. propagatam.* *Aug. 15. de Civ. cap. 8.*

II. Igitur major probabilitas illius propagationis, quam dixi fundatur non in ſingulis, ſed in his quatuor ſimul

simul. 1. tempus ab Adamo usque ad diluvium juxta græcum textum, hoc est juxtà 70. interpretes, fuit 2262 annorum; juxtà vulgatam autem annorum 1656. ut nuper audivimus ab Augustino, & est communis sententia, quam benè probat Pererius. Si autem spatio 215. duntaxat annorum, ut ostendo cum hoc Authore Decade 1. regularum, quas dedi prò intelligentia scripturæ num. 61. adeò fuerunt multiplicati Hæbrei in Ægypto, ut indè exierint usque *ad sexcenta ferè millia peditum virorum, absque parvulis*, cum tamen *omnes animæ Domus Jacob, quæ ingressæ sunt in Ægytum fuere septuaginta* includendo ipsum Jacob (cur autem Stephanus dixerit: *In animabus septuaginta quinque*, lege apud Cornelium) rursus in spatio 300. tantum annorum, qui fluxerunt inter diluvium, & ortum Abrahæ, adeò multiplicati sunt homines ex tribus solis filiis Noë, ut Diodorus scribat, Ninum habuisse exercitum peditum decies septies centena Milla; equitum autem ducenta millia, & curruum falcatorum ferè decem millia, & sexcentos. Zoroastemque habuisse tempore eodem exercitum quadringentorum millium hominum (& quidem neque fœminæ, neque pueri, neque senes, neque invalidi neque omnes viri, qui tunc vivebant in orbe terrarum erant in his duobus exercitibus) quid mirum, quod spatio 1656. annorum, ex filiis Adam, qui profecto multi fuerunt, quandoquidem in illis 800. annis, quos vixit post genitum Seth: *Genuit filios, & filias*, multiplicatum adeò fuerit genus humanum, ut totum orbem terrarum occupaverit, sicut occupat modo.

Per. lib. 14. in Gen. n. 197.
Exod. 12. 37.
Gen. 46. 27.
Deut. 10. 22.
Actor. 7. 14.
Corn in 46.
Gen. 26.
Gen. 5. 7.

III. Præterea longissima erat vita hominum illorum, sivè qui per Patriarcham Seth descenderunt ex Adamo usque ad diluvium, ut constat ex cap. 5. Genesis, quorum plerique ultrà 900. annos vixerunt, sive illorum etiam, qui descenderunt per Cain, quoniam licet de his non dicat Moyses quandiù vixerint, quia, ut inquit Augustinus *noluit spiritus DEI in terrenæ civitatis generationibus tempora notare ante diluvium, sed in cœlestis maluit, tanquam essent memoria digniores*: Et Chrysostomus prius dixerat scripturam nil dicere de filiis Cain usque ad Lamech, *ut doceret nos, quod generationes illas, quasi reprobas factas, neque memoria posthac dignetur*: Veruntamen rationabiliter possumus indicare illos vixisse eandem, aut ferè eamdem annorum summam; tum quia cum ab Adamo inclusivè usquè ad diluvium ponat Moyses decem generationes per lineam Seth, solas octo ponit per lineam Cain, quod indicio esse nobis potest ad suspicandum hos plus vixisse, quam illos. Tum quia cum robur, & humorum complexio æquè valida esset in utrisque illis hominibus, & cum fundamentum non habeamus ad dicendum DEUM fuisse usum speciali providentia ad conservandum aliorum potius quam alterorum vitam, dicendum videtur omnes, aut saltem plurimos, servatâ proportione, convixisse inter se: De illis namque, quorum longissimam vitam narrat scriptura possumus absque temeritate sumere indicium ad judicandum parem, vel supparem annorum prolixitatem in omnibus, aut saltem plurimis aliis: sanè Noë convixit Annos 58. cum Abrahamo, ut ostendit Pererius, qui Abrahamus erat decimus ab illo, & Cain cum occisus fuerit à Lamech, ut communis fert opinio apud eundem pererium, eidem aliquandiu convixit, & tamen Lamech erat quintus ab illo, & Jacob convixit suo undecimo Avo *Sem* 50. ferè annos juxtà Cronologiam Cornelii: Considera igitur, quod viverent nuncinter nos, & quam refertus hominibus esset mundus hic, si plerique, aut ferè omnes viri, & fœminæ, qui erant vivi sexcentis, v. g. ab hinc annis, & morte violenta non fuerant correpti, extarent adhuc. Quanta numerositate gentium habitatæ essent urbes, Pagi, Campi, Montes, & Insulæ? si ergo per spatium 1656. Annorum tam prolixa vita fungebantur homines, qui per extrinsecus illatam vim non moriebantur, credibile valdè est, quod tempore diluvii omnes, aut ferè

Aug. 15. de Civ. DEI cap. 15.

Genes.
Ibid. c. 3

omnes

omnes anguli globi terraquei habitabantur. Profectò quando hæbrei ingressi sunt Palestinam sub Josue plenus hominibus erat hic mundus, & tamen nequè transierant à diluvio tot anni juxtà veram Chronologiam, quam leges apud Cornelium loco citato, nequè tamdiu vivebant homines quamdiù ante diluvium.

IV. Fundamentum tertium: Ab initio fuit indicta hæc lex: *Crescite, & mutiplicamini, & replete terram;* Ergò aliquando in illis 1656. Annis obeditum fuit huic legi, & consequenter repleta est terra (moraliter) hominibus: Undè non constat fuisse in eis temporibus cælibem ullum, nequè ipsum Abel ut ostendit salianus Anno Mundi 129. quo Anno, & in qua sua ætate occisus fuit. Dicit enim scriptura *factum est autem post multos dies* (favet hic modus loquendi annorum multitudini) *ut offerret Cain &c.* Quibus verbis, & quo verborum contextu innuitur, habuisse jam tunc hos duos fratres peculium & familiam propriam, nam quibus, sivè in gratiam quorum pascebat Abel oves, & Cain terram colebat: potest igitur Abel dici absque filiis, sicut Melchisedech dicitur à Paulo *sine Patre, sine Matre*, nempè quia de illis non constat. Demum cum DEUS dixerit Evæ: *Multiplicabo ærumnas tuas, & conceptus tuos*, rectius sentiunt, inquit salianus de Adamo Anno Mundi tertio, *qui penè quotannis geminos, alterum marem, alterum fœminam produxisse putant.* Et rursus Anno Mundi decimo scribit de illis duobus fratribus: *Cum illi sensim adolescebant, alii identidem pullulabant Eva perpetuo, aut ferente uterum, aut parturiente.* Quod si cum debita proportione contingebat fœminis aliis, quæ vixerunt illis 1956. Annis, quis numerare poterit millionum milliones hominum, qui tunc incoluerunt mundum hunc? Fateor nullam seorsim ex his rationibus ligare intellectum plus justo libertatis amantem, sed fateor etiam complexum ex his quatuor motivis reddere magis credibile, quod ea mundi populatio erat æqualis, & fortasse longe major, quam populatio præsens. Rem itaque valde probabilem dixit Cajetanus, quando dixit illam multiplicationem hominum, à qua incipit caput sextum Genesis, incæpisse ab eo tempore, quo Cain occidit Abelem, tunc enim dicit: *Omnis, qui invenerit me, occidet me*, in solo autem capite illo sexto meminit Moyses multiplicationis hominum inquiens: *Cum cæpissent homines multiplicari &c.* Quia ut ibi notat Cornelius, redit Moyses in eo capite ad priora sæcula, ut exponat causas diluvii, quod tunc narrare volebat, & cujus una magna causa fuit ingens hominum multiplicatio.

Genes. 1. 28.

Ibid. c. 4.

Ibid. c. 3.

V. Neque huic obstat 1. quod Moyses nonnisi post Jabel, & Jubal filios Lamechi ponat Seth inquiens: *Cognovit quoque adhuc Adam uxorem suam, & peperit filium, vocavitque nomen ejus Seth*: Quo verbo, *adhuc* insinuasse videtur, quod tunc post illos duos filios Lamechi conceptus fuerit Seth: Nego, quod Adam, & Eva abstinuerint à generatione filiorum per totum illud tempus, quòd fuit inter generationem Abelis, & generationem illorum duorum: Quia jure scribit Cornelius: *Eva ergo, occiso Abel mox videtur genuisse Seth*: Et melius sic intelligitur, quod ipsa tunc dixerit. *Posuit mihi DEUS semen aliud pro Abel*: Et quidem cum isti duo filii Lamechi fuerint octava generatio ab Adam, hic jam non erat in vivis, ut constat ex annis, quos vixit, quando illi nati sunt, ergò non potuit tunc generare Seth. Confirmatur: Scriptura dicit. *Vixit autem Adam* 130. *Annos, & genuit filium ad imaginem, & similitudinem suam vocavitque nomen ejus Seth*: At habente Adamo solos 130. Annos nondum advenerat octava generatio ex ipso descendens per Cain, ut patet; ergò Seth non est natus post istos duos filios Lamechi, qui octava erant generatio ut constat ex 4. Genesis.

Ibid. v. 23.

Cornel. in 4. Gen. v. 25.

Gen. 5.

neſis. Ponit tamen Moyſes illum poſt hos utens eo verbo *adhuc*, quia incæperat narrare facinora Caini, & & voluit, ipſius quoque ſobolem narrare: Expeditusque ab hoc negotio, redit ad primos parentes, & ſcribit *cognovit quoque Adam &c.* Similiter de ſolo Seth, & non de aliis filiis, quos dico genitos ab Adamo, ſcribitur, quod Adam genuerit illum *ad imaginem, & ſimilitudinem ſuam*, quia cum nos omnes per hunc ſolum ex cunctis filiis Adami, ex hoc deſcendamus, ſcire debebamus nos omnes, ad imaginem & ſimilitudinem Adæ quoad naturalia corporis, & animæ eſſe factos. Demum, nequè eſt veriſimile quod adhuc in illis 130. Annis, qui præceſſerunt generationi Seth, abſtinuerint Adam, & Eva à generatione filiorum, ut jam dixi, maximè in ea hominum penuria, quæ tunc erat, quando genus humanum ingredi incipiebat vaſtum hunc globum terraqueum: Certè in aliquo illorum annorum genuerunt filiam, quam Cain aſſumpſit in uxorem cum qua profugus abiit, & ex qua genuit Henoch. Et niſi dicamus hunc etiam duxiſſe ſororem ex parte Patris, & ex parte Matris, quod ſanè non fuit neceſſarium, dicendum eſt duxiſſe amitam, & conſequenter filiam Adami, & Evæ: Credibilius ergo eſt parentes noſtros genuiſſe filios, & filias, no ſolum poſt natum Seth, ut dicit ſcriptura, ſed etiam in illis 130. Annis, qui hujus nativitati præceſſerunt; Tacitos tamen illos præterit Moyſes, quia illorum commemoratio non erat neceſſaria ad exponendum deſcendentiam Noemi, & conſequenter noſtram ex Adamo. Præterquam quod non tenebatur Moyſes dicere omnia, aut meminiſſe omnium, quæ verè fuerunt in hiſtoria, quam narrat: Vide, quæ dixi Decade 2. numero 14. Ubi oſtendi, ſolere authores Canonicos multa prætermittere, quæ revera contigerunt in hiſtoriis, quas ſcribunt, cujus rei boni teſtes ſunt Evangeliſtæ: Cum Matthæus, v. g. multa omittat ſuper vita Chriſti, quæ legimus apud alios Evangeliſtas, & vice verſa.

VI. Non obſtat 2. Scripturam non ſolere narrare generationem filii in eis capitibus Geneſis, niſi poſt multos annos Patris, v. g. de Seth: *Vixit quoque Seth centum quinque annis, & genuit Enos*, & de Noë, *cum 500. eſſet annorum genuit Sem, Cam, & Japhet*, quo verborum tenore ſignificare videtur, eos Patriarchas nullum genuiſſe filium antè annum illum: Non inquam obſtat: Tum quia, ut ait ſalianus Anno Mundi 131. numero 9. non eſt credibile, priſcos illos homines ſive ex Abel, aut Seth, ſivè ex Cain oriundos, abſtinuiſſe à generatione usque ad filium eum, quem nominat ſcriptura: Quomodo obediebatur ſic illi voci divinæ, maximè conformi naturæ *replete terram?* Illos ergò filios priores prætexit ſcriptura, quia finis immediatus, ſeu ſcopus Moyſis in eis capitibus erat, docere lineam maſculinam ab Adamo usque ad Noë, & conſequenter usque ad nos: Item ab Adamo usque ad Lamech bigamum, & homicidam, & usque ad duos filios hujus artis ferrariæ, atque Muſici inventores. Cumque hæ lineæ ſolum venirent per eos Mares, qui poſt illos annos parentum ſuorum naſcebantur, ideò hos ſolos meminit, ab aliis præſcindens, quamvis non omninò, ſiquidem ſemper addit: *Genuit filios, & filias* & habemus exemplum in capite 1. Matthæi: Cum enim hic præfixiſſet ſibi, exponere deſcendentiam Chriſti Domini ex Abrahamo per Judam, & per Davidem, ideo, quamquam Abraham alium habuit filium ſeniorem, nempè Iſmael, antè Iſaac, illum præteriens, hunc ſolum meminit inquiens: *Abraham genuit Iſaac*, & quanquam hic habuit filium majorem Jacobo, nimi-

nimirum Esau, hunc omittens dicit: *Isaac autem genuit Jacob:* & quanquam hic habuit antè Judam tres alios filios, Rubem scilicet, Simeon, & Levi, ab his præscindens, tantum dicit: *Jacob autem genuit Judam, & fratres ejus*, quin propterea sequatur, hos genuisse post illum: Et licet Judas habuerit antè Phares alium filium videlicet sella (& quidem superstitem, atquè fœcundum, ut docet scriptura) hunc præteriens dicit: 1. Paral. 4. *Judas autem genuit Phares;* Et quamvis ipse David multos antè Salomonem habuerit filios, tacitis illis omnibus dicit: Num. c. 26. *David autem Rex genuit Salomonem*: Nempè, quia historicus non tenetur omnia scribere, sed duntaxat, quæ ad rem tunc tractatam pertinent: Cumque alii filii horum Patriarcharum, quos meminit Matthæus, non conducerent ad genealogiam Christi Domini, quam tunc tractabat Matthæus: sicut neque illi alii pertinebant ad genealogiam Noë, ac nostram, quam tunc tractabat Moyses, Mirum non est, quod uterquè historicus sacer prætermiserit respectivè illos alios filios, quos habuerunt ei Patriarchæ. Fateor me non habere pro filiis eorum primorum Patriarcharum fundamentum, quod habemus pro filiis horum aliorum, quorum meminit Matthæus; hoc autem probat, non tam certum esse unum, quam alterum; Ast non tollit magnam probabilitatem fundatam in natura ipsa humana (tunc sanè robustissima in eis primis sæculis mundi, & semper propensa ad generationem) pro asserenda dicta multiplicatione. Hinc infertur, quod sicut Christus Dominus non descendit ex illis Patriarchis Abraham Isaac, Jacob, Juda, David &c. per filios primogenitos, ità nec Noë, nec Abraham, nec præsens genus humanum descendit ex Adam, aut ex ullo Patriarcharum illorum, qui nominantur capite 5. Genesis per filios primogenitos, sicut neque illi ipsi Patriarchæ inter se: Omnes quippè Primogeniti primorum illorum hominum, & omnes lineæ descendentes ex illis, aut extinctæ sunt ante diluvium, aut diluvio perierunt.

VII. Confirmatur ex Augustino docente; Henoch illum filium Cain non fuisse hujus primogenitum: cum uno enim solo non potest constitui civitas, quia hæc *nil est aliud* ait S. Doctor, *quam hominum multitudo, aliquo societatis vinculo colligata.* Aug. lib. 15 de Civ. c. 8. Cain autem Gen. 4. 17. dicitur ædificasse civitatem sub nomine illius sui filii Henoch; Et hoc vel ob majorem quoad sævos mores similitudinem, vel ob magis numerosam illus filii sobolem, vel etiam ob majorem integritatem morum, quoniam hæc, vel ipsis sceleratis solet esse venerabilis, & ex spinis solet DEUS rosas educere; Et tamen antè illum non refert scriptura ullum alium filium Caini: Nempè quia id necessarium non erat ad intentum Moysis, qui ut apparet duntaxat voluit docere prolem Caini usqè ad Lamechum, qui interfecit eum, & usque ad duos illius filios, qui inventores fuere artium dictarum; ergò ex mente Augustini, quod scriptura nullum nominet filium cæterorum Patriarcharum ante talem annum, non probat, Patriarchas illos non habuisse filios ante annum illum; sed tantum probat, scripturam non curasse relinquere nobis notitiam illorum, utpote superfluam ad finem, quem in eis capitibus Geneseos intendit, videlicet docere nos, per quos Patriarchas descendamus ex Adam, & præcipuè per quos descendebat Noë, à quo Abraham populi Hæbrei Pater, & nos omnes descendimus.

VIII. Non obstat 3. dictæ magnæ propagationi, quod idem S. Doctor scribat de pubertate illorum hominum: *Tanto serior fuit proportione pubertas, quanto vitæ totius major annositas:* Lib. 15. de Civ cap. 15. Non obstat: Tum quia licet hoc verum sit, non adeò differenda est hominum illorum pubertas, ut non nisi anno illo, in quo scriptura assignat filium illis, generare potuerint: Numquid Seth non nisi post centum Genes. 5. quinque annos adeptus est pubertatem?

tem? & tamen non nisi post illos assignat illi scriptura filium Henos. Num Fares non nisi post 162. annos fuit pubes? Et tamen post hos, & non ante assignat illi filium scriptura: Num Noë non nisi vicinus quingentesimo vitæ anno desivit esse imberbis: Tunc solum assignat illi scriptura filios: Ergò tametsi pubertas esset tunc serior, proportionatè ad magnam illam annositatem, non tamen adeò, ut homines illi fuerint impuberes, & incapaces generationis usquè ad annum illum, in quo scriptura dat illis filios. Tum quia si illa pubertatis dilatio fuisset universalis, cum Adamus vixerit 930. Annos, pubertatem non esset nactus, nisi post centum ferè annos à sua creatione; ergo toto illo
Gen. 5. v. 5. tempore fuerunt Adam, & Eva soli in orbe terrarum ut quid hoc? Quomodo satisfecerunt illi divino impe-
Ib. c. 1. v. 28. rio: *Crescite, & multiplicamini, & replete terram.* Tum quia cum natura humana esset tunc in suo robore, & prisci homines illi acciperent à suis parentibus minimum naturale, sivè materiam primigeniam, non adeò debilem, aut corruptam, sicut à nostris accipimus nos illam, quorum singuli aliquid de suis addunt morbidis qualitatibus, quas ipsi accipiunt à majoribus suis; cum inquam hoc ita sit, non est cur vis, & robur generativum differretur in ipsis usque ad annos tam seros, ita ut quando homines illi jam habebant viginti, aut triginta annos adhuc essent infantes & quando habeant 40. aut 50. adhuc essent imberbes pueri, & solum post 60. aut 70. inciperent pubescere: Quamobrem aliud est *pubertas*, quatenus connotat robur generativum. Aliud, quatenus est solita distantia à senectute, proximitateque moriendi: De pubertate in hoc secundo sensu ait Augustinus, tanto seriorem fuisse, quanto vitæ totius major erat annositas; sed non de pubertate in primo illo sensu: Demum tametsi homines illi solum post 60. aut 70. Annos attingerent pubertatem, prout hæc est vis generativa, tam prolixum adhuc restabat illis vitæ tempus usque ad 700. & 600. Annos, quos vixisse constat Patriarchas illos, ut numerosos filiorũ greges procreare possent: Cumquè prudenter judicare possimus hoc omnibus, aut plerisque contigisse propter paritatem rationis fundatam in robore quod tunc habebat natura humana; & cum homines illi conviverent suis nepotibus usq; ad multas generationes, & cum status hic duraret per 1656. Annos ad minimum, jam vides numerosissimam hominum multitudinem capacem occupandi, & complendi totum orbem terrarum quoad insulas, & continentem. Probabilius est ergo propter complexum ex his omnibus, quod tempore diluvii habitabatur hic globus terraqueus, non minus, aut fortasse plus, quam habitatur modo: & consequenter prpbabilius est, quòd fuerint Hispani, Galli, Itali, Aphricani, Asiatici, Americani, ante diluviani, scilicet quod fuerint homines habitantes has regiones.

IX. Objices. Si orbis habitabatur tunc non minus quam nunc, quomodo sciverunt homines, qui degebant in America, aut in media Africa, aut in Gruntlandia, aut in terrarum ultima thule, imminere diluvium, aut Noë ex jussu DEI fabricare Arcam illam? Cur S. Petrus vocat illos incredulos, *quando expectabant Dei* 1. *Petr.* 3. *patientiam, cum fabricaretur Arca*: Nam quomodo crederent ei, quem non audierunt? quomodo autem audirent sine prædicante? Quomodo vero prædicarent, nisi mitterentur? Respondeo: Inprimis non constat, quod omnes penitus ad unum homines illi habuerint notitiam imminentis diluvii: Sylepsis enim frequens in scriptura est, ut ostendo Decade 3. num. 15. nec non Synecdoche, quâ formâ loquendi ponitur pars pro toto: Exemplorum satis dedi Decade 2. num. 1. & seqq. non ergò oportet supponere, ut inconcussum, omnes penitus mortales illos prænonitos fuisse de imminente diluvio, aut de termino illo præfixo eis ad pœnitentiam: *Eruntquè dies illius centum viginti annorum*: Nonnè incolæ quatuor illarum nefandarum urbium (segor par-

2. Paral.

2. Paral. c. 36. v. 16.

Gen. 6.

Ibid. 7.

parvulæ pepercit DEUS propter preces Lot) fuerunt præmoniti de diluvio ignis, quo absumptæ fuerunt? Nonne exercitus Pharaonis præscivit se totum obruendum aquis maris rubri? Deindè. Quemadmodum Rex
2. Paral. 30. Ezechias *misit ad omnem Israel, & Judam, scripsitquè Epistolas ad Ephraim, & Manassem, ut venirent ad domum Domini in Hierusalem, & fecerunt Phasè*: Ità potuit Noë mittere per totum orbem terrarum nuntios, & Epistolas (uno anno potest tòtus commodè circuiri) per multos quaquaverunt missos cum interminatione diluvii universalis, ut homines illi redirent ad DEUM, abstinerentque à pessimis suis actionibus: Centum namquè, & viginti anni transierunt à minis divinis, usque ad diluvium, juxtà nuper citata verba ista: *Eruntque dies illius* (id est quos homini dabo ad pœnitentiam, sicut Ninivitis dati sunt 40. dies) *Centum viginti annorum*: Et quamvis hi 20. subtracti fuerint, ut ut judicent aliqui, quibus non assentior, propter exorbitantiam criminum hominum illorum; nihilo tamen minus centum anni sunt tempus sufficiens, ut multoties monerentur per Epistolas, & Prædicatores missos à Noë. Sed quemadmodum nuntii, ac cursores regis Ezechiæ prædicabant *filii Israel revertimini ad Dominum DEUM, & pergebant velociter de civitate in civitatem illis irridentibus, & subsantibus eos.* Ita crebri nuntii missi à Noë poterant pergere de civitatibus in civitates, alii de regionibus in regiones, alii per diversas alias partes mundi, prædicantes pœnitentiam cunctis illis hominibus, his tamen *irridentibus,*
2. Paral. c. 36. v. 16. *& subsannantibus eos*: Idem faciebant Judæi tempore sedeciæ regis, ut notat scriptura: *At illi subsannabant nuntios DEI, & parvi pendebant sermones ejus, illudebantque prophetis*: Unde jure vocat Petrus homines illos incredulos: fieri quoque potuit, quod ex nuntiis illis missis à Noë per totum orbem terrarum, uni morerentur paulo antequam diluvium inciperet, alii infatuarentur etiam sicut vulgus, dicentes intrà prolixum illud tempus centum saltem annorum: *Ubi est promissio, aut adventus ejus? Ex quo enim Patres dormierunt, omnia sic perseverant ab initio creaturæ;* unde subjungit Petrus. *Per quæ ille tunc mundus aqua inundatus periit*: Infatuati ergo utri- *Ad Eph. 5. 7.*
que, nimirum, & concionatores, & populi, nullum diluvii signum videntes, experti sunt, quod postea scripsit Paulus. *Propter hæc enim venit ira DEI in filios diffidentiæ.* *2. Petri c. 3.*

X. Objicies 2. Initium capitis sexti Geneseos: *Cumque cœpissent homines multiplicari super terram, & filias procreassent: Videntes filii DEI filias hominum, quod essent pulchræ, acceperunt sibi uxores ex omnibus, quas elegerant; Dixitque DEUS: Non permanebit spiritus meus in homine in æternum, quia caro est, eruntque dies illius centum viginti annorum*: Sed hi 120. anni sunt ex communi sententia, quos DEUS concessit ad pœnitentiam ante diluvium; ergò hominum multiplicatio magna non incæpit, nisi paulo ante illos 120 annos, qui diluvio præcesserunt: Esto, quod illud *paulum* fuerit octoginta annorum, quod profecto non fuisset leve *paulum*; ergò ducentis ad summum annis ante diluvium cœpit illa multiplicatio; ergo non potuit tanta esse, ac talis, ut tota Europa, Asia, Africa, & America repleretur hominibus. Respondeo primo, quamvis sententia ista, cujus fit mentio in minore sit vera, & doceatur à Chrysostomo, Augustino, & Hyeronimo; Ast non est indubitata, quoniam Philo & Josephus ex Judæis, Abulensis, & Rupertus ex nostris, citati à Pererio, intelligunt istos 120. Annos de tem- *Per lib. 8. in Gen. in 98.*
pore vitæ, quod in posterum concedendum, erat universalitati hominum illorum (quorum majores multò longiore vita fruiti fuerunt) tametsi unus vel alter vixerit postea ultra 130. annos, quia Noë v. g. Sem, & pauci alii, qui postea vixerunt pluribus annis, erant *nemo* respectu universalitatis aliorum hominum qui ab eo tempore, in quo DEUS protulit eam sententiam, non prætergressi sunt eum annorum numerum.

XI. Respondeo 2. Tametsi verba ista scribantur à Moyse una immediatè post alia, id non probat, res significatas evenisse unas immediatè post alias, hoc est, DEUM præfinisse illos 120. annos immediatè postquam cœperunt homines multiplicari: Facit namque ibi Moyses Anacephaleosim, sive recapitulationem, ut suprà dicebam: Expositurus enim causas diluvii, ad quod narrandum se accingit in eo capite, redit ad sæcula priora, ut aperiat illa, ex quibus traxit originem strages illa generis humani, ea verò fuerunt notabilis multiplicatio hominum (non enim semper ac DEUS multiplicat gentem, magnificat lætitiam) sceleratus concubitus filiorum DEI cum filiabus hominum, superbaque illa, & truculenta progenies gigantum; ergò ex contiguitate istorum verborum inter se, non sequitur, quod ingens multiplicatio, hominum solum cœperit 120. annis ante diluvium, rursus isti octoginta anni, quos quasi ex gratia das, pauci sunt, ut in illis solis conciperentur nascerentur, propagarentur, atque tyrannidem exercerent gigantes, qui procreati sunt ex concubitu filiorum DEI cum filiabus hominum, de quibus gigantibus dicit scriptura: *Isti sunt potentes à sæculo, viri famosi* 3. authores magis restringentes dictam multiplicationem quos sequitur Perer, ponunt illam septima post Adamum generatione, hoc est tempore Henoch: Esto igitur, quod cœperit ad medietatem temporis, quo fuit inter hominès. Vixit 365. annis, ergò cœpit multiplicatio specialis, & magna, habente Henoch 128. annos. Post eum natus est Mathusalem, qui vixit 969. annos. Postea Lamech, qui vixit 777. Postea Noë, cujus anno sexcentesimo *diluvii aquæ inundaverunt super terram*, detractis autem annis quibus uni ex his convixerunt aliis, adhuc deprehendes sufficientem annorum numerum, nempe suprà millenarium, ut per totum orbem spargeretur genus humanum. Demum cum intra sphæram multiplicationum aliæ sint majores aliis, multiplicatio cujus in toto capite meminit Moyses potuit esse maxima quædam, & specialissima, non autem illa, quæ sufficit, ut globus terraqueus tam plenus esset hominibus, quam est modo. Unde Pererius, ipse, ubi nuper ait intra 200 aut 300. annos ab exordio mundi genus humanum *vehementer esse multiplicatum, credibile est.*

Isai 9.

Id. ibid. n. 7.

Gen. 5. ibid.

Ibidem 6, 7.

XII. Probo secundam partem conclusionis, videlicet, priscos illos homines habuisse urbes &c. In primis constat, quod Cain *ædificavit* civitatem, vocavitque nomen ejus ex nomine filii sui Henoch: Imo juxtà Ambrosium: *Urbes condidit, multorumque Princeps ac Dominus, plurimos annos impunè vixit*: Isti, quorum Princeps, ac Dominus fuit, non poterant non esse nepotes sui, aut fratrum suorum, nempè aliorum filiorum adæ: Deindè scribit, quod aquæ diluvii *civitates cunctas in campestribus regionibus situ altius inundaverunt, & subverterunt, quæ autem in editioribus locis habitabantur continuati imbres, nec interdiu, nec noctu intermissi, funditus subruerunt*: Ergò censet fuisse tunc urbes, id est domorum ex hac, vel illa materia multitudines, nec non civitates id est hominum communitates aliqua societate unitorum, in campis, & in montibus, ratio autem est: Homines illi per totum illum annorum numerum non erant omnes omnino barbari, inculti, dispersi, & vagabundi, sicut modo sunt multi Arabes, & Tartari, quia nullum est fundamentum ad tribuendum eis barbariem tantam, cum ultra 900. annos vixerit Adam cum illorum multis: Ergò verosimilius est, illos habitasse, ut modo contingit etiã, partim in Urbibus, partim in oppidis, partim in pagis, partim in tuguriis: si enim paulo post diluvium nepotes Noë aggressi sunt superbum illud ædificiũ turris Babel, & excogitaverunt, vel didicerunt ab ipso Noë, aut ab hujus filiis, artem Architectoriam cum hujus subalternis, nur non extruxerint mediocria alia ædificia antè diluvium homines illi priores, excogitantes, vel discentes artem hanc à suis

Gen. 4. 1. Deus. 2. Ibi. 3. Ibi.

Genes. 13. 8.

ſuis majoribus & exemplum imitantes Caini, de quo, ut dixi, conſtat ædificaſſe civitatem.

XIII. Probo ſimiliter tertiam partem de navigatione, ac mercatura: Tametſi propter violentiſſimos motus ſubmarinæ terræ ſint factæ de novo, & etiam ſubmerſæ multæ inſulæ, ut conſtat ex bonis hiſtoriis, eo quod æſtuante horrendum in modum igne ſubterraneo diruta ſint fundamenta inſularum multarum, & projecta in ſublime immenſa copia terræ, lapidum, rupium, ſaxorum &c. Formatæ ſint inſulæ, ubi prius non erant; verumtamen certum videtur, DEUM ab initio mundi formaſſe inſulas in maribus, ſicut etiam ingentes Lacus in mediterraneis regionibus. Prævidens namque DEUS humanam neceſſitatem quiescendi tantisper in longis navigationibus, atque refocillandi vires, Maximè quando venti, & mare non permittunt firmam terram prendere, providit in mediis maribus quaſi publica, & communia hoſpitia, in quibus recentes fructus terræ, aquasque potabiles, nec non aſilum, contra ferociam ventorum, & marinum, invenirent homines. Habemus ergò Maria ab initio mundi diſtincta fuiſſe inſulis. Atqui ſolius navigationis beneficio debebant tranſire homines ad habitandum in illis, non enim debemus dicere omnes tranſiſſe natantes in inſulas remotas à continente, aut per Angelos fuiſſe translatas, ſicut Abacuc. Et equidem debebant tranſire in eas inſulas, tum propter vocem illam DEI *replete terram, ſubjecite eam* cujus terræ non modica, nec ignobilis portio ſunt inſulæ, tum quia novis, & novis pervenientibus familiis, imo examinibus hominum, diſcedere neceſſe erat à prima patria, incolendi ergo novas, & novas regiones; ſi enim de duabus ſolis familiis Abrahæ, atque Loth ſcribitur, *nec poterat eos capere terra, ut habitarent ſimul: Erat quippe ſubſtantia eorum multa, & nequibant habitare communiter*: Quanto minus capere poterat terra numeroſas illas familias, quæ quotidie ſurgebant in illis 1656. annis cum ergò in illis itineribus multoties occurrerent Maria quæ unas regiones dividunt ab aliis, nec non inſulas à continente, ut conſtat ex fabrica globi terraquei, neceſſe eſt, quod homines illi Maria navigantes, tranſirent ad alias regiones: Initio fortaſſis absque certis regulis, & principiis navigationes dirigentibus, poſt experientiam verò cum utrisque; ſicut etiam poſt diluvium contigit nepotibus Noë. Uſi ergò ſunt Nautica.

Gen. 13. 6.

XIV. Præterea cum etiam tunc eſſet verum illud: *Non omnis fert omnia tellus* neceſſe erat vehere ex unius in alias regiones, quod unis erat ſuperfluum, aliis autem neceſſarium, ut commercio hoc conſervaretur fœdus, & unio illarum gentium inter ſe: Ergò vehebatur: ſiquidem homines illi non erant fungi, aut ſtypites: ecce mercaturam: Quapropter ſi in illis 1542. Annis, qui tranſierunt à diluvio ad Romam conditam juxtà chronologiam Cornelii, quibus homines nec tam longam vitam ducebant, nec tot ſuis nepotibus convivebant (excepto Noë, qui convixit decimo ſuo nepoti Abrahæ, & excepto Sem, qui convixit undecimo nempe Jacobo, ut ſuprà dixi) neque adeò robuſtâ pollebant naturâ, neque adeò præclaros nanciſcebantur magiſtros, quales fuerunt illi primi Patriarchæ: ſi inquam ſolis illis 1543. Annis transactis, quando Roma fuit ædificata, adeò habitatus erat mundus, adeò plenus urbibus, pagis, artibus, diſciplinis, mercatura, navigationibus &c. ut conſtat ex hiſtoriis; Item adeò diviſus in regna, Monarchias, Ariſtocratias, Democratias & mixturas alias regiminum, quidni opinamur idem de tempore diluvii, quando ad minimum tranſierunt 1656. anni à creatione mundi, quibus adeò prolixa erat hominum vita, & ſinguli, aut plurimi ſaltem tot ſuis nepotibus convivebant, & quando robuſtiſſimam habebant naturam

turam, & quando tam præclaros audiebant præceptores, nimirum primos illos Patriarchas? semper subsistit, quod fundamentum non habemus ad judicandum omnes prorsus primitivos illos homines fuisse stipites, porros, stupidos, barbaros, incultos, *truncis, & duro robore natos, queis nequè mos, nequè cultus erat*; ergò verosimilius est, genus humanum quoad humana, & civilia fuisse tunc plus, minusve, quale modo est, non utique toto illo tempore, quia res humanæ successive, ac paulatim perficiuntur in suis generibus; sed tempore diluvii, scilicet illis ultimis centum Annis.

XV. Et quidem quod attinet ad artes Mechanicas, disciplinasque liberales, est fundamentum in scriptura: De Adam scribitur: *Emisit eum Dominus DEus de Paradyso voluptatis, ut operaretur terram*: Et de duobus fratribus. *Fuit autem Abel Pastor ovium, & Cain Agricola*: Ecce Agrariam artem, & pastoritiam, quam exercuit etiam Abel, qui fuit *Pater habitantium in tentoriis, atque Pastorum*, quæ verba insinuant non omnes omninò homines illos habitasse in tentoriis, & tuguriis: similer cum de Noë scribatur: *Cœpitquè Noë vir agricola exercere terram*, innuitur hoc olim fuisse suum ministerium, suamque artem, ut meminerimus genus humanum non descendere ex regibus, sed ex Agricolis, nempè Noë, atque Adamo. Rursus de Tubalcain scribitur. *Fuit malleator, & faber in cuncta opera æris, & terri*: En artem aliam mechanicam, quæ supponit aliam artem, nempe fodiendi metalla ex terræ visceribus purificandiquè illa: Item de Jubal dicitur: *Ipse fuit Pater canentium cithara, & organo*: En artem liberalem quoad speculativum musicæ, & mechanicam quoad practicum, & præsupponentem artes alias ad conficiendum hæc instrumenta musica: Præterea gigantes illos, qui juxtà Augustinum fuerunt ante diluvium, vocat Baruch *scientes bellum*, & Moyses, *Potentes sæculo viros famosos*. Ecce artem aliam, quam plurimi æstimant mortales, nempe scire modos grassandi & sæviendi in se ipsos: suspicor tamen Baruch allude re non ad gigantes antediluvianos, sed ad illos, qui palestinam incolebant juxtà scripturas, priusquam hæbrei ingrederentur; Loquitur quippe de Palestina, inquiens: *quam magna est Domus DEI, & ingens locus possessionis ejus*. Et subjungit: *Ibi fuerunt gigantes nominati illi, qui ab initio fuerunt*: Quod si angulus ille terrarum videatur parum dignus illorum epithetorum: *magna ingens*, præterquam quod Palestina erat magna, & ingens respectu Hæbreorũ, quos alloquitur Propheta, potest intelligi sua exclamatio de Empyreo, quod propriè est magna Domus DEI, & ingens locus possessionis ejus, & ibi fuerunt ab initio gigantes, id est Angeli Apostatæ. Insuper de Enos dicitur. *Hic cœpit invocare nomen Domini*, cumquè non sine prurigine contradicendi possit negari, aliquos saltem ex illa magna hominum multitudine, eum fuisse imitatos, atque secutos, ecce datam, & acceptam disciplinam sacram invocandi, & laudandi DEum, cum Theologica scientia eorum, quibus laudari, & invocari debet, nec non eorum, quibus nec laudari, nec invocari debet: Et cum non omnes, qui ab alio discunt, discant semper solius vivæ vocis oraculo, eo quia distare solent loco, aut tempore, utpotè nati postea; & cum prudentis magistri sit doctrinam magnam & necessariam non commendare soli voci, hoc est vento, cum periculo, ut prævertatur, hac de causa verosimile est, Enos artem invocandi DEum docuisse modo permanente, nempe litteris, Characteribus, aut symbolis, non autem modo quodam transeunte, facilè perituro, aut corrumpendo per aliorum ignorantiam, aut malitiam. Denique cum S. Judas Epistolâ suâ Canonicâ transcribat verba quædam Henoch qui fuit unus è Patriarchis, qui vixerunt ante diluvium. *Prophetavit autem, & de his septimus ab Adam Henoch dicens: Ecce venit Dominus &c.*

Genes. 3. 23. *Ibid. 4. 2.* *Ibid. v. 20.* *Gen. 9. 20.* *Ibid. 4. 22.* *Ibd. v. 21.* *S. Aug. 15. de Civ. c. 23.* *Baruch 3. 27.* *Deut. 2.* *Num. 13.* *Deut. 2.* *Genes.*

nus &c. Credibile est sanctum Patriarcham scripta reliquisse illa verba, quæ conservata per Noë, & per manus majorum populi Hæbrei, pervenerunt usquè ad tempora Judæ, quamquam ille liber non extet modo, & apocriphus censeretur, qui ut scriptus ab Henoch, proferretur nunc.

XVI. Ex his omnibus simul cum ratione data, videlicet homines illos antediluvianos non fuisse omnes ad unum, fungos, aut stipites, satis probabiliter concluditur, multos ex illis exercuisse artes Mechanicas & liberales, nec non didicisse disciplinas naturales, & sacras, ex his namque paucis, quæ constant ex scriptura, possumus prudenter conjicere alias, quamvis non convincatur, eos habuisse cunctas omnino disciplinas, quæ modo sunt in usu, maximè quæ propria sunt religionis Christianæ; sed ea dumtaxat, quæ omnibus gentibus comunia esse solent, ut etiam communis esse solet diversitas regiminis, v. g. Monarchiæ Aristocratiæ &c. Etenim aliquam regiminis speciem poscit multitudo hominum viatorum, si rationalium more vivunt; alioquin non formabunt hominum cœtum, sed belluarũ greges. Atqui homines illi prisci ut certo non habemus fundamentum, non vixerunt omnes penitus, more pecudum, aut belluarum; ergo rationabilius est dicere eos habuisse speciem aliquam regiminis; sed in tam vasta, & hetherogenea multitudine, replente totum orbem terrarum, omnes convenire in eadem specie regiminis, v. g. in Monarchia, est incredibile; ergò credibilius est, quod gubernabantur homines, sicut nunc, alii per Monarchias, alii per Aristocratias, alii per tribus, & familias vagantes, alii aliter, alii more belluino, tametsi omnes, qui aliquam DEI veneratioem conservabant, recognoscerent illam lineam sanctorum Patriarcharum, quam per Seth, & Henos ducit Moyses ab Adam usque ad Noë, sicut modo, qui religionem colunt, tametsi diversas, ac remotas incolant partes mundi, recognoscunt quoad ea, quæ spectant ãd doctrinam fidei, & morum, lineam Episcoporum à JESU Christo per Petrum descendentem, usque ad præsentem Episcopum Romanum. Non me fugit Berosum Anianum scribere initio suæ historiæ, fuisse tunc circà Libanum urbem maximam gigantum, *qui universo orbi dominabantur*: Sed undè probat Berosus rem hanc, quam nusquam legimus contigisse post diluvium; Nempè, quod una sola urbs simpliciter, ac sinè restrictione dominata sit toti orbi ab ortu in occasum, & ab uno ad alterum polum? Tractus, qui est inter Sagum, & Euphratem, inter littora septentrionalia Africæ, atquè Rhenum, & Danubium quibus terris olim imperabat Roma, numquid erat quarta saltem pars totius orbis?

XVII. Nota interim diversitatem, qua loquitur scriptura de linea hominum descendentium per Cain, & de linea descendentium per Seth, cujus lineæ omnes nos sumus. In hac laudat viros, vocans eos DEI, nihil dicens de fœminis. In illa commendat speciositatem fœminarum, quas dicit filias hominum: *Videntes filii DEI filias hominum, quod essent pulchræ*, & tres singillatim nominat, scilicet, *Ada, & Sella* uxores Lamech, & *Noema, quæ fuit soror Tubalcain*: In utraque linea ponit Magistros, qui alios docuerunt, sed in linea Cain quatuor, qui in artes humanas incubuerunt nimirum Jabel, *qui fuit Pater habitantium in tentoriis, atquè Pastorum.* Jubal. *Ipse fuit Pater canentium cithara, & organo:* Pater scilicet Musicæ, quæ licet ex se optima, plerumquè tamen est instrumentum veneris: Tubalcain *qui fuit malleator, & faber in cuncta opera aris, & ferri*, introductor nimirum ferri, quod martis insigne est, instrumenta itaquè Martis, & Veneris (quos adulteros agnovit prisc. gentilitas) inventa sunt à descendentibus ex Adam per primogenitum Cain; & denique gigantes, qui juxtà Augustinum fuerunt antè concubitum filiorum DEI cum filiabus hominum, & *Gen. 6.* *Ibid. c. 4.*

quos Baruch suprà citatus, si forsan de illis loquitur, dicit, *scientes bellum*, id est Magistros & discipulos artis bellandi: E contrario inter descendentes ex Adamo per Seth quatuor ponuntur Doctores sed rerũ ad æternam salutem conducentium: Henos, *qui cœpit invocare nomen Domini*: Henoch, qui docuit extremum universale judicium juxta S. Judam paulò ante citatum; Lamech Patrem Noë, qui docuit homines reflectere suprà miserias hujus vitæ, & sperare à DEO solatium, inquiens de filio recens nato. *Iste consolabitur nos ab operibus, & laboribus manuum nostrarum in terra, cui maledixit Dominus.* Et demum ipse Noë, qui justus, atquè perfectus fuit, in generationibus suis cum DEO ambulavit: Unde integritate suæ vitæ docebat homines illos semitas justitiæ; nec non verbis etiam, quia fuit concionator missus à DEO illis gentibus: *Dixi ad Noë: Finis universæ carnis venit coram me;* & consonat Petrus: vide Cornelium. Ex ungue igitur Leonem & ex hac parva diversitate conjicere possumus diversitatem inter studia, & inclinationes illorum hominum utriusquè lineæ, propter quam diversitatem alii vocantur filii DEI, alii merè homines. Demum in linea Seth nullus reprehenditur, in linea vero Cain, hic ipse accusatur fratricidii, Lamech bigamiæ, *accepit duas uxores*, & duorum ipse accusat se homicidiorum: *Occidi virum in vulnus meum, & adolescentulum in livorem meum*, qualis Pater, tales Filii.

Genes. 5. 29.
Ibid. 6. 9.
Ibid.
1. Pet. c. 3. v. 20.
Corn in 6. Genes. v. 3.
Gen. 4. 19.

XVIII. Probo jam omnes illas gentes, seu totum illum mundum usum fuisse eadem lingua, tametsi dispersa in multas dialectos: Etenim post diluvium & non antè, auditur confusio, & multiplicatio linguarum *confundamus ibi linguam eorum, ut non audiat unusquisque vocem proximi sui*, prius autem. *Erat terra labii unius, & sermonum eorundem*: Quod verò illa fuerit lingua hæbrea fundatur in communi persuasione Doctorum, & in Ethymologia priscorum illorum nominum Adam, Eva, Cain, Abel, & aliorum, quæ imposita fuerunt antè diluvium, quæ omnia nomina habent significationem juxtà linguam hæbream ut constat. Hinc audiendus non est Theodoretus, qui utpotè Syrus, docet primitivam illam linguam fuisse Syriacam: nequè Goropius Becanus, qui utpote Belga scribit fuisse Belgicam, qui ambo censent primæva illa nomina Adam, Eva, Abel, Cain, Mathusalem Henoch, esse derivata ex propria unicuiquè horum lingua, cum potius dicere debuissent, vocabula similia suarum linguarum derivata fuisse ex lingua hæbrea: Est tamen credibile primitivam illam linguam non fuisse puram, & incorruptam in omnibus per totum illud spatium 1656. annorum, sed degenerasse in multas dialectos, ut postea contigit Linguæ Græcæ, atquè Latinæ: Et modo experimur linguam Hispanicam intrà Hispaniam ipsam esse divisam in varias dialectos, similiter Gallicam, similiter Germanicam, similiter Italicam &c. Insita quippè hominibus novandi cupido, prolixa illa tot sæculorum duratio, climatum diversitas, ingens eorum hominum multitudo, & causæ aliæ, potuerunt sufficere, ut purum idioma, quod posteà vocatum fuit hæbreum, multifariam corrumperetur, non utiquè per introductionem vocabulorum peregrinæ linguæ, siquidem tunc non erant aliæ linguæ; sed per inventionem novarum vocum, & novarum phraseon, per diversas terminationes, breviationes, additionesve syllabarum, per diversas item pronuntiationes, syntaxes, accentus &c. Inter ipsos enim Hæbreos, qui respectu totius generis humani erant pauciſſimi, fuit sensibilis diversitas in pronuntiatione, ut constat ex solertia, qua Galaaditæ deprehendebant fugientes Ephraimitas, & ex malignitate, qua ministri Judæorum urgebant timentē Petrum. Et hinc poterat nasci quod liceat illi, qui purum loquebantur idioma, postea vocatum *Habreum*, v g. series Patriarcharum descendentium per Seth, & consequenter Noë, atque nuncii sui, quos misit per totum orbem terrarum, ut suprà dicebam ad

Genes. 11. 7.
Per lib. 11. in Genes. 112.
Tostat. in 11. Gen. q. 1. & 2
Ap. Cornel. in 11. Gen. 2.

præ-

prædicandum imminens diluvium, benè intelligerentur; neque, familiæ proximiores illis Patriarchis intelligerent bene alios homines: Hoc experimur in eis regionibus, in quibus alii loquuntur purè, alii corruptè, v. g. Etruscus benè intelligitur in tota Italia, sed ipse non bene intelligit Calabros, Bononienses, aut Genuenses: Saxo benè intelligitur in tota Germania, ast ipse non benè intelligit Tyrolenses, aut Westphalos: Castellanus benè intelligitur in tota Hispania, sed ægrè intelligit Gallæcos, Lusitanos & populos similes. Francus benè intelligitur in tota Gallia, sed ægrè capit Provinciales, ac Bearnenses &c.

CAPUT II.

Tres hominum progenies ante diluvium.

Gen. 5. 8. XIX. QUamvis Adam multos alios habuit filios, & post Seth, ut dicit scriptura, & antè hunc, ut supra dixi, verumtamen omnes homines per totum orbem sparsi ante diluvium, dividebantur in duas primarias factiones, quæ initium dederunt famosis eis duabus civitatibus, alteri *DEI*, alteri *Diaboli*, nec non *2. ad Tim. 2.* duabus illis vasorum speciebus, quas *Ad Rom. 9.* in ampla domo meminit Paulus; cæteri verò descendentes ex Adam per alios filios, adhærebant alii uni, alii alteri ex his duabus factionibus. Igitur una descendebat ex Adam, per Cain, & hæc erat linea primogenita, & homines hi propter suam nullam pietatem, vel magnam impietatem, vocabantur Filii hominum, vel potius *homines*, & huic forsan adhæsit maxima pars descendentium ex Adam per alios filios, imò & qui descendebant ex illo per Abel, quandoquidem *Genes. 6.* omnes ad unum obruti sunt diluvio, ex quo liberata fuit sola familia Noë, qui non per Cain, nec per Abel descendebat ex Adam, sed per Seth: Quod autem Abel filios habuerit, benè suadetur per Salinum: Tum quia ultra centum annos vixit, saltem longum tempus, ut dicit scriptura, *factum est autem post multos dies, ut offerret Cain de fructibus terræ; Abel quoque obtulit &c.* Abel autem tenebatur illa lege, in magna illa hominum penuria maxime urgente, *crescite, & multiplicamini.* Tum quia constat eum habuisse domum, peculium, & familiam, siquidem *obtulit de primogenitis gregis sui*: In quorum utilitatem pascebat, & habebat gregem *suum* nisi in utilitatem suæ familiæ: Tum quia, quod nonnulli Patres dicant, illum virginem fuisse, non multum probat, quia Paulus etiam dicit Melchisedech *sine Patre, sine Matre, sine genealogia*, non quia his caruerit sed quia de his nil scitur: Est autem vulgare in sacra doctrina, negare id, quod quamvis absolutè, ac simpliciter sit, non tamen apparet, seu non constat esse, ut Decade 4. numero 22. ostendo: Tum quia fieri potuit, ut Abel vir probus, & innocens videns filios suos imitari improbos mores filiorum Cain, noluerit illos cognoscere, ut filios, juxtà illud, *qui dixit Patri suo, & Matri suæ. Nescio vos; & fratribus suis, ignoro vos: & nescierunt filios suos.* Propter has itaque rationes potuit Abel dici virgo, seu sine filiis.

Salian. annal. in Abel.

Gen. 4.

Ibidem.

Ad Hebr. 7.

Deut. 33.

XX. Altera factio hominum illorum descendebat ex Adam per Seth: Hæc erat natu minor, & hujus lineæ homines ante connubia cum filiabus alterius factionis, vocantur juxtà magis receptam sententiam apud Perer *filii DEI*, propter suam majorem pietatem, morumquè integritatem, cujus non leve indicium est, quod capite antecedente notavi ex scriptura de Henoch, & Lamech, atque Noë; de prima enim familia solum scimus homicidia, bigamiam, & artes musicam, Pastoritiam, ferrariam, atquè bellicam, nec non quod pulchras ediderit fœminas. Vocabantur autem nepotes Seth *filii DEI*, seu filii principum, & potentium, sivè magnatum & præsidum. juxta varias versiones, quia notum est, hæbreos vocare *DEI* illa, quæ præcellunt in suo genere, ut *montes DEI*, hoc est altissi-

Perer. lib. 8. in Gen. n. 23.

mi, *cedri DEI*, hoc est robustissimæ: Fœminæ verò descendentes ex Cain potuerunt vocari *filiæ* hominum, id est plebeæ, quiæ homines illi ferociam, & timiditatem simul imitantes sui Patris Cain, plebei habebantur etiam inter se ipsos, & juxtà rectam rationem: Quod autem familia natu minor, nobilitate, ac gloria præcederet natu majori, mirum non est: Nam etiam post diluvium familia Isaac erat nau minor, quam Ismaelis, familia Jacob, quàm Esau, familia Judæ, quam familia Ruben, Simeon, & Levi, familia Salomonis, quam familia aliorum filiorum Davidis, familia Ephraim quam familia Manasse, familia Phares, quam familia Sellæ filii senioris Judæ, & insuper ex scorto nata; & tamen omnes hæ familiæ longè superarunt gloriâ, famâ, atquè nobilitate familias alteras, quas posui correlativas. Gratia enim & favor specialis DEI anteponere solet, quæ natura postposuit.

XXI. Igitur sicut modo, quando totus mundus est habitatus, & gentibus plenus, omnes hæ sunt divisæ in duas classes soli DEO notas, scilicet prædestinatorum, & reproborum, item in quinque notas hominum videlicet Christianorum, Hæbreorum, Turcharum, Idololatrarum, & Atheistarum, & gens ipsa Catholica divisa est in Ecclesiasticos, & Laicos, quarum omnium classium homines per totam orbem dispersi Invicem se discernunt. Ità contigisse videtur hominibus illis antediluvianis, qui in duas primarias dictas factiones divisi, & per totum globum terraqueum sparsi, mutuo sese agnoscebant: Quia autem Caini soboles edebat fœminas pulchras, quibus lenocinium accedebat musicæ inter suos inventæ, nempè à Jubale: Hinc nata est ruina illius generis humani. Quoniam viri descendentes, & etiam degenerantes à Seth, venustate, atque specie illarum fœminarum seducti, miscuerunt se cum illis contrà naturale præceptum non exponendi se periculo declinandi a semitis justitiæ, quod periculum inerat sanè connubiis frequentibus cum fœminis expertibus cultus divini & evenit Salomoni, tametsi sapientissimo, ut quondam religiosissimo ergà DEUM: *Videntes filii DEI filias hominum, quod essent* Gen. 6. *pulchræ &c.* & stultitia hac serpente ex aliis ad alios, intrà breve tempus corruptio invasit totum orbem terrarum: *Omnis quippe caro corruperat viam suam*: Considera, si modo principes, proceres, & populi Christiani imo & Ecclesiastici ipsi, atquè Episcopi, passim inirent matrimonia cum fœminis paganis, & Mahumetanis, nequidquam reclamante Pontifice cum paucis aliis, intra quam breve tempus grassaretur hic error per totum orbem Christianum, & religio aboleretur, & integritas morum collaberetur: Idem cum prop ortione contigit tunc, quando sacra & venerabilis gens oriunda ex Seth passim admixta fuit cum fœminis stirpis profanæ, atq; maledictæ.

XXII. Ex his connubiis sceleratis, non verò ex commixtione propria, & formali Dæmonum in se ipsis cum fœminis, nata est, ut vulgò creditur, tertia alia progenies mixtorum, quos gigantes, seu *nephilim*, id est oppri- Lib. 3. mentes, vocat scriptura (quamvis Cap. 4. Augustinus, cui textus hæbreus, & græcus favent, contendit fuisse gigantes antè hanc etiam commistionem) inquiens. *Gigantes autem erant super terram in diebus illis; Postquam enim ingressi sunt Filii DEI ad filias hominum illæque genuerunt, isti sunt potentes à sæculo viri famosi*: Non dicit fuisse gigantes, postquam ingressi sunt filii DEI ad filias hominum, sed præmittendo illos jam fuisse addit, quod postquam illi ad has ingressi sunt, gigantes evaserunt ad magnam porentiam, atquè nomen: Fortassis quia propter hanc consanguinitatem contractam cum familia Seth: Acquisierunt majus robur authoritatis apud vulgus, nec non majorem judicii, atque prudentiæ famam, his enim dotibus fulgebat familia Seth, utpotè familia filiorum DEI; Gigantes itaquè illi Gen. 4.

illi partim affines, partim consanguinei familiæ Seth, facti sunt famosi ex corruptione optimæ illius familiæ. *Postquam enim ingressi sunt filii DEI ad filias hominum &c.* Sicut ex corruptione medullæ humanæ serpentes generari solent: & etiam quia prudentia, nobilitas, & judicium Patrum admixta fuit cum ferocia Matrum quæ omnes descendebant ex Cain. Tertiæ hujus factionis homines dicuntur gigantes, id est filii terræ, quamvis oriundi ex filiis DEI (si verum est, quod nonnisi post dicta scelerata connubia cœperunt esse) non solum propter immanem corporum proceritatem, verum etiam propter animam trucem, & quasi terrenam, id est propter superbiam, tyrannidem, atque immersionem in rebus terrenis; unde mulctati glorioso nomine suorum Patrum, notati sunt ignominioso nomine Matrum, & vocati gigantes, hoc est *filii terræ*: Etenim filii matrizant, sicut filiæ patrizare solent; Matres autem hujus tertiæ sobolis hominum oriundæ erant ex domo Cain, in qua homicidia, ferrum, Poligamia, musica, & bella exercebantur, ut supra nos docuit scriptura: In qua primum audita fuit superba illa responsio ad DEUM, inquirentem in fratricidam *nescio; num custos fratris mei sum?* & contrà quam primum inter humanas familias fuit vibrata maledictio divina: *Nunc igitur maledictus eris super terram*, quid igitur mirum, quod progenies viperarum læthifera esset? mali enim corvi, malum ovum. Gen. 4.

XXIII. Nescio qua occulta naturæ lege *mixti* illi, qui ex disparibus parentibus nascuntur, solent esse magis vivaces, magis fortes, magis audaces, magis truculenti, v. g. Leopardi ex leone, ac tygride orti, muli, qui ex specie equina, & asinina procedunt, dracones terrestres, qui ex colluvie spermatum, & excrementorum vespertilionis in putrem, & humidam terram cadentium, generari solent; Undè Turcarum Rex, non ex suis turcis, sed ex mixtis illis, quos *genizaros* vocant, robur componit suorum exercituum; sic de Ismaele, parentes valdè disparis habente, prædictum fuit: *Erat ferus homo manus ejus contra omnes, & manus omnium contra eum*: Sic Abimelech filius spurius Jeroboalis, cujus concubina, *quam habebat in sichem, genuit ei filium nomine Abimelech*, adeò trucem, ac superbum animum habuit, ut de illo dicatur. *Occidit fratres suos filios Jeroboal septuaginta viros super lapidem unum.* Sic Goliat *vir spurius de castris Philistinorum*, ausus est provocare totum exercitum Hæbreorum: *Stansque clamabat adversus phalanges Israel*, & sic superbissimus ille, & ferox Aman, qui totum populum Judaicum una die trucidare decreverat, mixtus fuit, atquè ex disparibus ortus parentibus, si vera est conjectura, qua Serrarius conciliare conatur cap. 3. libri Esther, ubi Aman dicitur *de stirpe Agar* cum sexto decimo, ubi ab Artaxerse dicitur *animo, & gente macedo*, sic magnus Alexander audax æquè, atque strenuus natus credebatur ex inæqualibus parentibus; sic elatus & intrepidus Absalon genitus fuit à Davide Judæo & filia regis Gesur: Justè itaquè ad vitandum forsan hæc monstra, indicta fuit hæbreis illa lex. *Non ingredietur mamzer hoc est de scorto natus in ecclesiam Domini, usque ad decimam generationem.* Gen. 16. 12. Judic. 8. 31. Ibid. 9. 5. 1. Reg. 17. Deut. 23.

XXIV. Fortasse tanta animositas in filiis ex disparibus parentibus natis, provenit ex eo, quod parentes si semel ruant in extraneam, (& maximè si vetita sit) commixtionem, majore impetu, & ardore libidinis ruunt, necessariò utiquè ad vincendum obicem disparitatis, & prohibitionis, & quia *nitimur in vetitum, semper cupimusquè negatum*, hinc major impetus, & ardor cupidinis majorem, & vivaciorem exerit copiam sanguinis, & spirituum, cumque ex his formetur mínimum naturale, seu materia primogenia filiorum & huic conformari soleat tota caro, & humorum complexio quæ postea per nutritionem acquiruntur, ideò corpora illorum filiorum referta esse solent sanguine vivaciore,

ciore, ac spirititibus acrioribus, & consequenter solent esse magis idonea ad qualitates dictas: & sicut infrunitus equus sessorẽ, ità solent rapere animũ post se,& propter eandem rationem solent habere qualitates,quæ conducunt ad majorem solertiam, calliditatem, ingenium &c. Potest item causa esse, quod agnoscentes hi mixti filii dedecus, quo claudicare solent altero parente, & se propterea minore pretio haberi ab aliis, irascuntur magis, & exardescunt accensi nobilitate parentis alterius, undè avidius conantur abolere, vel saltem celare notam illam strenuioribus actionibus, quæ interdum evadunt ob circumstantias magis facinorosæ; sed in hac re non habemus regulam Metaphysicam: Multi enim ex æqualibus parentibus orti magno decore, & multi magno dedecore notati sunt & multi similiter ab inæqualibus procreati: Certè Phares ex scorto fuit natus, & tamen regia tribus Juda, & consequenter JEsus Christus, per illum descendit ex Jacob juxtà Matthæum; & non per Sella fratrem suum legitimum, atque majorem: Utut res sunt, certum est,quod post commixtionem nepotum Seth cum nepotibus Caini, homines illi *fuerunt potentes à sæculo viri famosi.* Et nepotes illi Seth fecerunt, quod postea severissimè fuit prohibitum hæbreis: *nec uxorem de filiabus eorum accipies filiis tuis, nè postquam ipsæ &c.* Atquè illis fuit eadem origo ruinæ, ut videtur, quæ fuit Salomoni mulierum alienigenarum Amasio, *undè depravatum est cor ejus per mulieres.*

Gen. 38.
Exod. 34.
3. Reg. 11.

XXV. Ob hæc audiendi non sunt, qui docent: Gigantes illos originem traxisse ex commixtione Angelorum, quos putant vocari *filios DEI* hic, cum fœminis; Tum quia ut paulo antè dixi cum Augustino probabile est gigantes fuisse antè illam commixtionem: Certè scriptura non dicit illos cepisse esse postquam ingressi sunt filii DEI & filias hominum, sed post ingressum hunc fuisse illos potentes, atque famosos: Tum quia commixtio ista non potuit esse Angelorum qui obedientes fuerunt, beatificati, atquè in gratia confirmati, ut satis apparet. Non item illorum, qui apostatarunt; Tum quia licet Dæmones possint dici facti corporei post peccatum, & in pœnam peccati(in sensu tamen, quem explicui Disp. I. cap. 10.) quatenus, ut degeneres à nobilitate spiritus, coguntur gestare aliquod corpus sicut coguntur, gestare ignem materialem & corporeum secum, quo torquentur, & sicut furciferi olim cogebantur gestare furcam ex collo pendentem, & sicut lapsi in hæresim formalem externam coguntur in Hispania gestare infamem illam notam *sanbenito*: Item licet à depravato illorum intellectu, corruptissimaque voluntate non sit valdè alienum id,quod nonnullis hominibus contingit, nempè appetere cibos immundissimos, imo stercora, ipsa (undè damnati sunt Dæmones sub typo serpentis ad comedendum terra cunctis diebus suis) imò, & appetere concubitum cum specie valde dispare, & imperfectiore, v.g. cum Capra, cum Equa, cum Bove &c. quas species non minus superat perfectione species humana, quam hanc superant Angeli; Verum. tamen fundamentum non habemus, ut dicamus rem ita defacto contigisse: Et non propter amorem carnalem, propriamquè sensibilem delectationem, appetunt Dæmones succubi, aut incubi concubitum humanum, non enim habent corpus, quod ipsi vivificent, nequè semen proprium, quod emittant; sed propter perditionem, deceptionem, atque damnationem miseræ illius personæ humanæ; cum qua miscentur carnaliter, semine, atquè organis corporeis ementitis, aut aliundè quæsitis. Atqui concubitus illorum filiorum DEI cum filiabus hominum provenit ex ardore concupiscentiæ, & amore carnali illorum, ut satis innuit scriptura, inquiens. *Videntes filii DEI filias hominum, quod essent pulchræ, acceperunt sibi uxores &c.* Nam si hæc connubia originem traxissent ex sola cupidine perdendi homines, & illudendi illis, de materiali se haberet, quod illæ mulieres

lieres essent pulchræ, siquidem perindè est Diabolo potiri muliere deformi, ac formosa; Ergò illi filii DEI non fuerunt ulli ex Angelis, sed nepotes Seth.

CAPUT III.

Mores, & Victus hominum illorum.

XXVI. DIco 1. Probabile est, quod in linea Caini aliqui fuerunt prædestinati, tametsi pleriquè reprobi, & quod in linea Seth aliqui fuerint reprobi, tametsi pleriq; forsan prædestinati. Neutros tamen patrasse crimen idololatriæ est verisimile: Probo primam partem: Tum quia scimus, quod post diluvium ex Patribus improbis nati sunt filii probi, v. g. Abraham ex Thare, de quo dixit Josue toti populo *transfluvium habitaverunt Patres vestri ab initio Thare, Patre Abraham, & Nachor; servieruntquè Diis alienis* Ezechias ex Acaz, Josias ex Amon; Et è converso scimus, quod ex Patribus sanctis nati sunt filii nequam, ut ex Abraham Ismael, ex Isaac Esau, ex Davide Amon, & Absolon, ex Ezechia Manasses: Vide alia, quæ profero exempla Decade 4. numero 132. Ergò quod altera ex eis duabus familiis dicatur filiorum DEI, & per bonos Patriarchas propagata, altera verò fuerit maledicta in suo primo parente Caino: *Maledictus eris super terram*, & per malos Patriarchas propagata, non probat omnes penitus illius familiæ fuisse probos (imò ex illis, qui vocabantur filii DEI venit origo Diluvii) nec omnes penitus hujus fuisse improbos, consequenter non probat omnes illos fuisse prædestinatos, & omnes hos fuisse reprobos: Certè Lamech ille, qui fuit bigamus, & homicida, unus ex nepotibus erat Caini, & tamen proponi solet, ut exemplar pœnitentiæ: *Audite vocem meam uxores Lamech &c.* Tum quia licet DEUS ulciscì soleat peccatum parentum quaod temporalia usque ad tertiam, & quartam generationem, ut ipse minatur, *ergo sum Dominus DEus tuus fortis zelotes visitans iniquitatem Patrum in filios in tertiam, & quartam generationem*, atquè, ut visitavit iniquitatem Saulis contrà Gabaonitas, mittens illam famem tempore Davidis propter quam duo filii, & quinque nepotes Saulis crucifixi sunt in monte *coram Domino*, atquè ut visitavit crimen Amalecitarum, qui restiterunt hæbræis ascendentibus de Ægypto, præcipiens Sauli, ut totam illorum progeniem deleret; *Recensui quæcumque fecit Amalech Israeli, quomodo restitit ei in via, cum ascenderet de Ægypto. Nunc ergo vade, & percute Amalech &c.* Atque ut visitavit in nepotibus Ezechiæ vanam hujus jactantiam qua ostendit legatis Babiloniis cunctos suos thesauros: *Ecce dies venient, & auferentur omnia, quæ sunt in domo tua &c.*

Josue 24. 2.

Gen. 4. 11.

Ibid. v. 23.

Exod. 20. 5.

1. Reg. 21.

1. Reg. 15.

4. Reg. 20. 17

XXVII. Licet inquam quoad ad temporalia soleat DEUS punire filios, & nepotes propter scelera suorum majorum, sed non quoad spiritualia, excepto peccato originali, *quia unicuiquè dat libertatem* indifferentiæ, nec non auxilia, quibus adjuti, præventi, vocati, & confortati homines possunt rectè vivere; Et quia ab initio *illuminat hominem venientem in hunc mundum*: Et quia *vult omnes homines salvos fieri*: & quia *non vult mortem morientis*, & quia *reddet unicuique juxta opera sua*, & non juxtâ opera suorum progenitorum, & quia *referet unusquisquè propria corporis, prout gessit, sivè bonum, sivè malum*, non verò aliena, quæque non ipse, sed parentes sui gesserunt; & demum quia id videtur docuisse Ezechiel hæbræos malè intelligentes minas illas Exodi paulò ante cicatas: *Quid est, quod inter vos parabolam vertitis in proverbium &c. Ut anima Patris ita & anima filii mea est*, & reliqua, quæ ibi minutè explicat: Ergò, quod Patriarchæ familiæ Caini fuerint improbi, non probat omnes prorsus illius nepotes, viros, fœminas, pueros, puellas fuisse damnatos spatio 1656. annorum, & omnibus illis negasse DEUM semper auxilia efficacia, & hoc tametsi omnes illi, qui actu habitabant hunc mun-

Joann. 1. 1. ad Tim. 2. Ezech. 18. 32 Psalm. 61. 13 2. ad Cor. 5.

Ezech. 18. 2.

mundum, quando accidit diluvium damnati fuerint, de quo tamen postea: Item, quod Patriarchæ familiæ Seth fuerint probi, non probat omnes prorsus illius nepotes, & neptes fuisse salvos, aut omnibus illis largitum fuisse DEUM auxilia efficacia ad perseverandum, cum constet ex capite 6. Geneseos, decretam fuisse à DEO stragem illam universalem generis humani propter scelera, quæ conglobata sunt postquam viri hujus familiæ commixti sunt cum fœminis familiæ alterius. Confirmatur: Noë maledixit suum nepotem Chanaam inquiens: *Maledictus Chanaam servus servorum erit &c.* quam vocem licet, ut meram prophetiam interpretatus sim Decade 2. num. 41. pleriquè intelligunt, ut maledictionem: E converso benedixit Sem, & Japhet, quos DEUS etiam benedixerat; num ideò omnes omninò descendentes ex Chanaam fuerunt maledicti? Certè Christus Dominus sicut ex Davide, ita descendebat ex Chanaam, scilicet per fœminam, hoc est per Thamar palestinam, & per Raab Jericontinam, & per Jezabel sidoniam, ut ibidem ostendo num. 22. item beatissima virgo MARIA, & tota familia regia Davidis; Et quis audet dicere omnia hæc individua humana fuisse maledicta? similiter numquid omnes prorsus descendentes ex Sem, & Japhet fuerunt benedicti à DEO, vel à Noë? Rursus Isaac benedixit Jacob; ideonè omnes descendentes ex Jacobo fuerunt benedicti? Sanè totus hæbræorum populus descendebat per duodecim Patriarchas ex Jacob, & tamen notum est, quot, & quantis sceleribus redundaverit gens illa, & modo redundet: Præterea Jacob ipse maledixit Simeon, & Levi, & certè non maledixit Aaron, Moysen, Phinees, Jeremiam, Ezechielem, Joannem Baptistam, Stephanum, & Barnabam, qui omnes erant ex Levi oriundi: E contrario in tribu Juda fuerunt multi nequissimi, v.g. Joram, Achab, Amon, Absalon, tametsi moribundus Jacob, (vel potius DDUS per ipsum) Judam Patriarcham benedixerit: quod si dixeris nepotes Levi meruisse abolitionem paternæ maledictionis, quandò adhæserunt Moysi contrà adoratores vituli, Simeonitas autem nunquam quid simile fecisse, & hac de causa nunquam excusisse à suis cervicibus illam maledictionem: Quæro: Undè constat certò, & indubitanter, nepotem nullum maledicti Caini fecisse unquam actionem propter quam eximeretur à maledictione divina, parenti infixa? Certè nequè constat fecisse, undè res manet neutra ex hoc latere, valent tamen rationes suprà datæ, & quam nunc subjicio.

Gen. 9.

Ibid. c. 49.

Ibidem.

Exod. 32.

Ezech.

XXVIII. Intrinseca ratio conclusionis datæ ex natura ipsa rei erutа, hæc est: Quoties innumeri viri & innumeræ fœminæ disparis ætatis, conditionis, genii atquè inclinationis, concurrunt non sanè per tempus aliquod breve, sed per spatium longissimum 1656. annorum, est penitus incredibile, quod tota una medietas illorum personarum tenore non interrupto conspiret in unam speciem operationum liberarum; Et tota altera medietas conspiret similiter in unam speciem operationum oppositarum: Quoties enim experimur concursum per tempus longissimum personarum plurimarum, experimur quoque magnam diversitatem operationum in illis: Ergò incredibile est, quod cuncti viri, & cunctæ fœminæ descendentes ex Caino, & subsidiis divinæ gratiæ adjuti, quæ DEus nunquam negavit hominibus, conspiraverint per spatium longissimum annorum illorum in proterviam contrà legem naturalem, quæ sola tunc vigebat (& ecce disparitatem ad universalem damnationem, quæ modo contingit, omnium paganorum, Mahumetanorũ &c. quia modo præter legem naturalem obligat lex alia ad salutem obtinendam, cujus legis notitia moraliter evidente carent plurimi populi in pœnam suorum peccatorum contra legem naturalem) & etiam est incredibile, quod cuncti viri, & fœminæ descendentes ex Seth per illud annorum spatium convenerint

Sap. 14.

Gen. 6.

rint in perseverantia finali, suppositoutrosquè habuisse libertatem indifferentiæ ad benè, vel malè agendum, & quod DEUS utrisquè opitulatus fuerit suâ internâ,& supernaturali gratiâ, quandoquidem nunquam voluit mortem peccatoris, & semper voluit omnes homines salvos fieri. *Ezech.33.11*

XXIX. Probo secundam partem, videlicet neutros illos homines patrasse crimen idololatriæ, verisimile esse: Ratio est pure negativa: scriptura enim solita narrare crimen populi,de quo ex instituto loquitur, quando hoc scelere laboravit, nihil penitus dicit de priscis illis hominibus hac super re. Et notans singillatim aliqua scelera illius temporis, ut bigamiam Lamech, homicidia per hunc, & per Cain patrata, & notans in genere perditos mores illorum hominum, ut commistionem unius lineæ cum fœminis alterius, & multam malitiam, quæ tunc regnabat; Nihil tamen dicit de idololatria, quæ tamen, si tunc fuisset, digna erat propter privilegium suæ specialissimæ malitiæ, contra honorem divinum, ut memoretur, probabile ergo videtur scelus hoc exortum fuisse per diluvium occasione illa, quam insinuat Salomon inquiens: *Acerbo enim luctu dolens pater citò sibi rapti filii fecit imaginem &c.* Non enim quia criminibus repleta tunc erat terra habemus licentiam ad imputandum tunc hominibus hoc quoque scelus, quasi non fuisset aliud, quod movisset DEUM ad diluvium, nisi idololatria, quæ adeò vulgaris & frequens fuit post diluvium: Facilius judicarem, regnasse tunc paulo ante diluvium atheismum, saltem virtualem, id est totalem oblivionem DEI in plerisque hominum illorum, cum *cuncta cogitatio cordis intenta esset ad malum omni tempore;* Et rursus *omnis quippe caro corruperat viam suam super terram*: Quibus utrisque verbis insinuari videtur, totam ferè illam generationem hominum, paucis admodum exceptis, absorptam fuisse in rebus mundanis, v g. in libidine, superbia, sanguinolentia, tyrannide, quæ vitia tacitè notantur in eo capite, & consequenter fuisse primò oblitam, tum ignaram ob nequitiam suam supremi numinis. Crimen verò, quod maxime regnasse videtur in tota illa sobole humana, fuit luxuria, *videntes filii DEI filias hominum, quod essent pulchræ.* Item crudelitas, qua in se reciprocè homines illi sæviebant, quia propter hanc insinuandam videtur Moyses feciisse mentionem de arte exercendi ferrum, & quia probabile est Baruch locutum etiam fuisse de gigantibus illius temporis, quando dixit *scientes bellum*, de quo suprà, & etiam propter gravissima verba, quibus DEUS post diluvium monuit semel & iterum homines hac super re: *Sanguinem animarum vestrarum requiram &c.* Et quia unum è maxime commendatis à Christo Domino in Evangelio, est reciproca benevolentia hominum suorum inter se; *In hoc cognoscent omnes, quia discipuli mei estis,si dilectionem habueritis ad invicem,* & sæpè alibi. *Sap.14.15.* *Genes.* *Gen. 8.* *Joan.13.35*

XXX. Quoad victum gentis illius, de quo est magna quæstio, eo quod post diluvium, & non ante fuerunt primum audita illa verba: *Omne quod movetur, & vivit, erit vobis in cibum.* Dico 2. Non constat DEUM prohibuisse priscis illis hominibus occisionem, aut esum animalium, sivè aquatilium, sivè volatilium, sivè terrestrium, quamvis utpote omnium Dominus potuit utrumque, aut alterum prohibere. Probatur: non occisionem, quia primis parentibus dixit. *Dominamini piscibus maris, & volatilibus cœli, & universis animantibus, quæ moventur super terram*, ergò concessit illis, & consequenter suæ proli, dominium usucapiendum (& quidem proprietatis, non verrò jurisdictionis, ut patet) super illas tres animalium classes: Ergò servatis servandis, distributionequè accommoda, concessit eis illorum usufructum; Sed plurima animalia nisi occidantur, ut comedantur, vel ut pelles, *Gen. 9.3.*

ossa, nervi viscera, virtutesvè suæ medicinales serviant homini, non important huic utilitatem ullam, quamvis alia importent, licet non occidantur; Ergò DEUS concessit illis facultatem occidendi animalia in quacumque ex illis tribus classibus. Profecto Abel occidit animalia, quando *obtulit de primogenitis gregis sui, & de adipibus eorum*: Certum quoque videtur, sanctos illos Patriarchas ex Seth oriundos, & ex quibus nos omnes oriundi sumus, obtulisse DEO sacrificia, & victimas animalium, & consequenter licitè occidisse hæc: Rursus si totis illis 1656. Annis non licuisset hominibus occidere ullum animal terrestre, volatile, aut aquatile, commissa fuissent innumera peccata, si frequenter occiderent illa, aut neque terra caperet greges animalium terrestrium, neque aer greges volatilium, neque mare, & fluvii greges aquatilium: & hoc tametsi ab initio non creasset DEUS, nisi bina in singulis speciebus, quæ tamen paucitas non constat, ut benè notavit maldonato.

Gen. 4.

Maldon. in 19. Matth. v. 4.

XXXI. Neque constat, DEUM prohibuisse illis hominibus *esum carnium* terrestrium, aut altilium aut aquatilium, quia *non primo* ex eo, quod ovidius Pythagorico spiritu dixerit: *At vetus illa ætas non polluit ora cruore, tunc & aves tutè movere per aëra pennas &c.* Etenim in rebus facti, ut ajunt non solent habere poetæ magnam authoritatem; nam *pictoribus, atque poetis quidlibet audendi semper fuit æqua potestas*, ut alius artis ejusdem dicebat: Sed multo minus audiendus est ille primus subjungens ibidem: *Heu quantum scelus est in viscere viscera condi? Congestoq; avidum pinguescere, corpore corpus*; cum Deus ipse non præceptum, licentiam tamen pronuntians dixerit: *Omne, quod movetur, & vivit* (scilicet proportionatum stomacho, & complexioni vestræ, quales non sunt bufones, lacerti, vespertiliones feles, mures, canes) *erit vobis in cibum, quasi olera virentia tradidi vobis omnia.* Porro ille ovidianus, seu Pytagoreus error putandi, scelus esse occidere, & comedere animalia, adhuc viget in multis populis Indiæ, derivatus ex eodem Pythagora; sicut etiam ille alter de transmigratione animarum nostrarum in corpora bestiarum ut testatur Petrus de la valle; & ex hoc secundo nascitur ille primus: Non audent occidere, & multo minus comedere, unum pullum gallinaceum, nè fortè ibi sit anima sui parentis, amici &c. neque 2. constat illa prohibitio, ex eo, quod verba paulo ante citata, quibus DEUS concessit carnium esum, audiuntur solum post diluvium, si autem ante hoc jam erat concessus, quid necesse erat coecessionem repetere? quam novam gratiam impertiebatur DEUS Noë, ac filiis ejus? hæc ratio movit Abulensem, & alios, ut docerent esum carnium nec usitatum, nec licitum fuisse ante diluvium: Sed contra: quod primũ audiatur illa vox divina post diluvium, duntaxat probat, Moysen non scripsisse omnia omnino, quæ DEUS dixerat ante diluvium (quamvis in illa largitione divina ante diluvium *Dominamini piscibus maris, & volatilibus &c.* sufficienter intelligatur concessus usus comedendi animalia illa, ut nuper dicebam) nullum autem absurdum est, quod aliqua prætermiserit in historia, quam scribebat: Quoniam ut perspicuis exemplis ex ipso Moyse, & aliis authoribus canonicis erutis, ostendi Decade 2. n. 14. solent authores hi aliqua prætermittere, quæ vere, & realiter evenerunt in historia, quam scribunt, cujus boni testes sunt singuli Evangelistæ.

Metaphor. 153

Gen. 9. 4.

XXXII. Ut quid autem repetitur licentia, quæ jam concessa fuerat? ut quid quando DEUS assignavit alimenta Adamo, & Evæ die sexta, qua eos creavit, solum meminit herbas, inquiens: *Ecce dedi vobis omnem herbam afferentem semen super terram &c. ut sint vobis in escam* & nil dicit de carnibus animalium comedendis? Certe solum poterant comedere, quod ipsis per DEUM datum fuerat ad cibum, & solæ herbæ, atque arbores datæ sunt tunc: *Ecce dedi vobis omnem herbam.* Incipiens ab hoc ultimo, nego, quod solæ herbæ, atque arborum fructus

fructus dati sint in cibum, & quod hæc duo sola meminerit DEUS: Quoniam immediatè antè dixerat nostris parentibus: *Dominamini piscibus maris, & volatiblius cœli, & universis animantibus &c.* Quibus verbis implicitè dedit licentiam vescendi carnibus horum animalium, cum ut suprà dixi multa animalia non aliam importent homini utilitatem postquam occisa sunt, quam alere, & nutrire humanum corpus. In illo ergo universali Dominio super cuncta animalia quoad usus non intrinsecè malos, imbibita videtur facultas vescendi illis. Explicuit autem DEUS signanter: *Ut sint vobis in escam*, quando tradidit herbas, & arbores ut scirent nostri parentes, qui profecto experientiam non habebant, herbas etiam, & arbores, quamvis viderentur res sine substantia, succo, & pinguedine nutritiva, aptas natas esse ad nutriendum hominem, imo ad adulandum etiam palato, & stomacho, & non esse sicut alia mixta, quæ nutrire non possunt, atquè ideò de illis signanter dixit. *Ut sint vobis in escam*, quod non fuit necesse dici de animalibus, cum per se notum esset, illa habere succum pinguedinem, substantiam, & longe majorem affinitatem cum humanis carnibus, ut has alerent, atquè nutrirent. Potuerunt quoque illa verba esse solius consilii, sicut multa alia, quæ inveniuntur in scriptura, quæquè majorem habent sonum præcepti, v. g. *vade, vende, quæ habes &c.* eo quia robustissimæ complexioni, qua primis eis diebus fruebantur nostri parentes, magis congruebat alimentum mediocre, & purum, quod præstabant herbæ, atquè arborum fructus, quàm vastum illud, & physicè immundum, quod carnes animalium præstant: Unde in illis octo diebus, quos juxtà rationalem conjecturam Pererii, vixerunt in Paradyso, nempè à feria sexta in qua creati fuerunt, usque ad sequentem feriam sextam, in qua peccaverunt, & post meridiem fuerunt ejecti, sicut feria sexta post meridiem aperta est via in Paradysum cœlestem per mortem Christi; Illis inquam octo diebus carnes non comederunt ullius animalis; sed ut respondit Eva serpenti *de fructu lignorum, quæ sunt in Paradyso vescimur*: Non ergò evincitur rigorosa prohibitio carnium ex illis verbis: *ut sint vobis in escam* prolatis de solis herbis, & arboribus. *Gen. 3.*

Perer. lib. 6. in Gen. q. 2.

XXXIII. Ad primum respondeo, multa concessa, & promissa fuerunt à DEO post diluvium, quæ jam antè concessa, & promissa fuerant, fortasse nè homines perterrefacti clade illa universali generis humani, putarent, se non amplius posse illis frui, & pejoris futuros esse conditionis, quam priores homines, ob quorum scelera obrutum est aquis genus humanum. Ergò quod post diluvium concedatur esus carnium, non probat illum non fuisse non antea concessum. Probo antecedens 1. Post diluvium auditur primùm illa promissio divina: *Cunctis diebus terræ sementis, & Messis frigus, & æstus, æstas, & hyems, nox, & dies non requiescent*: Et tamen hæc omnia promissa, & concessa fuerunt etiam ante diluvium, implicitè in illis verbis: *Fiant luminaria in firmamento cœli, & dividant diem, ac noctem, & sint in signa, & tempora &c.* nisi dicamus sedecim illa sæcula, quæ diluvio præcesserunt, caruisse his vicissitudinibus temporum. 2. jam concessus fuerat esus piscium: *Dominamini piscibus maris*, quorum multi non aliam inportant homini utilitatem, nisi quatenus sunt esca; & nihilominus de novo conceditur hominibus post diluvium esus piscium: *Omnes pisces maris manui vestræ traditi sunt*; nisi dicere velis per totos illos 1656. Annos non licuisse hominibus piscem ullum edere: Undè fieret, ut jam dixi, quod cum nostris etiam temporibus adeò numerosus sit aquatilis populus, non obstante, quod sint frequens alimentum plurimorum hominum, si per tot illos annos nullo pisce vesci licuisset hominibus, maria, flumina, & lacus non sufficerent incredibili multitudini, quæ tunc fuisset piscium 3. Jam con-

Gen. 3.

Gen. 8.

Gen. 1.

Ibid. v. 22.

Gen. 9.

concessa fuerat maritalis copula nec non dominium suprà cætera animalia; Gen. 1. *Crescite, & multiplicamini, & replete terram*, quod non fit licitè, nisi maritalibus copulis. Item: Gen. 9. *Dominamini piscibus maris, & volatibus cœli, & universis animantibus*: Et tamen de novo conceduntur ambo post diluvium: *Crescite, & multiplicamini, & replete terram, & terror vester, ac tremor sit super cuncta animalia terræ, & super omnes volucres cœli cum universis, quæ moventur super terram*: Ergò multa concessa, & promissa ante diluvium, promittuntur, & conceduntur rursus post illud, ergò quod esus carnium concedatur post diluvium non probat illum non fuisse concessum ante illud.

XXXIV. Explicatur amplius illud: *Ut sint vobis in escam, & cunctis animantibus terræ, omnique volucri cœli*, quod de solis herbis, & arboribus dixit DEUS primis parentibus, unde cum exceptio firmet regulam in contrarium, DEUM concessisse fructus terræ, & nihil dixisse de carnibus animalium, videtur fuisse harum carnium prohibitionem, sed contra, nil quoque dixit tunc DEUS de lacticiniis: Ideòne totis illis sexdecim sæculis fuerunt prohibita, Ova, Lac, Butyrum, Caseus, & similia? quodnam speciale obsequium præstitit Abel DEO præ fratre suo in eo, quod sacrificaverit *de primogenitis gregis sui, & de adipibus eorum*, si nec lacticinia, nec ullum aliud capiebat ex grege emolumentum, quam pelles prò vestibus suis: 2. cum inter animalia terrestria, & volatilia sint multa carnivora, quæque ex suorum corporum constitutione non comedunt herbas, sed carnes, sequeretur quod si eis non fuisset assignatum aliud alimentum, quam herbæ atquè poma, lupi, vulpes, aquilæ, milvi, ossifragæ, & reliqua animalia carnivora, non comedissent per illa 16. sæcula, nisi, herbas, & poma: Ergò fuissent in continua violentia famis, vel habuissent aliam corporis constitutionem, humorumque complexionem specificè diversam ab ea, quam nunc habent. Ambo dicentur gratis: Ergo assignatio illa: *Ut sint vobis in escam, & cunctis animantibus &c.* non fuit impedimentum physicum nè animalia cætera carnes comederent. Ergò nec fuit impedimentum morale, sivè prohibitio respectu hominum: Demum illa vox: *Ecce dedi vobis omnem herbam*, quæ fuit audita antè diluvium, non autem *omne, quod movetur, & vivit, erit vobis in cibum*, quod solum post diluvium auditur, videtur scripta per Moysem, ut via sterneretur præcepto mox imponendo: *De ligno autem scientiæ boni, & mali nè comedas*: Cumquè exceptio hæc non esset addenda post diluvium, sed illa altera: *Excepto quod carnem cum sanguine non comederis*, id est non comedetis carnem vivam more belluino; Ideò fieri potuit, quod non antè, sed post diluvium fieret mentio expressa esus carnium. Gen. 9.

XXXV. Denique non probatur dicta prohibitio carnium in eis primis temporibus mundi, ex eo, quod carnes illæ pinguius quam oporteret alimentum præstassent hominibus, & longiorem vitam, & majus robur, ac audaciam: sic philosophatur Perer; sed contrà: Ista probant homines illos non potuisse licitè comedere pisces, quorum multi pinguissimum præstant alimentum, ut salmones, Anguillæ &c. neque multarum herbarum, & arborum fructus, quorum multi solidum, & vixax dant alimentum, ut panis, qui revera est fructus herbæ immediatus, & *cor hominis* confirmat, ut vinum, quod *in jucunditatem creatum est*, & fructus immediatus est vitis, ut oleum, caules, piper, cannella, siliquæ Americanæ, vulgo *Baynilla*, tubera, saccharum, crocus, & innumera alia vegetabilia, quæ immediatè nascuntur ex herbis, virgultis, arboribus, citrà conversionem in aliam substantiam, & pingue, firmum, & solidum sunt alimentum adhuc in his temporibus. 2. sat vitæ, ac durationis habuerunt homines illi, etiamsi carnibus non vescerentur, ut censent authores contrarii, quo-

quoniam ad nongentesimum annum pervenerunt ferè omnes illi nostri Patriarchæ, quos meminit scriptura: Sat item roboris, atque audaciæ: quandoquidem gens illa propter enormia sua scelera meruit horrendam cladem generis humani; Ergò prohibitione, atque abstinentia à carnibus non vitatur id, quòd vitare affectant adversarii, nempè vitam ninis longam hominum illorum, robur, vires, audaciam, & petulantiam 3. gratis videntur ista inferri ex eo, quod gens illa carnibus vesceretur: DEUS enim tunc primum creans hominem, & reliqua animalia, ita potuit temperare, ac combinare alimentum carnium, cum complexione, ac temperamento humorum illius gentis, ut nequè vitæ, nequè audaciæ, nequè roboris plus ministrarent manducatæ carnes, quàm ipse permittere decreverat. Tunc enim præfinivit eum gradum vigoris in hominibus eis, atque animalibus, quem voluit ex multis aliis majoribus, & minoribus, quos eligere poterat: sicut tunc statuit eam formam externam, & membrorum multitudinem, atquè coordinationem, quam voluit, cum posset aliam valdè dissimilem assignare singulis speciebus animalium, v. g. quod homines haberent quatuor oculos, vel quod haberent pennas ad volandum, vel quod unum solum haberent oculum: Et sicut modo esset monstrosa quælibet ex his figuris externis, propter universalitatem contrariam quam experimur, ità tunc hæc nostra corporis habitudo, membrorum numerus, & coordinatio esset monstrosa propter universalitatem contrariam, si DEUS illam decrevisset in corporibus nostris: Anima sanè nostra non est per se ab intrinseco determinata ad corpus hujus potius figuræ, quàm alius non parum dissimilis, & quandò dicitur hæc figura, numerus, & combinatio membrorum, haberi *ex natura*, sensus est haberi ex natura naturante, id est ex eo quod DEUS primus naturæ nostræ Architectus, imo, & parens, voluerit propter fines suæ providentiæ sibi notos, unamquamque speciem animalium habere hanc potius, qumm aliam corporis figuram, & membrorum Æconomiam, cum posset habere aliam ex innumeris, quæ proportionatæ quoque essent functionibus animarum.

XXVI. Discursus hucusque factus negativè per solutiones argumentorũ contrariorum, sufficienter probat, quam verosimilis sit responsio affirmativa data per S. Justinum (vel quisquis sit author ille) ad quæstionem nonam suprà centesimam orthodoxorum; An scilicet homines ante diluvium vescerentur carnibus? Et quam rationabiliter adducuntur ibi in probationem partis affirmativæ verba Pauli *quis vitem conserit, quin de fructu ejus comedat? quis gregem pascit, quin de lacte ejus edat?* Undè transit Justinus ad Abel inquiens: *non igitur Abel gregem pascens, gregis lacte non vescebatur, neque Cain terram &c.* Quod si semel conceditur, priscos illos homines lacte usos fuisse, ut Perer ipse concedit, quodnam speciale, urgensque fundamentum producitur ad probandum illos non potuisse licitè uti carnibus, cum illud ex his origenem trahat; & hac de causa æquè ac illæ jure communi prohibeatur tempore quadragesimæ. 1. ad Cor. 9.

XXXVII. Dico 3. His non obstantibus, credibilius est, multos ex hominibus illis, qui descendebant ex Seth per lineam, quàm meminit caput 5. Geneseos, abstinuisse non præcepti, sed disciplinæ causa ab esu carnium, si non semper omnino ab infantia, ast majori suæ vitæ parte: non dico illos, qui ex Seth descendebant per alias lineas, habuit enim alios filios, & filias ut ibi dicitur, nec omnes descendentes ex illis filiis, & nepotibus, quos ibi nominat scriptura, singuli enim habuerunt multos filios, & filias, & plerique horum, nè dicam omnes, agglomerati videntur paulo antè diluvium cum cætera turba pessimorum illorum hominum, & omnium illorum posteritatem, ac nomini obruit diluviũ; sed loquor de solis

illis Patriarchis, quos nominat scriptura à Seth usquè ad Noë, cum quibusdam forsan aliis qui illorum imitabantur mores: Etenim Patriarchæ illi, quibus nonnullos alios adjunctos fuisse ex tanta hominum multitudine credibile est, videntur fuisse sæverioris disciplinæ, magisquè familiares rationalitatis, & cultus divini ex institutione Enos, qui fuit unus ex illis, & qui *cœpit invocare nomen Domini.* Item ex integritate vitæ Henoch, qui fuit etiam in illa linea, quiquè adeò placuit DEO; demum ex disciplina Noë, qui annos quingentos vixit cum suis fratribus, consobrinis, consanguineis &c. Erant ergo Patriarchæ illi, per quos omnes descendimus ex Adam, quasi Theologi, & Ecclesiastici, & religiosi illorum temporum, magisque remoti à rebus carnalibus: Ergo quamvis ex unoquoquè illorum plurimi nascerentur degeneres, ut re ipsa nati sunt, atque ut experimur in nostris familiis, quarum rara vel nulla est, quæ degeneres filios non producat, credibile tamen est, aliquos alios instituisse vestigiis majorum suorum, & ab esu carnium, sicut ab aliis carnalitatibus abstinuisse.

XXXVIII. Dico 4. verosimile etiam est, quod in tanta hominum multidine, quanta tunc erat & in prolixo eo sedecim sæculorum spatio, multi alii forsan ex descendentibus a Cain, vel saltem ex descendentibus ab aliis Patriarchis per alias lineas abstinebant plerumq; ab esu carnium: Tum quia licet agente Noë quingentesimum annum. *Omnis caro corruperat viam suam*, & licet fortasse tunc non solum carnes comederent multi, sed etiam carnes cum sanguine, hoc est carnes crudas more belluino, imo & carnes vivas, ut de suis gigantibus fabulantur poetæ: *Visceribus miserorum, & sanguine vescitur atro, vidi egomet &c.* atquè idcircò propter hoc flagitium paulo ante commissum, tam severè prohibuerit DEUS hominibus immediatè post diluvium: *Carnem cum sanguine non comedetis. sanguinem enim &c.* i.e. nè imitemini færociam & barbariē bestiarum, morsibus comedentiū viva alia animalia; licet inquā hæc ita essent, non impedirent, quod in prioribus sæculis aliqui alii fuerint probi, Deoque accepti, aut saltem non adeò depravati; ac sicut ex ea universalitate *omnis caro*, oportet excipere ipsum Noë, ac forsitan suum Patrem Lamech, qui paulò ante mortuus fuerat, & suum Avum Mathusalem qui in ultimo eo sæculo vivebat, ità nonnulli alii excipi possunt absquè irreverentia, contrà illud *omnis caro*: notum quippe est, multas propositiones universales scripturæ non procedere in sensu summulistico, sed duntaxat significare majorem partem, ut fusè expono Decade 2. n. 1. & seqq. Tum quia esto neminem ex nepotibus aliis Adæ abstinuisse ratione integritatis morum à carnibus, eo quod omnes ad unum scelerati fuerint, & reprobi, de quo infra; Ast credibile est, multos, & fortè plerosque ex eis, in illis 16. sæculis abstinuisse propter nauseam, propter stomachum & horrorem: Etenim licet nos partim ob consuetudinem ab infantia, partim ob corruptionem physicam longè majorem quam nunc habent corpora humana (sicut ob eandem corruptionem fœminæ aliquæ delectantur esu carbonum, gypsii, terræ præsertim rubræ, & similium immunditiarum, & interdum pejorum) partim ob mollitiem etiam majorem, non habeamus nauseam, & horrorem ad esum carnium, sicut nequè nauseant ad carnes vespertilionum, felium canum, imo neque ad humanas, homines, qui his carnibus assueverunt; nauseant verò vehementer, qui non assueverunt: Ast credibile est, magnam partem priscorum illorum hominum, quorum corpora magis pura, & minus mollia erant, habuisse horrorem, & nauseam ad carnes animalium comedendas (sicut nunc etiam experimur multos ad illas nauseare, vel saltem ad carnes humanas, caninas, felinas, asininas, &c.) Et hoc propter fætorem propter spurcitiem tot excrementorum, quibus carnes illæ circumdatæ sunt propter multas, & grāves immunditias, quibus referra. & quasi

Gen. 9.

Æneid. 3.

Gen. 9.

quasi imbitia homines illi noscebant corpora animalium; Item propter primam educationem à suis parentibus, qui utpote puriores ipsi, & robustiorem communicabant filiis materiam primigeniam.

XXXIX. Confirmatur. Nunc etiam quando terra, aqua, & aër sunt adeò impura, respectu primæ illius ætatis mundi, nihilo tamen minus herbæ, olera, arbores, radicesque præbere solent alimentum saluberrimum, pingue, plenum substantiæ, & succus, adulatorium palati, & quod caput est, mundissimum absque nausea fæcum, & humorum carnium; Ergò credibile est multos ex illa prima ætate (erant enim millionum, & millionum milliones, juxtà dicta cap. primo) his rebus alitos fuisse. Antecedens jam supra insinuavi. Panis in quo avidè comedendo omnes homines, imo bestiæ terrestres, aquaticæ, & volatiles, conveniunt: oriza, quæ omnibus gentibus hactenus detectis valde placet: Vinum, oleum, amygdalæ, saccharum, mel, chocolatum, cannela, siliquæ Americanæ vulgo *Baynillas*, cocco, Piper, tubera, crocus, & sexcenta id generis partim nota unis gentibus, licet ignota aliis, partim nobis, qui ad fæces sæculorum venimus ignota, sed primis illis hominibus familiaria: Omnia inquam hæc sunt, aut radices, aut fructus arborum, virgultorum, herbarum, aut olerum: Et tamen benè condita, & inter se respectivè combinata, salubre pingue, delicatum, solidum, plenum succi, atque substantiæ purumquè à sanguine, phlegmate, bili, urina, pituita, excrementis, & immunditiis aliis propriis carnium animalium, nutrimentum præstant: Ergò prisci illi homines, qui abundantiorem puriorem, pinguioremquè copiam horum fructuum terræ, & aliorum similium, & meliorum, sed nobis ignotorum, copiam nacti sunt, potuerunt sine esu carnium vesci alimentis mundissimis, pinguibus, saluberrimis, & etiam delicatissimis, ergò credibile est, multos ex illis propter hæc insinuata alimenta, & etiam propter nauseam ad animalium carnes, quæ semper habent, aut paulo antè habuerunt, multam imbibitam immunditiam, nutritos esse per totum, aut terè totum illud tempus solis herbis, oleribus, radicibus, fructibusquè arborum, & herbarum (certè panis fructus est herbæ, vinum fructus est arbusti, oleum fructus est arboris) variè inter se temperatis, & combinatis, quamvis plerique alii minus culti, & magis rudes, in carnes se se ingurgitaverint.

CAPUT IV.

An omnes qui diluvio perierunt sint in æternum damnati.

XL. QUoad salutem æternam illorum hominum, adultorum, est modo quæstio; nam de parvulis credibilius est, ut ipse Perer fatetur, multos obtinuisse remedium contra peccatum originale, & sic salvos fuisse: super adultis ergò: Dico 5 credibilius est multos ex eis, qui perierunt diluvio tum ex nepotibus Seth, tum ex nepotibus Cain salvos factos fuisse, & consequenter non fuisse ad æternas pœnas damnatos, sed in gratia DEI obiisse: Multus est Perer in hac propositione subvertenda: Sed non levi manu firmat illam S. Hyeronimus, qui cum severioris alias esse soleat genii, docet, nequè omnes Ægyptios qui aquis obruti fuerunt, nequè omnes Sodomitas ignè supernè lapso combustos, nequè omnes hæbreos divino gladio percussos in Eremo in æternum fuisse damnatos. *Scitote*, inquit, *eum ideò ad præsens reddidisse supplicia, nè in æternum puniret.* Hyeronimum sequitur Rupertus. Arguo 1. ex doctrina generali Augustini disputantis contrà Porphyrium. *Et tamen*, ait de Christo Domino *ab initio generis humani alias occultius alias evidentius, sicut congruere temporibus divinitus visum est, nec prophetari destitit, nec qui in eum credere defuerunt ab Adamo usquè ad Moysen* (ecce inclusa sexdecim illa sæcula) *& in ipso populo Israel &c.* Postea longius loquens, inquit: *Cum enim nonnulli*

Perer. in lib. 9. Gen. n. 61.

S. Hyeron. in tradit. Heb. in Gen. & in 1. Mabu.

Rup. 4. in Gen. cap. 16.

S. August. l. Porph. & cap 9. de Prædest.

commemorentur in sanctis hæbraicis libris jam ex tempore Abrahæ, nec de stirpe ejus, nec ex populo Israel nec adventitia societate in populo Israel, qui tamen hujus Sacramenti participes fuerunt, (v.g. Melchisedech, Job cum suis quatuor æmulis, Rahab, Ruth, Achior ille, qui apud Holophernem habuit concionem prò hæbræis, Regina Saba, Cornelius Centurio, Eunuchus Æthiops, quorum nullus erat ex populo Israel aut huic societate prius conjunctus, & tamen DEUM verum verè coluisse videntur) *cur non credamus etiam in cæteris hac atquè illac gentibus, alios, atquè alios fuisse, quamvis eos commemoratos in eisdem authoritatibus non legamus?* Idem rationabiliter dicendum puto de illis numerosissimis populis, qui ante diluvium replebant orbem terrarum, tametsi scriptura non commemoret, nisi trium, aut quatuor Patriarcharum sanctitatem, eo quod illorum duntaxat fuerit insignis probitas vitæ. Concludit Augustinus cap. 9. de prædest. *Ab exordio propagationis humanæ usque ad finem, quibusdam ad præmium, quibusdam ad judicium prædicatur*: Et ecce disparitatem ad innumera individua humana, quæ etiam ab exordio Evangelii perierunt in æternum & modo pereunt in Asia, Africa &c. quia ex archano, sed justo judicio DEI, nec fuit illis prædicatum ab exordio ipso Evangelii, nec per multa sæcula prædicabatur omnibus & singulis humanis individuis adultis nomen JESU Christi, cum tamen, ut Petrus palam testificatus est: *Non est in aliquo alio salus; neque enim aliud nomen est sub cœlo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri.*

Judith. 5.

Actor. 10.

Ibid. 9.

Actor. 6. 12.

XL. Neque obstat universalitas, qua loqui videtur scriptura de universali perditione illorum hominũ. *Cum cuncta cogitatio cordis intenta esset ad malum omni tempore.* Item *Tum quippe caro corruperat viam suam super terram.* Tum propter illa, quæ dixi Decade 2. n. 1. & seqq. super plurimis universalitatibus scripturæ; Tum quia licet eis universalitatibus non sint adhibendæ restrictiones passim temerè, ac sine fundamento propter certum periculum errandi; Ast rationabiliter adhiberi possunt, quandò rationale adest fundamentum, etiamsi convincens non sit; At in præsenti adest authoritas; nimirum Hyeronimi, Ruperti, & aliorum, nec non ratio mox elicienda ex testimonio S. Petri; ergo: Tum quia, ut jam dixi ab istis universalitatibus excipere oportet Lamech Patrem Noë, Mathusalem avum, qui tunc vivebant, quando DEUS sic locutus est, nec non aliquam saltem ex illis septem personis quibus constabat familia Noë; dnrum quippe est, uxorem, tres filios, & tres nurus Noë sceleratos omnes fuisse tunc temporis: Tum quia licet ibidem dicatur: *Noë verò invenit gratiam coram Domino*, exceptio hæc non firmat regulam in contrarium, neque significat ut supponit Perer, illum *solum* fuisse justum, cum verosimilius sit aliquem saltem ex suis domesticis ebibisse doctrinam justitiæ quotidianam, quam audiebat, & videbat in patrefamilias; de sola autem justitia Noë fit mentio, quia specialis erat, atquè digna, ut ipsius respectu liberaret DEUS eam familiam ab imminente ruina hominum omnium, ut origo esset cunctorum hominum, postea nascriturorum: Tum quia illa verba dicta fuerunt de tempore, ante quod jussus est Noë fabricare Arcam, hoc est centum ferè annis antè initium diluvii: Et quamvis tunc omnes penitus mortales impii essent, spatio tamen tot annorum potuerunt aliqui ad meliorem frugem converti, & alii, qui quotidiè adolescebant temperare se à vitiis. Cur non? Tum maximè, quia non dico rem ita contigisse, ac de facto conversos fuisse legitimè ad DEUM aliquos ex illis, qui diluvio perierunt (quoniam ad factum hoc asserendum absolutè fundamentum non suppetit, sicut nec ad asserendum absolutè oppositum nempè omnes prorsus, nemine excepto periisse corpore, & anima) sed solum dico, rem potuisse contingere in sensu composito illorum, quæ nos docet scriptura, & verisimilius esse, quod ità contigerit multis ex eis hominibus, attentâ immensâ eorundem multitudine, & varietate operationum, quibus humana libertas

Gen. 6.

Luc. 17.

Ysai. 28.

1. ad Cor.

Psal. 31.

Genes. 18.

tas indifferentiæ seſe exercere ſolet, & attentâ prolixitate annorum ferè centum, quibus duravit prædicatio Noë, ut colligitur ex capite 6. Geneſis.

XLII. Et attento, quod licet homines illi. *Edebant, & bibebant, uxores ducebant, & dabantur ad nuptias usquè in diem, qua intravit Noë in Arcam, & venit diluvium, & perdidit omnes.* Veruntamen cum non omnes homines illi perierint in illa eadem die, ſed pluviæ duraverint per quadraginta dies, veroſimilius eſt, quod multi ex his videntes jam mortem vicinam, & tandem impleri minacem Prophetiam Noë, ſupernè tacti ad DEUM ex toto corde converſi ſint; ſicut bonus latro: & quia ſicut modo multoties, ita forſan tunc etiam verificatum fuit illud. *Tantummodo ſola vexatio intellectum dabit auditui, coangustatum eſt enim ſtratum, ita ut alter decidat;* Et attentâ demum divina miſericordia ſolita quærere, & ſalvum facere, quod perierat, non pepercit illis DEUS, quoad mortem temporalem, quia contumaces fuerant, increduli, & irriſores: DEUS itaquè ſe geſſit cum illis, ſicut Paulus poſt multa ſæcula cum quodam alio: *Tradere hujusmodi ſatanæ in interitum carnis, ut ſpiritus ſalvus ſit in die Domini noſtri JEſu Chriſti*, & illi cum DEO ſe geſſerunt ſicut ille peccator, qui proximus morti, & confeſſarium non habens, & ſciens ſe damnandum, niſi perfecta converſione convertatur ad DEUM, miſericorditer adjutus, ſic convertitur. Non enim de ſolis reprobis, ſed de multis etiam prædeſtinatis dictum eſt: *In camo, & fræno maxillas eorum conſtringe, qui non approximant ad te*, quandoquidem mors ipſa temporalis, & ærumnarum pluvia eſt in multis effectus ſuæ prædeſtinationis: quod autẽ in hoc ſenſu occiderit DEus illos, quos probabiliter dico juſtos cum fæce plurimorum aliorum impiorum, poſito, quod illi juſti meruerint mortẽ temporalem, negligentes converſionem ad DEum, donec vaginatum gladium viderunt, non eſt contra generoſum judicium, quod de divina clementia habebat Abraham, quanndo dicebat DEO: *Non eſt hoc tuum Domine, qui judicas omnem terram, ut occidas juſtum cum impio, fiatque juſtus ſicut impius.* Plurimos namq; juſtos damnavit DEus ad mortem temporalem propter olim, vel paulo ante commiſſa peccata, ut Moyſem, Ozam, Prophetam Anonymum miſſum contrà Jeroboam, & ſeductũ ab alia Propheta, & anonymum alium, qui noluit percutere ſuum ſocium, & ſanctum regem Joſiam, qui noluit audire regem Ægypti loquentem *ex ore DEI &c.* Ergò, quod nemine ex aliis hominibus præter ſolam familiam Noë, liberaverit DEus à diluvio, non probat omnes illos fuiſſe improbos, & in lethali mortuos.

Luc. 17. 27.

Iſai. 28. 19.

1. ad Cor. 5.

Pſal. 31. 9.

Geneſ. 18.

Num. 20. Deut. 34. 4.

2. Reg. 6. 7. 3 Reg. 13 24 3. Reg. 20. 36

2. Paral. 35. 22.

XLIII. Non obſtat 2. fore, ut ex hac ſententia ſequeretur, multos ex Sodomitis igne cœleſti conſumptis, multos item ex Ægyptiis mari rubro obrutis, multos ex ſociis Core, Datan, & Abiron, adeptos fuiſſe vitam æternam: Etenim præterquamquod S. Hyeronimus ſupracitatus non æſtimat abſurdam iſtam ſequelam, magnum eſt diſcrimen in ordine ad attendendum vitæ æternæ, inter caſum, in quo inſtantaneè ingruit mors corporis, & caſum magis lentum, in quo de repente utiq; periculo irruente, mors differtur nihilominus per aliquos dies, hic enim caſus dat tempus cogitationibus ſalutaribus, & non ità corripit, & turbat mentem, ſecus ille: At quamquam diluvium de repente ingruerit, & nil tale opinantibus hominibus illis, ut verba jam data Chriſti Domini apud Lucam docent, non occidit de repente cunctos illos homines, ſed duravit quadraginta dies, ità ut primis ſaltem octo, aut decem diebus adhuc non occupaverit vertices montium, ad quos confugere poterant multi ex illis miſeris, & ex quibus deſpicere poterant aquas quotidiè creſcere, & non ſupereſſe remedium prò vita ſalvanda, ſed impendere certiſſimam mortem, non poſt multum temporis; unde poterant facere, quod poſtea fecit impius, ſceleratus, & nequiſſimus aliquando mortalium Rex Manaſſes: *Qui poſtquam coangustatus eſt, oravit Dominum DEum ſuum, & egit pœnitentiam valdè coram DEO Patrum ſuorum, deprecatusque eſt eum, & obſecravit*

3. Paral. 33.

vit intentè, & exaudivit orationem ejus: Ignis autem, qui consumpsit nefandas illas civitates, subito, & quasi in momento combussit gentem eam, tum propter Ignis voracitatem, ac energiam, tum propter testimonium Jeremiæ dicentis de Sodoma, *quæ subversa in momento*, id est in brevissimo tempore. Mare item rubrum in momento absorbuit fugientes, & turbatos Ægyptios: *Cumque extenderet Moyses manum contrà mare, reversum est primo diluculo ad priorem locum, fugientibusque Ægyptiis occurrerunt aquæ &c.* Et deniquè mors Core, Datan, & Abiron, & sociorum in ictu quoque oculi accidit. *Confestim igitur, ut cessavit loqui, disrupta est terra sub pedibus eorum, & aperiens os suum devoravit eos &c.* Ergò est disparitas inter casum diluvii, & casus istos in ordine ad circumstantias concurrentes, quibus DEUS se accommodare solet.

Thren 4.6.

Exod.14 27.

Num.15.31.

XLIV. Arguo 2. ex verbis æquè notis, atquè obscuris D. Petri, quæ licet multifariam explicare conentur adversarii, hoc unum commodum capiunt, nimirum, quod sententia nostra non sit prorsus certa, & clarè tradita per Apostolum; sed non obtinent, quod non sit credibilior, utpote magis simplex, magisq; inhærens Apostolicis verbis. Igitur scribens Petrus de Christo mortificato quidem carne, sed vivificato quoad spiritum, subjungit. *In quo, & his, qui in carcere erant spiritibus veniens prædicavit, qui increduli fuerant aliquando, quando expectabant DEI patientiam in diebus Noë, cum fabricaretur Arca*: Apostolus palam loquitur de illis, qui perierunt diluvio quiquè increduli fuerant minis divinis: Deinde vox *prædicavit*, seu ut græcus textus dicit *præconizavit*, sivè *evangelizavit*, cum ex usu magis communi significet afferre bonum nuntium, & non triste aliquod, verosimilius est, Petrum docere verbis eis spiritum, id est sanctissimam animam Christi Domini separatam à corpore, immediatè post separationem, attulisse animabus illis, olim incredulis, & quæ per 2928. annos reclusæ fuerant in eo carcere subterraneo (tot enim transierunt à principio diluvii usq; ad mortem Christi juxtà calculum Cornelii) bonum, & faustum nuntium: Maximè si animæ illæ dubio, & angore torquebantur de sua æterna salute quoad substantiam, vel saltem quoad prolixiorem durationem; ut etiam post adventum animæ Christi in cæca illa loca, post libertatem què aliarum, quæ ibi erant animarum, possent, ac deberent dicere. *Heu nobis, quia incolatus noster prolongatus est? habitavimus &c.* hoc sanè dubio solet DEus magnos aliquos amicos suos exercere in hac vita: Attulit autem illis anima Christi Domini fælix hoc nuntium, non quatenus verba ulla materialia protulerit, siquidem animæ separatæ à corporibus non habent organa ad loquendum, vel audiendum materialiter; sed quatenus infudit illis claram notitiam de ipsarum æterna salute jam obtenta per sacrificium crucis; sicut enim ego formo in hac charta hos characteres, quamvis ea nil intelligat, sed merè passivè se habeat. Ità anima illa sacrosancta divinitati unita, poterat producere dictam claram notitiam, seu spiritualem, vitalemquè cognitionem in animabus illis, quæ tamen intelligerent, & activè concurrerent ad illam suam notitiam, sivè cognitionem, utpotè actum suum vitalem: sic enim passim operatur DEus in nobis sine nobis illustrationes, vocationes, inspirationes, id est, cognitiones, & indeliberatos motus voluntatis, quibus nos docere, & prævenire dignatur, ut declinemus à malo, ut faciamus bonum.

1. Petri c 3.

Cornel. in Pent.

XLV. Et quidem quod Petrus illis verbis doceat, animam Christi Domini salutis æternæ nuntium impertitam fuisse animabus illis quondam incredulis, quæquè tempore diluvii separatæ fuerunt à suis corporibus; non autem exprobasse illis incredulitatem pristinam, nec notificasse ultimam definitivam sententiam æternæ damnationis, aut funestum aliud, & triste (præterquamquod id non patitur vox *prædicavit*, sivè *præconizavit*) fit valdè probabile ex capite sequente, ubi rediens Petrus more sibi soli-

Author. 2.

1. Petri

to ad idem, scribit; *Propter hoc enim & mor-*

& mortuis evangelizatum est (qui sunt isti mortui, nisi illi iidem, de quibus capite antecedente locutus fuerat, qui nimirum increduli erant tempore Noë, quando expectabant DEI patientiam? Et quæ evangelizatio est ista, nisi illa, de qua in eodem capite antecedente: *Veniens prædicavit*) *ut judicentur quidem secundum homines in carne, vivant autem secundum DEUM in spiritu.* Ubi prætermissis interpretationibus mysticis, moralibus, & tropologicis, litteralis sensus historicus, planus, & simplex videtur esse. Ut hi mortui quondam increduli, & diluvio oppressi, judicentur secundum hominum judicium, quod terribile solet esse, hoc est, subeant propter sua peccata judicium, & sententiam capitalem, hoc est mortis, quam tunc passi sunt, sive judicentur, quando homines erant, & ipsorum animæ unitæ erant corporibus, nunc vero in spiritu, id est quoad animas suas, fruantur vita illa, quæ sola apud DEUM est vita, scilicet vita æterna. Hic videtur sincerus, & verosimilior sensus utrorumque verborum Petri invicem collatorum, & ex eo sequitur multos ex illis fuisse mortuos ingratia, quia si semel verificatur, hominem mori in peccato gravi, non est immunis ab æterna damnatione, saltem secundum generalem providentiam; nam forte aliqui ex redivivis ab illo tempore, quo DEUS cæpit facere hæc miracula, in lethali mortui sunt, ut ex aliquibus historiis constare videtur.

XLVI. His consonant alia verba ejusdem Apostoli in prima, quam habuit concione; loquens enim de Christo ait: *Quem DEUS suscitavit solutis doloribus inferni* Hi dolores inferni nequeunt esse dolores, quos in inferno passus sit Christus, quidquid deliret Calvinus; Anima namque illa sacrosancta nullum passa est dolorem ab eo momento, in quo separata fuit à corpore, quia non sine causa dixit: *Consummatum est*, priusquam in cæca illa loca penetraret: Est itaque probabile, quod illi dolores sint, quos patiebantur animæ antiquæ (de Rege enim ingresso in carcerem ad solvendum incatenatos, & illis comitantibus egrediente propriè diceretur: Egreditur Rex solutis vinculis, & compedibus carceris, non utiquè suis, sed alienis) & quos dolores ex natura rei importat spes per multa sæcula dilata: scriptum est enim: *Spes, quæ differtur affligit animam*: Et forsan patiebantur animæ dictæ dolorem alium, nimirum anxietatem, & dubium de sua æterna salute quoad substantiam, vel saltem quoad longiorem durationem suæ captivitatis in ea mensura intensionis, atque frequentiæ, quam solet præscribere divina justitia: si enim sanctæ animæ Abrahæ, Moysis, Davidis, Jeremiæ, Martyrum Machabæorum, & insignium aliorum servorum DEI, patiebantur dilatationem spei, licet cum magna tranquillitate, conformitateq; cum divina voluntate, (hæc enim conformitas non tollit dolorem, ut patet in Christo patiente) quid mirum, quod illæ aliæ animæ, quæ incredulæ fuerant tempore Noë, & conversionem distulerant usque ad mortem, aliquid plus paterentur, nimirum aliquam anxietatem super sua æterna salute quoad substantiam, vel saltem quoad prolixiorem durationem. His ergo spiritibus qui in carcere erant, veniens spiritus Christi Domini prædicavit, seu annuntiavit felix, & prosperum nuntium suæ libertatis. Hi *in carne*, hoc est quando in carne erant, judicati sunt *secundum homines*, hoc est judicio humano, quatenus ad capitale supplicium damnati sunt, quæ damnatio omnium severissima est in foro humano, ut hac pœna jam jam imminente edocti resipiscerent, converterenturque ad DEUM, quamvis sero, & sic *vivant secundum DEUM* in spiritu: Horum denique spirituum, & etiam aliorum doloribus inferni solutis, egressus fuit è profundis illis locis sacrosanctus spiritus Christi Domini.

Act. 2. 24.

Prov. 13.

XLVII. Quamobrem, cum valdè rationalis, veroque simillima sit hæc in-

interpretatio trium textuum Apostoli Petri, eâ suppositâ Habemus: aliquos saltem ex malis illis, & incredulis hominibus, aut viris, aut fœminis, qui perierunt diluvio, salvos fuisse spiritu apud DEUM, & adæptos vitam æternam. Tunc sic: vel mortui sunt in peccato mortali; vel non: si hoc, habeo intentum, videlicet aliquos ex illis divina clementia vocatos, efficaciter resipuisse, tandemque mente, ac corde confessos (quandò cernere incipiebant universalem humani generis stragem) id quod postea scriptum fuit. *Pſal. 118.* *Justus es Domine, & rectum judicium tuum*: Nec mirum est, quod prolixum illud 2928. Annorum Purgatorium passæ sint animæ dictæ, cum sanctæ aliæ animæ, ut nuper dicebam, DEO fidelissimæ, multa, & multa sæcula, subierint longissimum illud Purgatorium, quod consistit in spe, *quæ differtur*: non enim juvabantur tunc animæ illæ priscæ sacrificio missæ, aut indulgentiis per modum suffragii; præterquamquod divinæ clementiæ erat mitigare aut interrumpere hanc afflictionem, ita ut valeret tunc etiam, quod peccata citrà condignum plectebantur, si primum. Rogo iterum; vel animæ illæ fuerunt protinus detrusæ in infernum damnatorum. *Conf. flor. in Defin.* Vel non: Hoc secundum est contrà generalem providentiam declaratam in Concilio Florentino, & quodnam grave fundamentum habent adversarii ad hanc exceptionem; scilicet, quod tot animæ separatæ in lethali à suis corporibus, ut ipsi arbitrantur, non præcipitarentur confestim in infernum damnatorum. Si primum, rogo deniquè, vel animæ illæ fuerunt libertatæ ab inferno, quin tunc ullum meritum elicuerint. Vel quia animæ Christi tunc prædicanti pœnitentiam ergà DEUM, & fidem ergà se, credidérunt aliquæ ex illis animabus olim damnatis, ut de Platone referunt quidam, nescio quo fundamento. Ambo sunt, non quidem contra absolutam DDI potentiam, sed contrà præsentem generalem providentiam juxtà quam nequè adultus ullus justificatur (coinquinatus enim hoc est non justificatus, *non intrabit in eam*, id est in gloriam) absquè propria dispositione, & cooperatione per Tridentinum, & juxta quam nemo post mortem valet quidquam operari conducens, ac disponens ad vitam æternam: *Venit nox, quando nemo potest operari*: Cum ergo ex una parte verba illa S. Petri simplicius, ac sine ulla speciali difficultate possint intelligi de annuntiatione felicitatis facta per animam Christi Domini animabus illis incarceratis, & quondam incredulis tempore Noë, quando ingruit diluvium; & ex alia parte, nisi dicamus illas fuisse à corporibus separatas absque lethali, necesse sit dicere, aut eas non fuisse tunc definitivè damnatas, sed post multa sæcula, & consequenter eas pendulas, & quasi suspensas fuisse quoad hoc cardinale punctum per sæcula illa; vel in infernum damnatorum detrusas meruisse per obedientiam, & docilitatem ad prædicationem animæ Christi liberari ab inferno, vel hanc libertatem obtinuisse absquè ulla ipsarum dispositione, ac cooperatione, quæ omnia exorbitant omninò à regulis præsentis providentiæ, & consequenter dici non debent absque positivo fundamento: Hac de causâ probabilius videtur, nonnullas ex eis animabus separatas fuisse à suis corporibus in statu gratiæ, atquè idcircò nonnullos ex illis hominibus, tum masculis, tum fœminis, ingruente jam diluvio ex corde fuisse ad DEUM conversos per contritionem perfectam.

XLVIII. Arguo demum, quia ut sæpè insinuavi, non evenit tunc, quod totum illud humanam genus periret in unico instanti, imo nec in uno die, imo neque in una hebdomada: Aquæ enim successivè irruebant, & successivè crescebant super terram per spatium dierum multorum, & successivè suffocabant gentem illam: Et quamquam perturbatio in maximo discrimine moriendi, quandò casus est repentinus instantaneus, &

non

non prævisus, avocare soleat hominem à cura animæ, & illum totum revocet ad tentandum media savandi vitam corporalem; at quandò casus est prævisus (ut fuit prævisum diluvium ab eis hominibus propter crebras admonitiones, & minas factas per Noë, quas jam in praxi cernebant) quando non est instantaneus, sed per aliquot dies durat, ut durarunt inundationes illæ, quando omnes tentati sunt modi evadendi periculum, & nullus jam suppetit, ut multis ex illis hominibus potuit contingere, qui ascendentes ad vertices arborum, domorum, ac montium, videbant jam non restare modum evitandi mortem corporis; Et demum quando hic casus non ingruit in duos, vel tres homines, sed in millionum milliones, qui moniti sunt de immortalitate animarum, ac de præmiis, & suppliciis manentibus homines post hanc vitam, ut plurimi saltem hominum illorum erant moniti saltem ex illis, qui vocabantur filii DEI; quando, inquam, hæc contingunt simul, verosimilius est, quod licet multi in rabiem, ac desperationem præcipitentur, multi alii abjectâ jam curâ vitæ temporalis, quam salvare nequeunt, dispositi sint, ut DEUS, qui dives est in misericordia, & qui non vult mortem impii, opituletur auxilio efficace, ut non jam timore servili, sed casto, & filiali convertantur ad ipsum DEUM sincere, atquè ex corde perfecto: Mirum perfectò esset, quod incipiente Jona, homine ignoto, & extero, prædicare in Ninive civitate magna: *Adhuc quadraginta dies, & Ninive subvertetur*, egerint Ninivitæ pœnitentiam, quæ ibi narratur, quamvis posteà relapsi sint, ut constat ex Nahum, *onus Ninive*; prædicante autem Noë homine tantæ integritatis, & venerationis apud multos ex priscis eis hominibus (non enim debemus dicere omnes penitus illos fuisse stipites, ac fungos) subversionem totius generis humani, & oculis suis cernente gente illa, subversionem jam incipientem, neminem prorsus cœlum suspexisse. Potuit sanè hoc contingere, sed probare debent adversarii contigisse defacto, & non sufficit ad probandum hoc factum generalis illa locutio capitis 6. Genesis jam explicata.

Jon. 3.

Nahum. 1.

XLIX. Hæ duæ sufficiunt modo Disputationes prò aliqua intelligentia, & cognitione priorum illorum sex dierum mundi, & priorum illorum hominum usque ad diluvium: Alia verò partim minoris, partim majoris momenti consulto prætermitto, quia passim obvia, præsertim apud Pererium, qui tribus tomis accuratissime disputat illa omnia. Quæ autem contigerunt ab egressu nostrorum parentum ex Arca post diluvium, usquè ad tempus præsens, historias implent sæculares, & Ecclesiasticas, & divinas: quæ contingent à præsente tempore usquè ad ultimum quadriennium mundi assequi nèquimus ex principiis naturalibus, aut supernaturalibus, nisi pauciissimis valdè, ac valdè obscure: quæ contingent in ultimo eo quadriennio, quodammodo nobis manifestare dignatus est Deus, tum in Evangelio, Ezechiele tum in Daniele, tum in Apocalypsi: atq; idcircò cæteris prætermissis post duas datas disputationes de principio mundi, alias duas de Finè, sive de ultimo quadriennio dabo.

DISPUTATIO TERTIA.

De ultimo mundi quadriennio.

QUandoquidem S. prospero aquitanico quondam S. Leonis Papæ secretario, ut ajunt, imo famosæ illius Epistolæ ad S. flavium contra Eutichetem authori, ut aliqui immerito putant, placuit scribere de dimidio temporum; scribere mihi placuit de temporis extremitatibus, nimirum de principio temporum, & de fine, tempora intermedia, per tot authores sacros, & sæculares exposita, tacitè præteriens: Undè post duas datas disputationes temporis à prima productione cœli, & terræ, usquè ad diluvium Noeticum, dabo ultimo quadriennio duas alias, hoc est rebus futuris ab initio Monarchiæ Antichristi usquè ad judicium universale, finalemquè sententiam ferendam ab eo; qui constitutus est à DEO judex vivorum, atque mortuorum: Dico ultimum *quadriennium*, quia ut constat ex scripturis infrà dandis, iniquus ille regnabit tres annos & dimidium, & imperium hocnon adipiscetur statim à nativitate, sed tempus aliquod insumet evellendo illos tres Dynastas, aut reges ex decem, in quibus tunc divisum erit antiquum Romanorum imperium, aliquod item accipiendo homagium ab aliis septem, qui eorum trium clade perterrefacti filio illi iniquitatis colla submittent juxtà Apoc. 17. 13. Apocalypsim: Rursus à morte ipsius usque ad judicium universale dies fere quinquaginta octo transibunt, ut postea eliciam ex scriptura, quo tempore exarsurum est contra fidelium congregationem horrendum illud novum bellũ Gog, & Magog, quod innuunt Ezech. c. 38. & 39. nec non Joannes cap. 20. Apocalypsis: & non post multum temporis ab eo bello, cælitus superato, prout in hoc loco scribit Joannes, futura est universalis resurrectio, quam immediatè subsequetur judicium universale. Horum eventuum calculus pendet ex incerto nobis initio Monarchiæ Antichristi: Unde calculus non est firmus, nisi conditionate. Hæc omnia quatuor saltem aut ferè quatuor annos complectentur: Atquè idcirco hæ duæ Disputationes, quas super ultimis temporibus mundi paro, super ultimo eo quadriennio erunt; quia vero arcana hæc futura non constant ex principiis Methaphysicis, aut physicis, sed dumtaxat ex doctrina sacra nobis data supernè per Prophetas, maximè per Ezechielem in duobus nuper dictis capitibus, & per Danielem capite 7. atquè 12. nec non per Joannem cap. 12. & 13. & 20. hi autem, sicut etiam alii authores Canonici, miscere solent sensum historicum, & allegoricum, nec non visionibus rerum materialium, tanquam hieroglyphycorum, seu imaginum depictarum divinitus in ipsorum phantasia, aut mente adepti fuerunt arcanas has notitias; hac de causa oportet præmittere valorem, & robur sensus allegorici scripturarum, atquè explicationem visionum rerum materialium, quas omnes ferè Prophetæ, & præsertim hi tres, toties ajunt se vidisse tanquam emblemata, sive hyeroglyphyca, aut rerum futurarum, aut præsentis alicujus doctrinæ, quam tunc à DEO accipiebant.

CAPUT I.

An, & quando sensus allegoricus, aut moralis, aut Anagogicus, Scripturarum tenendus sit fide divina.

§. Primus.

I. GRavis Theologus Perer in Disputatione de Antichristo contrà Anianum indefinitè pronuntiat de sensu mystico, *non* affert necessitatem credendi, sicut litteralis, sed probabilem quandam dumtaxat congruentiam. Dico tamen, sensus mysticus, allegoricus, Moralis, Anagogicus, multorum textuum scripturæ, multoties tenendus est fide divina quoad

quoad talitatem talis sensus & quo ad veritatẽ talis rei, non minus quã sensus litteralis, quem præseferunt apertè illa verba scripturæ; Non tamen contingit hoc semper. Hanc conclusionẽ multis exemplis firmavi Decade 1. num. 5.

Psal. 2. Profectò verba illa: *Filius meus es tu; Ego hodie genui te*, in sensu obvio, & quasi litterali, significant consubstantialitatem Christi, atquè excellentiam suprà omnes hyerarchias Angelicas;

ad Heb. 1. Ad id enim probandum producuntur à Paulo scribente: *Cui enim dixit aliquando Angelorum: Filius meus es tu &c.* in sensu autem allegorico significat summum sacerdotium, & resurrectionem Christi Domini; At non minus tenendum est fide divina, verba illa significare, & docere hæc duo, quam significare, at docere illud primum. Quoniam idem Paulus, qui adducit illa ad probandum primum, adducit etiam illa ad probandum hæc duo. Probatur. Disputans de Christi sacerdotio, inquit.

Ibid. c. 5. *Non semetipsum clarificavit, ut Pontifex fieret, sed qui locutus est ad eum; Filius meus &c.* Qui modus loquendi nè dicamus esse extrà rem, satis insinuat, verba illa Davidica docere Christum fuisse constitutum à DEO summum sacerdotem. Item annuntians

Act. 13. Christi resurrectionem inquit. *Resuscitans JEsum, sicut in Psalm. 2. scriptum est, filius meus es tu, ego hodie genui te.* Ergo fide tenendus est duplex hic sensus allegoricus eorum verborum, & consequenter fide tenendus est non solum quoad veritatem duarum illarum rerum, quæ utiquè ex scripturis aliis certò constant, verumetiam quoad talitatem sensus, quem illis Paulus dat. Similiter quod Abraham duos habuerit filios unum de Ancilla, & alterum de libera, sensus historicus est, & litteralis scripturæ; Quod autem futura essent duo testamenta, sensus est allegoricus illius scripturæ Genesis cap. 16. ubi fit mentio de conceptione, ac nativitate Ismaelis, & capit. 21. ubi narrantur conceptio, atquè nativitas Isaac; Atqui tam est de fide hoc allegoricum, quam illud historicum; Idem namq; Paulus docet hoc allegoricum fuisse præfiguratum illo historico: *Quæ sunt*, inquit, *per allegoriam dicta. Hæc enim sunt duo testamenta, unum quidem in monte Sina in servitutem generans &c.* Ergò hic sensus allegoricus fide certus est. *ad Gal. 4.*

II. Oseas dat tertium exemplum: quandò per eum dixit DEUS. *Ex Ægypto vocavi filium meum*; procul dubio locutus est in sensu litterali de ingressu filiorum Israel in Ægyptum ex speciali providentia DEI, vel de egressu eorundem indè ex robore speciali DEI, prout fuerit subjectum, suprà quod cadit illud *ex*; Et nihilominus fide certum est, quod allegoricus sensus illorum verborum fuit ingressus pueri JESU in Ægyptum: quippè Matthæus referens ingressum illum, & adducens illa verba osseæ ait. *Oseas 11.*

Ut adimpleretur quod dictum est à Domino per Prophetam dicentem, ex Ægypto vocavi filium meum. Si autem Prophetica illa verba non significarent allegoricè ingressum JESU in Ægyptum, ut illa adimplerentur, hoc est verificarentur, opus non esset eo ingressu. 4. Quando Jeremias dixit. *Matth. 2.*

Vox in Rhama audita est, ploratus, & ululatus multus Rachel plorans filios suos &c. *Jer. 31.*

certè locutus est in sensu litterali de transmigratione reliquiarum populi Israelitici in Babylonem, sed etiam locutus est allegoricè de carnificina Innocentium: Quoniam Matthæus narrans illam adjungit: *Tunc impletum est, quod dictum est per Jeremiam Prophetam: Vox in Rhama audita est.* Si autem Jeremias prædicens in sensu litterali transmigrationem illarum reliquiarum, non prædixisset quoquè allegoricè carnificinam illam, per hanc non esset adimpletum suum vaticinium. 5. quando Isaias loquens de Christo domino prædixit: *Verè languores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portavit*, loquens de re tunc futura tanquam de jam præterita, insinuandi ergò certitudinem futuritionis, ut vulgare est in scriptura, certè dicebat in sensu litterali percussum eum, & humiliatum à DEO, quem ibi depingit, sumpsisse suprà *Isai. 53.*

se

se nostrorum peccatorum pœnas, ut constat ex toto eo capite; Et fide insuper tenendum est, prædixisse etiam in sensu allegorico remedium corporale morborum etiam corporalium; quoniam Matthæus post narratos aliquos morbos corporales, à quibus homines liberaverat Christus, addit: *Ut adimpleretur, quod dictum est per Isaiam Prophetam dicentem. Ipse infirmitates nostras accepit, & ægrotationes nostras portavit*: Si autem verbis illis non prædixisset Isaias, fore, ut Christus mederetur morbis etiam corporalibus, horum curatio non esset necessaria, ut adimpleretur vaticinium illorum verborum.

III. 6. De Joanne Baptista dixit
Matth. 11. Dominus. *Si vultis recipere ipse est Elias*:
Et rursus. *Elias quidem jam venit, &*
Idem 17. *non cognoverunt eum; Tunc intellexerunt*
Eccles. 48. *discipuli &c.* Ubi satis innuit Christus verba Malachiæ, & Ecclesiastici, ad quæ alludit, & quæ nobis exponit, significasse in sensu quidem litterali Eliam Tesbitem; in Mystico autem, seu allegorico Baptistam. Denique omnia illa de agno paschali, de transitu maris rubri, de Manna, de Petra, consequente Israelitas, & aquam illis præbente &c. dictata sunt per spiritum sanctum in sensu historico ac litterali, & etiam in sensu morali, & mystico juxtà Paulum de illis scriben-
1. ad Cor. 10. tem. *Hæc autem in figura facta sunt nostri, ut non simus concupiscentes malorum.* Parco multis aliis, & ex his formo sic rationem: Quoties author Canonicus exponit aliqua scripturæ verba, certissima fide tenendum est verba hæc habere sensum quem illis dat author ille, atque significare id quod dicit significare. Authoribus quippe Canonicis non solum astitit DEUS, ut nihil falsum dicerent in historia aut doctrina morum, verum etiam, ut nullam falsam nobis darent expositionem scripturarum, docentes DEum tali, aut tali scriptura dixisse, quod revera non dixerat; alias authores Canonici impegissent in scopulum illum, quem falsis Prophetis exprobat verus
Ezech. 13. Propheta, quia dicebant Dominum esse locutum: *Cum dominus non sit locutus*, digniquè forent quibus diceremus cum Job: *Numquid Deus indiget mendacio vestro &c.* Atqui, ut constat ex dictis, *Job 13.* authores Canonici multoties exponunt scripturas in sensu allegorico, mystico, & morali; Ergò certissima fide tenendum est scripturas illas habere sensum illum, & DEUM illis verbis docuisse sensum illum allegoricum, & consequenter sensum hunc non esse voluntarium nobis, aut fundari in mera aliqua congruitate, sivè analogia rei dictæ in sensu litterali, cum re alia spectante ad fidem, mores, aut historiam, in materia novi testamenti; sed ex fide divina credendum esse, utpotè verè, ac simplicier intentum ab spiritu sancto verbis illis.

IV. Ratio quasi à priori est. Quamvis non sit de fide *proximè quoad nos*, nisi illud, quod evidentia aut certitudine morali nobis constat esse dictum à Deo, (excepto quando homo, superbiâ cupidine, aut alia diabolica passione correptus, avertit oculos mentis, nè attendat illi evidentiæ, & exercitè dicit, licet non signatè, *scientiam viarum tua-* *Job 21.* *rum nolumus*, ac quando nimio meru, vel protervia, vel cæcitate obrutus, non fidit evidentiæ dictæ, ita ut de eo verificetur, quod apud Marcum scriptum est. *Videntes videant, & non videant: & audientes audiant, & non intelligant*) eo, quia mera probabilitas revelationis divinæ quoad existentiam, vel quoad sensum, non sufficiat assensui fidei, ut latè exposui ac probavi tract. de fide Disp. 3. Veruntamen de fide est *absolutè, ac in se*, quidquid DEus ex intentione quod ab homine credatur, dicit per authores Canonicos, quoniam in hujusmodi expressionibus rerum ex intentione, quod alius assensum præbeat, stat quidditas locutionis, ut probavi Disp. 1. Dialecticæ n. 3. & 8. At unis, eisdemque numero verbis, maximè quando sermo est propheticus, & consequenter obscurus ex suo charactere, solitus fuit DEus dicere, ac docere, res inter se valdè diversas; alias spectantes v.g ad vetus testamentum, alias ad novum, alias spectantes ad unum ordinem rerum, alias ad alium. Quod & nos in nostris quotidianis colloquiis face-

facere solemus: Ergò eadem numero verba, scripturæ solita sunt facere de fide saltem *absolutè, ac in se*, res valdè diversas, alias spectantes ad historiam rei præteritæ, ac futuræ, & hic est sensus litteralis, alias pertinentes ad id, quod credere debemus, & hic est sensus allegoricus, alias ad id, quod agere debemus, & hic est sensus moralis, alias demum ad terminum, in quem tendimus, & hic est sensus Anagogicus, juxta priscos illos, & rudes versiculos, sed veraces: *Littera gesta docet, quid credas allegoria, moralis quid agas, quo tendas Anagogia*: Ergò si in tali, aut tali textu particulari contingat, quod spiritus sanctus per alium posteriorem authorem Canonicum docuerit ea verba præter hanc, aut illam rem spectantem, v. g. ad historiam in materia testamenti veteris, significare etiam rem aliam pertinentem ad historiam tunc futuram novi testamenti, vel pertinentem ad fidem, vel ad mores &c. tunc erit de fide, vel absolutè, & in se, vel proximè quoquè quoad nos (prout fuerit notitia, quam habemus de interpretatione illius Canonici authoris) verba illius textus non solum significare primum, sed insuper secundum, aut tertium: quippè, ut dixi, Authores hi non solum fuerunt adjuti per spiritus sancti assistentiam in eis, quæ docuerunt directè, sed etiam in eis, quæ docuerunt reflexè, id est adium fuerunt in sensu, quem dant scripturis aliis sanctis, atq; in earundem expositione.

V. Cæterum quandò verba scripturæ neq; per se formaliter, neq; ex communi usu, neq; ex interpretatione Authoris Canonici, neq; ex Ecclesiastica definitione, habent talem, aut talem sensum allegoricum mysticum, mortalem, aut Anagogicum: Tunc unquam, licet potuerit DEUS inspirare illa ex intentione docendi, & manifestandi suo tempore talem, aut talem allegoriam, & consequenter licet hæc possit esse de fide absolutè, ac in se; attamen non est de fide proximè quoad nos ob defectum evidentiæ, sivè certitudinis moralis de eo, quod DEus verbis illis, intenderit significare, ac docere talem allegoriam, moralitatem, Anagogiam &c. Cum non sit necessarium, quod DEus intenderit quibuslibet verbis scripturæ docere, aut significare omnes prorsus sensus, quos illa possunt habere, cum interdum habere possint ex se, atq; specicativè sumpta, sensus alicui eorum contrarios: neq; istud docuit Paulus, quandò scripsit: *Quæcumquè enim scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt*: Non enim dixit *ad omnem* prorsus doctrinam nostram, tanquam de fide, quam simpliciter accipere poteramus per illa verba quando intentam esse à DEO per illa verba, est moraliter evidens, aut ex sensu plano, obvio, & litterali eorum, aut ex interpretatione Canonica, vel Ecclesiastica infallibili juxta principia, quæ dedi Disput. illa 3. de fide, circà evidentiam prærequisitam ad autem fidei. Aliàs quoties interpretes dubitant de sensu alicujus textus, qui rationabiliter potest habere multos, & diversos sensus, omnes hi essent de fide proximè quoad nos: quæcumq; igitur ab authoribus Canonicis scripta sunt, ad nostram doctrinam, vel de fide, vel certam Theologicè vel probabilem scripta sunt, prout fuerint fundamenta, ex quibus elicitur doctrinam illam intentam esse per DEum mediis illis verbis: Undè fit, quod sensus allegoricus interdum est de fide nempe quando datus est per authorem Canonicum, ut sunt illi, quos supra produxi: Interdum est Theologicè certus, nempè quando negare illum, non foret hæresis formalis, esset tamen error: Interdum est simpliciter, & absolutè suscipiendus juxta rectam rationem, eo quod respuere illum esset incidere in saporem hæresis, scandali, temeritatis vè, juxtà explicationem harum omnium censurarum, ac qualitatum, quas exposui Disp. 1. de fide: Interdum denique est merè probabilis, utpote fundatus in mera quadam proportione Analogia, consonantia, sivè similitudine inter illud quod in sensu pervio, & litterali dicit ille textus, atquè id ad quod significandum in materia novi testamenti, sivè in materia morum, sive in materia nostræ beatitudinis, applicatur à Theologis: Et sic non sunt de fide proximè quoad nos,

ad Rom. 15.

nos, & nonunquam nec Theologicè certi, sed multoties merè probabiles, multi sensus allegorici, mystici, morales, atq; anagogici, quos ex scripturis & præsertim ex Cantico Canticorum elici solent; in quibus sensibus est simpliciter verum, & plerumq; est de fide, illud, quod enuntiatur juxta aliquos Authores, utpote erutum ex scripturis aliis; sed quod illud doceatur à DEO per illa Canticorum, v.g. *verba*, solet esse merè probabile; Et multoties quoquè non dicunt Theologi sensum illum misticum, allegoricum &c. intentum esse à DEO per illa verba; sed re significata per verba illa utuntur tanquam similitudine ad dandum doctrinas quasdam veras, quas dare volunt circa id, quod credere, agere, aut sperare debemus.

VI. Ratio, propter quam hæc protuli, est: pauca admodum narrat nobis scriptura in sensu historico, & litterali de ultimo illo mundi quadriennio, & de Antichristo, nempè illa sola, quæ scripta sunt à Matthæo, Joanne, & Paulo: scilicet quia nobis tunc non victuris brevis hæc, & non penitus aperta notitia sufficiebat. Pleraq; verò data sunt nobis sub allegoriis, vel cornuum, ut in Daniele, vel bestiarum, ut in Apocalypsi, vel Gog, & Magog, ut in Ezechiele, vel excidii Jerosolymitani ut in Matthæo, quas allegorias tunc capient fideles tunc victuri, qui cernentes illam rerum Catastrophem, & sacras scripturas recolentes, deprehendent sensum, qui latebat sub eis allegoriis, & fortius confirmabuntur in fide, experientes suo tempore fieri, quæ tot retro sæculis erant scripta, & aures admovebunt illi voci, quam non sine causa edidit Christus loquens de distante excidio mundi, occasione proximioris excidis Jerosolymitani: *Ecce prædixi vobis*, & in hoc excidio tanquam in typo, simbolo, emblemate, seu figura, exponens illud: sic nos videntes verificata in lege Evangelica multa illa, quæ sub allegoriis dicta fuerunt priscis hæbreis in lege veteri, quæq; illorum pleriq; non capiebant, magis radicamur in Evangelica doctrina: Inter illas prædictiones rerum futurarum in ultimo quadriennio, quæ merè allegoricè fuerint, ægrè assignabitur ulla, quæ fide tenenda sit, quia non apparet evidentia aut certitudo moralis fundata in expositione illarum facta per Authorem Canonicum, aut per infallibile oraculum Ecclesiæ de eo, quod sub eis, allegoriis significare intenderit spiritus sanctus tales, aut tales res in eo quadriennio futuras. Aliæ itaquè sunt merè probabiles, quia fundantur duntaxat in aliqua analogia, sive similitudine rerum, quas enuntiant in sensu litterali scripturæ, cum rebus, in eo quadriennio futuris. Aliæ sunt firmiores, & gradum attingunt certitudinis moralis (quamvis non illum, qui prærequiritur ad assensum fidei, non enim consistit in indivisibili certitudo moralis) ob ferè unanimem interpretationem Patrum: quod enim ab initio tradiderunt hi, & per horum manus descendit ad nostra usq; tempora circà doctrinam sacram, magnum habet fundamentum in scriptura, licet non accesserit Ecclesiastica definito: Aliæ demum videntur minus veræ, & quæ solum possunt accipi de rebus tunc futuris cum limitatione *sicut*, aut simili, hoc est *sicut* contingit hoc, & illud, quod docet hæc scriptura, *ita* contingit idem, aut simile in eo quadriennio &c. sicut Antiochus, qui propter suam impietatem fuit insignis figura Antichristi, tale, ac tale intulit crudele bellum Ecclesiæ hæbreæ; Ita Antichristus inferet Ecclesiæ Christianæ: sicut in excidio Jerosolymitano, sub cujus typo, & cujus occasione prædixit Christus multa de ultimo excidio mundi, irruerunt tales, & tales calamitates in homines, ita irruent in ultima mundi periodo. Hæc dixerim de scripturis illis, quæ allegoricè loqui videntur de ultimis eis temporibus; namquæ loquuntur in sensu litterali, tenendæ sunt procul dubio fide divina.

Matth. 24. Apoc. 11. 19. & 20. 2. ad Thess. cap. 2. Dan 7. Ezech. 38. & 39.

Matth. 24.

§. Se-

§. Secundus.

VII. Hinc fit, quod licet magna pars capitis undecimi Danielis, præcipuè à versu 21. ubi de quodam, tunc futuro, prædicitur ablaturum *juge sacrificium*, nimirum omnia sacrificia, quæ in templo Jerosolimitano offerebantur DEO, & inducturum *abominationem*, item, *quod DEum Patrum suorum non reputabit, & erit in concupiscentiis fœminarum, nec quemquam Deorum curabit* (unde Atheista erit) *qui adversum universa consurget. DEum autem Maozim* (hoc est bellum, & divitias,) *in loco suo venerabitur, & DEum, quem ignoraverunt Patres ejus, colet auro &c.* Licet inquam hæc omnia possint significare in sensu allegorico Antichristum, quatenus hic faciet hæc eadem, aut similia aut pejora; verumtamen neque hæc allegoria ad Antichristum est de fide, quandoquidem nullus author Canonicus interpretatus est hæc de Antichristo, sicut interpretati sunt textus suprà erutos ex veteri testamento de rebus spectantibus ad novum; neque pro hac allegoria est ulla Ecclesiastica definitio, aut unanimis omnium Patrum consensus; quippè graves Theologi intelligunt illa de solo Antiocho; nec demum caput illud undecimum procedit in sensu litterali, & obvio de Antichristo; quoniam, ut merito exponit illud Sanchez, sensus litteralis totius illius Colloquii Gabrielis cum Daniele est de Regibus Persarum successuris Cyro tunc regnanti, de Xerse infaustè invasuro Græciam, de Alexandro Regiones Orientales subjugaturo, de hujus Imperio in quatuor Regna dividendo, de duobus tunc præcipuis hujus divisionis membris, scilicet Ægypto, quam vocat Regnum Austri, cui Ptolomeus erat dominaturus, & de Syria, quam dicit Regnum Aquilonis, cui Antiochus dominaturus erat; Item de vario bello inter hos duos Reges, inter quos cum esset Judæa, multa utrinquè mala in hanc reduntatura erant; Et demum de scelerato Antiocho Epiphane, de quo dicit Gabriel ablaturum *juge sacrificium*, nempè cuncta sacrificia quotidiana, quæ soli DEO offerebantur, & causaturum *abominationem desolationis*, quem postea refert scriptura inquiens. *Misit Rex senem quendam Antiochum, qui compelleret Judæos, ut se transferrent à Patriis, & DEI legibus, contaminare etiam, quod in Jerosolymis erat templum, & cognominare Jovis Olympii*: Et quamvis Christus Dominus meminerit desolationis abominationem *à Daniele Propheta prædictam*, non videtur citare illam individuam, de qua Daniel loquitur capite illo undecimo, & quam induxit Antiochus tempore Macchabæorum, quoniam hæc jam præterierat, & Dominus loquitur de abominatione posteà futura: *Cum videritis abominationem &c.* Undè loqui videtur, aut de illa, de qua Daniel capite 12. v. 11. inducenda ab Antichristo, ut infrà dicam (quoniam bis locutus est Daniel de abominatione desolationis) aut de illa, quam inducturi erant Romani, quando venerunt ad Jerosolymam destruendam: Subjungit enim, *Tunc, qui in Judæa sunt, fugiant ad montes*, & eam abominationem desolationis vocat *dictam à Daniele*, vel quia fuit similis illi, quam Daniel prædixit inducendam ab Antiocho: & est vulgare in scriptura appingere idem nomen rebus specialiter inter se similibus, ut Decade 4. notavi. Vel potius, quia licet Daniel in sensu litterali prædixerit capite 11. abominationem desolationis inducendam ab Antiocho, sub illius figura, & typo prædixit quoque in sensu allegorico, eam, quæ per Romanos erat inducenda: Undè allegoria illorum verborum capitis undecimi ad abominationem per Romanos inducendam, fide tenenda erit, quippe quæ in hoc sensu exposita videtur à Christo, qui non sine causa immediatè addidit: *Qui legit intelligat*, quasi abominatio à Romanis inducenda prædicta fuisset non in sensu litterali, & obvio, sed in sensu arcano, & magis difficili, quia allegorico. De simili autem abomina-

2. Macch. 6.

Caspar. Sanch. in 11. Daniel.

tione desolationis stante in loco sancto inducenda per Antichristum, nec Danielem, nec Christum Dominum constat omninò certè, ac de fide, sed tantum probabiliter, locutos fuisse *in his locis*, in sensu litterali, aut allegorico: non ergò potest elici magnum argumentum ex capite illo undecimo (secus ex duodecimo) Danielis pro notitia rerum Antichristi, aut aliarum, quæ contingent in ultimo quadriennio mundi.

VIII. Potest verò elici ex capite 7. ejusdem Danielis, ubi multus est sermo de cornu parvo, ante quod evulsa sunt tria cornua illius bestiæ: Hoc enim cornu non potest significare allegoricè Antiochum prænominatum, ut contrà Porphyrium docent Hieronymus, & Theodoretus. Neq; potest alludere ad Mahumetem. Tum quia hic altè loquitur in suo Alcorano de Venerabili Eucharistia, hæc autem veneratio, & alta existimatio longè distat à Charactere Antichristi. Tum quia illi non competit, quod tempora, & leges *tradentur in manu ejus usque ad tempus, & tempora, & dimidium temporis*, id est per tres annos, & dimidium, ut communis est sensus Ecclesiæ fundatus in his verbis Danielis, & in aliis scripturis. Potentia namquè impostoris illius, nec non sectæ suæ, per annos multò plures duravit, ut constat, imò plures, quam 350. si ad hos extendas *tempus, & tempora, & dimidium temporis*, ut aliqui extendunt. Quamobrem licet nonnullæ proprietates cornu illius initio parvi, & deinceps potentissimi, benè cadant in Mahumetem, v. g. quod multi reges coram illo corruerint nempè Arabia tota, aquilonaris Africa, plurimæ Regiones Orientales &c. non aptantur illi omnes: significat ergò in sensu allegorico illud cornu Antichristum juxtà communem ab exordio Ecclesiæ intelligentiam: quod autem altè insedit Ecclesiæ à suo Exordio magnum habet in scriptura fundamentũ. Ergò ex hoc capite 7. Danielis eruere possumus notitiam de rebus Antichristi, & consequenter de rebus futuris in ultimo mundi quadrieñio. Possumus item ex capite duodecimo ejusdem Prophetæ, quoniam licet Chrysostomus doceat totum illud caput procedere de Antiocho; at quæ ibi dicuntur de resurrectione mortuorum, nimirum *alii in vitam æternam, & alii in opprobrium, ut videant semper*; Item de diebus *mille ducentis nonaginta*; & rursus de diebus *mille trecentis triginta quinque*, minimè videntur convenire posse tempori Antiochi, sed solius Antichristi temporibus, ut infrà explicabo: ubi advertè, bis, ut nuper dicebam, facere mentionem Danielem, seu potius Angelum apud Danielem, de ablatione jugis sacrificii, & de abominatione desolationis: Capitè nimirum undecimo v. 31. *Auferent juge sacrificium, & dabunt abominationem in desolationem*: & tunc est sermo de Antiocho, sivè de suis brachiis, & ministris, dicit enim, *brachia ex eo stabunt, & polluent sanctuarium fortitudinis, & auferent juge sacrificium &c.* ad hanc ablationem, & abominationem desolationis non alluſit Christus Dominus, ut paulò antè dicebam, quia hæc utpotè facta tempore Antiochi, erant jam præterita, & Christus loquitur tanquã de re futura: *Cum videritis abominationem desolationis &c.* facit iterum mentionem de ablatione jugis sacrificii, & desolatione cap. 12. v. 11. *A tempore cum ablatum fuerit juge sacrificium, & posita fuerit abominatio in desolationem, dies mille &c.* & tunc est sermo *historicus*, & simul *allegoricus*; sed respectivè, atquè distributione accommoda, tum de excidio Jerosolymitano, & ad hoc alluſit Dominus, quando prædixit Judæis tunc viventibus & victuris aliquandiu post: *Cum videritis abominationem desolationis, quæ dicta est à Daniele Propheta &c.* tum de excidio patrando per Antichristum, & suos sequaces: & ad hanc potuit etiam Dominus alludere dirigens verba illa non solum ad Judæos tunc præsentes, sed insuper occasione horum & sub typo suæ calamitatis, ad Christianos futuros in ultima periodo mundi, atquè idcircò etiam videtur adjunxisse ibidem: *Qui legit intelligat*, maxime cum paulo post addat: *statim autem post tribulationem dierum illorum sol*

Dan. 7. 25.

sol obscurabitur, quod est indicium se loqui de ultima quoquè mundi periodo: non enim est novum, quod unis eisdemquè verbis diversa diversis dicantur, maximè quando inter utraq; est magna similitudo in materia, de qua tunc est sermo.

IX. Quæ igitur Angelus docuit Danielem capite 11. v. 21. sunt Prophetica historia sævitiæ impietatis, atque superbiæ Antiochi Regis, & calamitatum Judæorum sub illo, nec non fortitudinis, atquè pietatis Machabæorum, quam illis verbis indicat: *Populus autem sciens DEum suum obtinebit, & faciet, & docti in populo docebunt plurimos, & ruent gladio &c.* item invidiæ, fraudulentiæ, atquè impietatis simonis, Menelai & aliorum nequam Judæorum, quos quasi digito ostendit, inquiens: *Impii in testamentum simulabunt fraudulenter*: Et rursus: *Applicabuntur eis*, nimirum viris sapientibus, *plurimi fraudulenter*; quæ omnia constabunt conferenti eam partem illius capitis cum libris Macchabæorum præsertim cum lib. 2. à capite 4. sunt item Prophetica alluſio sivè allegoria ad calamitates Judæis subeundas tempore excidii Jerosolymitani: Et hoc videtur omninò certum propter verba illa Domini: *Cum videritis abominationem desolationis quæ dicta est à Daniele Propheta*: Ergò desolatio, quam visuri erant aliqui ex illis Judæis, quos Christus tunc alloquebatur, dicta fuerat à Daniele; sed illi non erant visuri aliam, nisi quæ contigit tempore Romanorum: Ergò hæc dicta fuerat à Daniele, si non in sensu historico; at saltem in allegorico; verè tamen ac simpliciter dicta fuerat. Quæ autem Angelus docuit Danielem capite 12, omninò videntur Prophetica historia temporum Antichristi propter tres rationes: 1. tametsi verba, quibus incipit caput hoc. *In tempore autem illo consurget Michael Princeps Magnus, qui stat prò filiis populi tui*, videantur reflectere suprà tempus, de quo fuit sermo capitè immediatè antecedente, quod dixi fuisse tempus, non utiquè Antichristi, sed Antiochi, quo sæviente, credibile est, Michaelem consurrexisse specialiter prò illo populo, sicut juxta testimonium ejusdem Gabrielis consurrexit, quando agebatur de illius libertate à captivitate Babylonica: *Michael unus de principibus primis venit in auditorium meum.* Et rursus, *Nemo est adjutor meus in omnibus his, nisi Michael Princeps vester*: Licet inquam hoc ita sit, attamen cum nequeant cadere in tempora Antiochi illa, quæ immediate adjunguntur, nempe. *Veniet tempus, quale non fuit ab eo, ex quo gentes esse cœperunt usquè ad tempus illud*, quia licet magna fuerit illa persecutio Antiochi, ante illam passus est populus hæbreus alias forsan majores, v. g. persecutionem Pharaonis; Nabuchodonosoris, & aliorum, ut constat ex libris Judicum Atque Regum; & esse tribulationem magnam, qualis non fuit ab initio mundi, de sola ultima, quæ futura est tempore Antichristi dicitur à Domino: hac de causa licet nobis exponere initium illis capitis duodecimi Danielis. *In tempore autem illo*, per regulam satis notam, & frequentem in scripturis, præsertim Propheticis, & cujus meminit Gregorius, videlicet hos sanctos homines sæpissimè nectere verba non cum eis quæ tunc erant præsentia, aut proximè præcesserant, sed cum eis, quæ tunc in mente habebant; undè proveniunt repentini ei transitus ab aliis ad alias res, qui legunturin Prophetis, & quibus hallucinari solent, qui non legunt illos caute, ac pedetentim; agentes quippe de re spectante ad vetus testamentum transeunt de repente ad rem novi testamenti, cujus speciem sivè notitiam tunc DEUS infudit illis repente; Consule sanctium. At cum Danielis Angelus capite 11. fusè egisset de tribulatione imminente ab Antiocho Ecclesiæ hæbreæ, potuit, ut toties contigit aliis Prophetis, accipere aliquod lumen supernum de tribulatione imminente Ecclesiæ Christianæ ab Antichristo, cujus fuit imago, & typus Antiochus: Ergò licet capite 11. agat de Antiocho, & persecutione per

Dan. c. 10. v 21. & 22.

Matth. 24. 21.

Greg in Ezech. Hom. 2.

Caspar. Sanch in 4. Isai. 21.

eum movenda contrà Judæos, potuit repente transire ad Antichristum, atq; ad persecutionem quam hic ciebit; ita ut exordium illud, *in tempore autem illo*, non significet tempus, de quo immediatè ante fuerat locutus; sed tempus quod tunc ipsius menti obversabatur. Improportio namque cum temporibus Antiochi illorum, quæ ibidem adjungit, & magna proportio eorundem cum temporibus Antichristi, est rationale fundamentum ad hanc interpretationem simul cum consuetudine Prophetarum.

X. Ratio secunda est, quam suprà insinuavi: Esto, quod verba illa Pauli: *Acceperunt mulieres de resurrectione mortuos suos*, significent aliquos occisos ab Antiocho resurrexisse, qua resurrectione satisfactum videatur verbis illis capitis duodecimi Danielis. *Multi de his, qui dormiunt in terræ pulvere evigilabunt*; ast quomodo satisfit per illam resurrectionem verbis, quæ immediatè subjungit Daniel: *Alii in vitam æternam, & alii in opprobrium.* Num mortui illi, quos acceperunt mulieres de resurrectone, surrexerunt jam immortales ante Christi adventum, alii in cœlum, alii in infernum? Ergo Daniel in eo capite 12. non loquitur de resurrectione tempore Machabæorum, & Antiochi, sævientes in illos; sed de resurrectione ultima, & universali, in qua omnes resurgent immortales, alii ad æternam gloriam alii ad pœnam æternam: neq; obstat, quod dicat *multi* non verò *omnes evigilabunt*: quoniam, ut jam alibi adverti *multi* solet poni in scriptura prò *omnes*, v. g. *Pro multis effundetur* (hoc est *pro omnibus* juxtà Joannem) *in remissionem peccatorum.* Item *sicut enim per inobedientiam unius hominis peccatores constituti sunt multi*, hoc est, *omnes*: Et meritò, nam omnes vere sunt multi. Tertio quomodo aptantur temporibus Antiochi duo illi exacti, & præcisi numeri dierum, quos meminit Angelus in eo capite 12. Danielis, videlicet: *Dies mille ducenti nonaginta*, item *dies mille trecenti triginta quinque*; Temporibus autem Antichristi, atque Gog aptantur rationabiliter, ut infrà exponam. Stat ergo, quod licet caput undecimum Danielis sit super rebus Ecclesiæ hæbreæ in persecutione Antiochi, ex hac transivit Angelus ad res Ecclesiæ Christianæ in persecutione Antichristi, & Gog. Dices. Daniel dicit versu 8. illius capitis. *Ego Audivi, & non intellexi*, & cum explicationem poposcisset ab Angelo, hoc solum audivit responsum. *Vade Daniel, quia clausi sunt, signatique sermones usque ad præfinitum tempus*: Quo itaque jure præsumimus nos intelligere in verbis capitis illius, quæ Daniel non intellexit, & sermones aperire, quos Gabriel dixit clausos, & signatos esse? Respondeo, neque intelligimus, neque aperimus Prophetias scriptas in eo capite, ita ut certò, clare, resolute, atque evidenter pronuntiemus, quæ hactenus pronuntiavimus, & deinceps pronuntiabimus de capite illo; sed ita ut instructi per alias scripturas, divinitus etiam inspiratas posterioribus authoribus Canonicis, quos Daniel tunc non audierat, rationabiliter opinemur, aut suspicemur, prophetias illas significare, quæ eventura sunt Ecclesiæ Christianæ in ultima periodo mundi. Quod autem decursum temporum aliquatenus poterant comparari hæ notitiæ, non utique ex schola naturali, sed ex schola aliorum authorum Canonicorum sufficienter insinuavit ibidem Gabriel dicens Danieli. *Plurimi pertransibunt, & multiplex erit scientia.*

XI. Possumus 3. eruere notitiam super his rebus ex capitibus 12. 13. & 17. Apocalypsis; quoniam Emblemata illa mulieris amictæ sole, & mulieris fornicariæ, & Draconis, & bestiæ ascendentis è mari, quasi apertè significant res futuras in ultimo quadrienio mundi. Aliis namquè temporibus, & statibus, & personis, malè congruunt, ut infrà exponam. Possumus 4. elicere dictam notitiam ex capite 24. Matthæi (idem de aliis Evangelistis referentibus, quod Matthæus ibi) & ex capite 2. Epist. 2. ad Thessalonicenses, quoniam scripturæ hæ

2. Hebr. 11. 35.

Matth. 26. 28.

1. Joan. 2.

ad Rom. 5. 19.

hæ apertè loquuntur de Antichristo, & de ultima tribulatione Ecclesiæ. Ex prima autem epistola Joannis videtur, quod non possit acquiri magna notitia his super rebus ; quoniam licet loquatur de Antichristo, non videtur loqui de illo in se ipso sed de illo in suis membris, & in sui similibus. Possumus demum elicere argumenta ex capite 20. Apocalypsis, & ex capite 38. & 39. Ezechielis, quia ibi multus, & grandis sermo de quodam Gog, de quo fusius disputabo infra. ubi adverte, diversas fuisse Patrum sententias de homine hoc, quas legere potes apud sanctium ; Augustinus autem, & Hieronymus intellexerunt totam illam historiam Gog, & Magog in solo sensu mystico, sed non est cur non intelligatur in sensu quoque litterali, & historico. Imprimis ille Gog non potest esse Antiochus, ut benè advertit Rivera; quia licet Antiochus erat futurus respectu Ezechielis, quo multos annos fuit posterior; at non erat futurus respectu Joannis, quem sanè præcesserat per annos non paucos: Atqui Joannes loquitur de Gog, & Magog tanquam de futuris (& quidem esse illas easdem personas, quas meminit Ezechiel, constabit conferenti verba & sententias Joannis cum verbis, & sententiis Ezechielis) ait enim de Diabolo soluto : *Seducet gentes, quæ sunt super quatuor angulos terræ, Gog, & Magog, & congregabit eos in prælium &c.* Ergo. Deinde quia per Ezechielem sic loquitur DEUS ad Gog nondum natum. *In novissimo annorum venies* : Antiochus autem non venit in novissimo annorum, cum post illius adventum transierint multa sæcula : Ergò Antiochus non erat ille Gog. Deindè ille Gog potest esse allegoricè ; ut dicebam Decade 4. Sed non per identitatem Antichristus ipse. Primò, quia cum regnaturus sit tres Annos cum dimidio, veniet antè novissimum annorũ ; Gog autem signanter dicitur ab Ezechiele capite 38. venturus *in novissimo annorum*. 2. quia Antichristus erit colluvies omnium iniquitatum, & præsertim superbiæ contrà Christum, & DEUM, imo hæc diabolica superbia erit suus Character ; Gog autem, neque Joannes, neque Ezechiel objiciunt aliud crimen, nisi avaritiam, propter quam bellum movebit contrà sanctos ; hoc autem crimen licet gravissimum par non est elevationi contrà DEUM ipsum, & contrà Christum ejus, quam elevationem non præteriisset Ezechiel insumens duo capita in historia Prophetica super rebus Gog. 3. quia de Antichristo, & de suo præcursore Pseudopropheta dicit Joannes. *Viri missi sunt hi duo in stagnum ignis ardentis sulphure* : Atqui Gog dicit DEUS per Ezechielem, *Dabo Gog locum nominatum sepulchrum in Israel vallem viatorum ad orientem maris, quæ obstupescere facient prætereuntes* (sicut membra discerpta prædonum appensa juxtà vias publicas) *& sepelient ibi Gog &c.* Quæ sepultura, & sepulchrum, & individualia sepulchri signa non benè aptantur homini, qui missus est vivus in infernum; Ergò Antichristus non est ille Gog, de quo loquuntur Ezechiel, & Joannes. Objicies : Etiam Joannes scribit Gog, & Magog, cum suis devorandos esse igne cœlesti. *Descendit ignis à DEO de cœlo, & devorabit eos*, quod videtur non benè stare cum eo nominato sepulchro, & sepultura Gog in ea valle, & in eo individuo loco Orientali.

P. Sanh. in 38. Ezech.

P. Rivera in 20. Apocal. 1

Apoc. 20. 7.

Apoc. 19. 20.

Ezech. 39. 11

XII. Et ratio esse potest. Non solum vocatur sepulchrum illud, in quo actu est conditum cadaver, sed etiam illud, quod extruitur, ut in illo conderetur, si extaret, atque ut funeralis memoria personæ illius conservaretur. At fieri potest, quod Gog in ea individua valle viatorum descendat vivus in infernum, & quod homines ad memoriam, & terrorem extruant ibi fabricam sepulchralem illius, vacuam quidem cadavere, sed horrore plenam, ergò fieri potest, quod ille Gog, cujus sepulchrum meminit Ezechiel, sit ille idem, quem vivum missum fuisse in stagnum sulphuris scribit Joannes. Sed contrà

I, ta-

1. tametsi hoc utcumque valeret, si Ezechiel non dixisset aliud, quam *sepulchrum*, quandoquidem esse solent sepulchra vacua, non tamen valet addente Propheta, *sepelient ibi Gog*, nempè homines; quia horum verborum simplex, & planus sensus (à quo ut declinemus nil obligat) est Gog sepeliendum esse ibi more solito, quo alii mortui sepeliuntur, nempè condendo ibi sua cadavera: Nequit autem ibi sepeliri suum cadaver ab hominibus more solito, si ille vivus præcipitandus est in infernum. Ergo sepulchrum illud, de quo Ezechiel, non erit vacuum, & solum ad terrorem, sed sepulchrum verum, & reale continens corpus illius hominis. 2. aliud est, quod ignis devoret hominem, quatenus nil penitus restet hujus, quod sepeliri possit, nec caro, nec ossa, nec cineres ipsi: Aliud verò, quod hominem devoret, quatenus hunc occidat & carnem totam, aut ferè totam absumat, ita verò ut ossa restent, vel saltem cineres. Si Joannes diceret illud primum de Gog, subsistere poterat istud de sepulchro vacuo, & non valeret argumentum desumptum ex Ezechiele; At verba Joannis ad hoc non obligant, quoniam etiam dicit scriptura de duobus filiis Aaron: *Egressusque ignis à Domino devoravit eos*, & tamen restarunt cadavera illorum, *tulerunt eos, sicut jacebant vestitos lineis tunicis, & ejecerunt foras.* Rationabiliter potest intelligi, Joannes dicere tantum secundum, ut in nupero exemplo, atque ut dicit DEUS per Ezechielem loquens de hoc eodem Gog, cum suis lateronibus, *ignem, & sulphur pluam super eum, & super exercitum ejus.* Secundum, autem stat cum sepulchro continente saltem ossa, & cineres, quia de hoc eodem Gog, & ejus exercitu igne cœlesti pereunte dicitur capite sequente ejusdem Ezechielis vers. 11. *sepelient ibi Gog, & omnem multitudinem ejus, & vocabitur vallis multitudinis Gog, & sepelient eos Domus Israel cum mundent terram septem mensibus;* Sed secundum non stat cum eo, quod

Levit. 10.

Ezech. 38. 22.

vivus, id est corpore, & anima missus sit Gog in infernum. Denique Joannes loquens de igne vibrato supernè contra Gog, & contrà hujus milites non dicit *devoravit eum*, sed *devoravit eos*: Ergò cum veritate hujus sententiæ stat, quod ignis ille devoraturus exercitum Gog, hunc non devoret, ita ut nil penitus hujus restet sepeliendum. Constat itaquè Antichristum non esse illum Gog, quem Ezechiel, & Joannes meminerunt: Verumtamen quæ de illo prædicunt ambo, notitiam præbent de ultimis illis rebus mundi, quia ut infrà dicam, ille Gog *in novissimo annorum* venturus, erit ultimum instrumentum Diaboli, & ultimum telum, quod post Antichristum extinctum, contorquebit contra fideles ut ex capite 20. Apocalypsis eliciam.

XIII. Hinc minus verè scripsisse videtur Bellarminus semel, & iterum Hispanos militaturos in exercitu Antichristi: Tum quia prædictus Gog non constat quod sit verè, ac realiter per identitatem, quidquid sit de similitudine, Antichristus, de quo loquuntur scripturæ imo nuper probabam positivè, non esse: Et saltem est inter Patres res dubia, ut videre est apud sanctium supra citatũ: Ergo ex eo, quod hispani militaturi sint in exercitu Gog non infertur, ut vult hic author. illos militaturos in exercitu Antichristi. Tum quia fundamentum, cui innititur est, quod Ezechiel numerat in exercitu Antichristi Tubalem. Hoc autem non est verum quia verba sunt hæc. *Persa, Æthyopes, & Lybies cum eis omnes scutati, & galeati, Gomer, & universa agmina ejus, Domus Thogorma latera aquilonis & totum robur ejus, populique multi tecum*: Ubi audiuntur hic Hispani? Respondebis audiri initio capitis illius, ubi dicitur. *Pone faciem tuam contra Gog terram Magog principem capitis Mosoc, & Tubal*: Et idem legitur postea: At Hispani descendunt ex Thubale, ut constans est historia; Ergò: sed contra. Quod Gog futurus sit Princeps capitis, sivè

Regiæ

Regiæ urbis Thubalis, non probat continuò Tubalæos, sivè Hispanos militaturos in exercitu Gog. Turca enim est princeps capitis, seu Metropolis Ægypti, & Palestinæ, quin propterea in omni exercitu Turcæ sint Ægyptii, aut Palestini: Imperatores græci fuerunt aliquando Principes Romæ & tamen non semper in suis exercitibus habebant Romanos. Rex Hispaniæ est princeps capitis Imperii Mexicani & Imperii Peruani; Ergone in omni exercitu Regis Hispaniæ sunt Mexicani, aut Peruani: Idem respective dico de aliis Monarchis. Ratio autem est. Thubal non solum fundavit Iberiam occidentalem, nempè Hispaniam, sed etiam Orientalem, quæ vicina est caspio & Euxino: De hac loquitur Ezechiel; nam dicit. *Venies de loco tuo à lateribus Aquilonis, & populi multi tecum.* Iberia illa, non vero Hispania, est in lateribus Aquilonis. Nequè urget, quod Joannes dicat de Diabolo. *Seducet gentes, quæ sunt super quatuor angulos terræ Gog, & & Magog, & congregabit eos in prælium*: Cum enim globus terraqueus sit sphæricus, non est ratio, ut unus angulus ponatur in Hispania potius, quam alibi. Tum quia si hunc authorem movit authoritas Josephi (quem citat Hyeronimus initio capitis 38. Ezechielis: *Thubal*, id est, *Iberos, vel Hispanos*; addidisse poterat, quod addidit S. Doctor, *Hæbrei italos suspicantur.* Tum quia mens utriusque Prophetæ satis rationabiliter videtur, esse futuros in exercitu Gog milites ex toto, aut ferè toto orbe, arte, & ope diabolica congregatos, ut postea dicam: Quippè numerosissimus ille exercitus, quem arenæ maris comparat Joannes, constabit plurimis, & hetherogeneis gentibus. Hoc autem, quod fundamentum præbet ad dicendum semel, & iterum, & sanè tanquam rem exploratam, Hispanos potius, quam Italos, aut Gallos, aut Alemannos militaturos in exercitu Antichristi? Verum est, quod Thubal filius Japheti, & nepos Noë fundavit gentem Hispanam, ast non solam, sed magnam quoquè partem Europæ occidentalis, quam illius nepotes incoluerunt. Ergò multi alii populi Europæ possunt intelligi sub nomine Thubalis. Demum ad ostendendum Pontificem Romanum non esse Antichristum, ut perdoctus hic Theologus ostendit ibi, non videtur conducere multum, quod Hispani militaturi sint nec nè in exercitu Antichristi.

Idem ibid.

Apoc. 20.

CAPUT II.

Quid, & quotuplex sit visio Prophetica.

XIV. SOlenne est Prophetis sanctis, docere res futuras, ut tunc præsentes, aut præteritas, hoc est per species, atquè verba de præsenti, aut de præterito: Nempè, ut Decade 5. dixi, insinuandi ergo certitudinem, infallibilitatemquè suarum prædictionum: Quemadmodum enim ad præteritum non datur potentia, posito, quod *præteritum sit*, necesse prorsus est, quod præteritum sit, & similiter de *præsente*, posito quod præsens sit: Ita ad futurum non datur potentia impeditiva illius, posito *quod futurum sit*, quia etiam quodvis dum futurum est, necesse est, futurum esse. De qua re latius egi in prodromo Philosophico Disputatione de potentia, & actu: ubi diversitatem hac super re explicui inter potentiam ad præteritum, & potentiam ad futurum. Loquuntur itaque Prophetæ de futuris per verba de præterito sæpissimè ad significandum certitudinem illorum futurorum. Utuntur quoquè sæpissimè verbo *vidi* (licet interdum etiam verbo *audivi*) quia ut acutè notavit Augustinus exponens illud *de concupiscentia oculorum*, horum privilegium est, quod sua propria operatione, id est visione, explicemus res ad alios sensus pertinentes. *Utimur autem hoc verbo*, nempè videre, *etiam in cæteris sensibus cum eos ad cognoscendum intendimus*: Quo exemplis quotidianis explicato, concludit S. Doctor: *Ideoque*

Lib. 10. Conf. c. 35.

que generalis experientia sensuum concupiscentia, sicut dictum est, oculorum vocatur, quia videndi officium, in quo primatum oculi tenent, etiam cæteri sensus sibi de similitudine usurpant, cum aliquid cognitionis explorant. Cum ergo Daniel, & Joannes in capitibus citatis agentes de rebus in ultimo quadriennio mundi futuris, toties utantur verbo *vidi*, aut æquipollente, hac de causa exponere oportet, quid erat hæc visio? Quomodo fiebat? Quotuplex erat, aut esse poterat? In qua vitali operatione, & cujus potentiæ consistebat? Quomodo liberabatur à falsitate, atque deceptione, quandoquidem res illæ formaliter tales non erant ipsis præsentes: Sed cum gratia elevet, non autem corrumpat naturam, quia in hac, & per hanc operatur, idcirco ad intelligendum hoc negotium, quod divinæ gratiæ opus erat, meminisse oportet principiorum naturalium de visionibus materialibus, imaginariis, & pure mentalibus quæ fuse exposui Disp. I. de anima.

XV. Sit conclusio. Visiones Propheticæ ab aliqua ex tribus potentiis divinitus adjutis nasci potuerunt: Nimirum à potentia visiva materialiter oculis carneis, à potentia imaginativa, & à potentia intellectiva merè ac pure spirituali, ab unaquaquè illarum multifariam: ex his autem multis modis aliqui à solo DEO esse poterant, alii verò non pauci à ministerio etiam Angelorum, maximè quando Prophetæ dicunt, ut solent dicere: *Ostendit mihi Angelus*, aut quid simile Angelicum Ministerium innuens. Explicatur, & simul probatur conclusio. Interdum videbant Prophetæ res, quas se vidisse testantur, sivè illæ essent ex sua natura corporeæ, sive ex sua natura spirituales, verb. grat. quando dicunt, se vidisse DEUM, Angelos, animas mortuorum: Videbant inquam hæc oculis corporeis, quatenus DEUS per se solum, aut per Ministerium quoquè Angelorum spargebat, combinabat, ac figurabat in aëre tanquam in tabula, vel linteo, colores, aut veros, aut apparentes, aut quales dicuntur colores iridis, & nubium, formantes externam illam figuram humanam, aut belluinam, quam volebat (sicut formantur, & combinatur à causis naturalibus figuræ nubium, cometarum & arcus cœlestis) & hoc ex intentione, ut Propheta talem, aut talem rem intelligeret, quam figura eâ externâ docere illum volebat ipse DEUS: si enim Præfectus classis tempore prælii loquitur cum oculis militum, qui sunt in navibus distantibus, vario motu, & variis coloribus, & variis mutationibus vexillorum navis prætoriæ, & vexilla hæc elevando, deprimendo, flectendo, mutando, jubet, impellit, sistit, aut revocat cæteras naves: Item si pictor agere solet historicum rerum præteritarum, distribuendo, & combinando colores, ita ut oculis corporis repræsentent rem præteritam, aut valde distantem, adeò ut verè, ac realiter mentiretur, si colores, ac figuras distribueret, ut rem exprimeret aliter, ac ipse scit fuisse, & illud faceret ex intentione, ut alii rem sic intelligerent; si hæc inquam sic vulgò contingunt, cur non potuit DEUS agens historicum rerum futurarum, se solo, aut per Angelorum Ministerium, sic spargere, sic combinare, sic in aere colores veros, aut apparentes, & lucem, ut oculis carneis Prophetæ exprimerent figuram humanam pueri, juvenis senis, mulieris, draconis, aquilæ vituli &c. quam figuram viderent, non quidem omnes, sed illi soli, quos DEus volebat (& hoc ex intentione, ut illi soli scirent, quod Deus volebat) sicut non omnes, qui sunt in eadem regione vident iridem, aut hunc, vel illum colorem, & figuram nubium, sed illi soli, qui sunt in loco proportionato, nequè omnes, qui sunt inter se vicini intuentur reflexionem lucis ex aqua, vel speculo in eodem puncto obsistentis, sed illi soli, qui sunt in tali determinato puncto loci. Potuerunt ergo esse corporeis oculis factæ visiones illæ rerum spiritualium, aut materialium, quas se habuisse ajunt Prophetæ. Sine mendacio sanè dicimus nos vidisse hominem, equum, & si-

& similia, tametsi certum sit, quod nunquam videmus materiam primam, aut formam substantialem eorum, sed solum formam, & figuram externam, quæ à parte rei, nil est aliud, quàm individua illa combinatio lucis coloris, distantiæ, atq; indistantiæ partium illorum compositorum. Hæc quippe sola sunt objectum, oculorũ qui sanè non percipiunt ullam substantiam immediate in seipsa, sed sola accidentia dicta, & pauciſſima alia. Nullus profecto hostilis exercitus irruebat in Syros obsidentes Samariam, quando soluta obsidione fugerunt præcipites, quia *Dominus sonitum audiri fecerat in castris Syriæ curruum, & equorum, & exercitus plurimi*, producendo nimirum, aut per se solum, aut per Angelorum etiam ministerium, strepitum in aere similem, & æqualem ei, quem hostilis ille exercitus produceret. 4. Reg. 7.

XVI. Hæc visio corporea, & marialis Prophetarum (& idem respectivè dico de auditione, de quavis alia externa perceptione cujuspiam rei) quadrupliciter contingere potuit. 1. sicut modo dicebam *spargendo* per aerem, tanquam per linteum, aut tabulam, colores reales, vel apparentes, ut contingit in iride ac in nubibus, qui luci materiali admixti formarent eam figuram, qua tanquam parabola, non sermonis, sed operis, volebat DEUS insinuare homini mysterium aliquod, ita ut illa figura esset in loco proportionato, ut videretur à Propheta, & non ab alio, sicut reflexio lucis in tali determinato loco obsistentis, & non in alio: & reflexio vultus in tali determinata parte speculi, & non in alia, percipitur ab oculis, qui sunt indeterminato quodam loco, & non ab aliis, qui tametsi præsentes sint, non sunt in eo loco: Undè propter hanc etiam rationem potuit dicere Daniel loquens de quadam visione: *Vidi autem ego Daniel solus visionem; Porro viri, qui erant mecum non viderunt.* Dan. 10. II. *producendo* in oculis corporeis Prophetæ species visuales, quas produceret figura illa, quam DEUS vult à Propheta videri, quæ species, esto, quod nequeant nasci naturaliter, nisi ab illo proprio suo objecto, possunt supernaturaliter nasci à sola omnipotentia, & determinabunt tunc potentiam visivam ad faciendum visionem corporeã illius figuræ III. *Combinando* species alias visuales tunc existentes in oculis Prophetæ, sicut in speculis, in Cilindris, & in aliis similibus arte factis, combinari solent, ut exprimant determinatam quandam figuram, colores, & lineæ, temere ut videtur, sparsæ in tabula vicina. 4. *producendo* sine ullo hoc adminiculo cum sola potentia visiva Prophetæ visionem corpoream illius figuræ (est enim visio corporea actus vitalis, & juxta Philosophiam, quam dedi de anima Disp. 1. indispensabiliter debet procedere à principio, quo illa vivit) si enim species missa ab objecto determinat potentiam ad hanc visionem, cur non DEUS? Aliquo ex his quatuor modis potuit Adam videre oculis corporeis, & audire Deum imponentem præceptum, & vindicantem transgressionem: Jam enim notavi nos passim dici videre homines, animalia, solem &c. quin usquam viderimus quidditatem, & substantiam harum rerum, sed sola accidentia illa, & aliorum accidentium carentiam, ex quibus positivis, & ex quibus negativis constat figura externa rerum harum. Potest itaquè Adam dici vidisse oculis corporeis DEUM, non in seipso quoad substantiam, & sicut videtur à beatis, absit; sed quatenus vidit aliquo ex his quatuor modis externam quandam figuram (non ipsius DEI, qui figura caret, sed hominis, v. g. aut rei, quam DEUS sibi tunc elegit, sicut elegit, figuram columbæ super Jordanem ad significandum spiritum sanctum) plenam Majestate: sic Job potuit dicere DEO. *Nunc autem oculus meus videt te*, id est, video figuram venerandam, quam ut me doces in secreta schola cordis, eligis ad te ipsum manifestandum; sic de Abraham potuit dici: *Cumquè elevasset* Job. 42.

vasset oculos, apparuerunt ei tres viri, (hoc est tres Angeli, instrumenta misericordiæ erga Abraham, Sara, & Lot, atquè justitiæ contrà Sodomitas)
Gen. 18. *stantes propè eum, quos cum vidisset &c.* nempè mixtione colorum, lucis, & umbræ formarunt illi in aere vicino
Tob. 5. Abrahæ imagines trium virorum. Sic Raphael visus est Tobiæ, de quo scribitur. *Invenit juvenem splendidum, stantem, præcinctum, & quasi paratum ad ambulandum*, scilicet, talis juvenis figura, formata in aere tanquam in linteo ex apta commixtione lucis, & colorum, & umbræ obversata fuit oculis Tobiæ: sic Moyses cum fratre, nepotibus, &
Exod. 24. 10. septuaginta aliis: *viderunt DEUM Israël, & sub pedibus ejus, quasi opus lapidis saphirini, & quasi cælum cum serenum est.* Sic populus hæbreus videre potuit totum illum Angelicum apparatum, quo data fuit lex in
Ibid. 19. 18. fina: Sic Isaias potuit dicere: *Vidi Dominum sedentem super solium excelsum*, & videre potuit Seraphinos illos.
Isai. 6. Sic Jeremias, Ezechiel, Daniel, Zacharias, Joannes in Apocalysi, potuerunt oculis carneis videre omnia illa, quæ se vidisse ajunt. Sic demum puer Elisæi potuit videre mon-
4. Reg. 6. tem plenum. *Equorum, & curruum igneorum in circuitu Elisæi*, quatenus DEUS per se solum aut per Ministerium quoquè Angelorum, aut sparsit & combinavit in aere instar picturæ, colores, lucem, & umbras formantia figuras illarum rerum, quas se vidisse inquiunt: aut quatenus sine his produxit in oculis eorum species materiales harũ figurarũ quatenus speciesin oculisillis existentes combinavit (sicut in Cilindro combinantur lineæ temerè, ut videtur sparsæ per tabulam vicinam) ut exprimerent eas figuras; aut quatenus speciali applicatione omnipotentiæ voluit producere simul cum potentia visiva Prophetarum horum visiones figurarum objectorum illorum, quæ procul dubio produci possunt ab omnipotentia specialiter applicata, non minus quam producerentur à speciebus propriis eorum objectorum: etiam adverti sæpè quod in modo communi loquendi, *videre rem* non significat visionem substantiæ rei illius, sed visionem quorundam propriorum accidentium illius, videlicet visionem colorum, lucis, distantiæ ac indistantiæ partium, longitudinis, extensionis, profunditatis, & similium, quibus constat externa figura objecti, propria, si objectum sit capax illius, vel ascitia si sit incapax, sed electa ad significandum illud, sicut voces eliguntur ad significandum vocaliter objecta. Sic demum possunt contingere omnes visiones, quas homines habent, DEI, Christi infantis, aut è cruce pendentis, aut sub alia figura ab ea, quam realiter habet modo: Item beatissimæ Virginis, Angelorum, Dæmonum, animarum separatarum, hominum aliorum, valdè distantium, & rerum similium, aliquo nimirum ex dictis quatuor modis, quos tu potes, sed non ego sine nausea repetere.

XVII. Potuerunt 2. Prædictæ visiones fieri non *A*, & *in* oculis corporalibus; sed in potentia imaginativa & ab hac potentia: Tum quia DEUS, cui omnia serviunt, uti potest ad docendum homines, eisquè futura ostendendum, phantasiâ nostrâ, sivè potentiâ, non minus quàm Diabolus solet uti illa ad homines decipiendos. Tum quia constat ex somniis utriusquè Josephi, Pharaonis, Nabuchodonosoris, duorum aulicorum Pharaonis, Magorum, post adoratum Christum, & militis illius, quem tacitus auscultabat Gedeon: Item, ut constat ex promissione divina per Joelem: *Seniores vestri somnia somniabunt*: Ut inquam ex his constat, multa interdum loquitur DEUS cum hominibus per somnia, symbolis utiquè, imaginibus, atquè Phantasmatibus materialibus, ut illorum recordantes, dum postea evigilant, perfectè, vel imperfectè, quæ, & quomodo intelligi DEUS vult, intelligant. At inter dormiendum sola plerumque operatur Phantasia, seu imaginativa potentia;

Ergò

Ergò multa, quæ Prophetæ ajunt se vidisse, videre potuerunt sola imaginatione divinitus infusâ. Cumquè simus capaces utendi imaginatione non minus quandò vigilamus, quam dum dormimus; Inde est, quod potuerunt Prophetæ habere visiones illas imaginarias, tum vigilantes, tum dormientes, ac somniantes, non sanè somniis excitatis per Diabolum, aut per causas naturales, qualia sæpissime sunt nostra somnia; sed per DEUM solum, aut etiam per Ministerium Angelorum, qui profecto possunt operari in nostra Phantasia.

XVIII. Singuli ex his quatuor modis videndi per imaginationes, seu phanthasmata materialia, nimirum in somno, aut in vigila, à solo DEO, aut à DEO cum Angelico Ministerio potuerunt evenire quadrupliciter 1. quatenus Phantasiæ Prophetæ infunderentur novæ vivacioresquè species materiales, determinantes animam ut produceret in se imaginationes illarum rerum materialium, quas DEUS statuerat. Si enim sensationes externæ, v. g. Visio, auditio, dolor in quacumqè parte corporis, habent vim producendi has species, quibus determinatur anima, non aliò distracta, ad producendum in capite, & non in illa alia parte corporis, in qua fit sensatio, imaginationem illius rei, quæ sentitur, (sicut in una extremitate trabis longæ, sed benè sanæ, experimur tactum, quamvis ille sit levis, extremitatis alterius) multo melius Angeli, vel saltem DEUS solus pollet vi producendi hujusmodi species materiales, juvantes & determinantes imaginationem. 2. quatenus excitarentur, specialiterquè combinarentur species materiales, quas olim per sensus acquisierat Prophetа, sicut à Citharædo pulsante atque specialiter combinante fides Citharæ, speciales, quos vult, eduntur soni. Porrò imaginationes, non minus, quam cognitiones spirituales, relinquere solent species sui ipsarum, atquè objectorum suorum, quibus speciebus juvamur, ad memoriam materialem, sicut liquores relinquere solent in vasis odorem, & alias qualitates. Constat hoc ex memoria, quam solent habere bruta, quæ omnia expertia sunt rationis, nec non infantes, ebrii, dormientes atquè amentes, in quibus mens, & ratio non operantur. Videè Augustinum latè disputantem vim memoriæ, & supponentem has, quæ nunc vocantur *species*, ipse autem vocat *imagines*. 3. quatenus partim infunderentur Phantasiæ Prophetæ novæ species, partim excitarentur antiquæ, DEO nimirum efficaciter volente utrasque species simul cum Propheta producere in parte capitis (ubi fiunt imaginationes) illas, ad quas producendas aptæ natæ sunt: sic Musicus partim addendo fides novas, partim pulsando antiquas aliquas, partim parcendo aliis, speciales edit sonos. 4. quatenus præscindendo ab utriusque dictis speciebus, determinaretur supernè anima Prophetæ (in hoc quippe negotio non interveniebat libertas indifferentiæ immediata viri illius) ad producendum imaginationes illas, quas DEus volebat, & quibus tanquam symbolis materialibus, & pictura, volebat docere illum veritatem aliquam; singuli ex his quatuor modis visionum imaginarium imbibunt specialem providentiam; sed cum Propheticæ visiones sint ex providentia specialissima, mirum non est, quod in eis interveniat miraculum, seu extraordinaria providentia.

Lib. 10. Conf. c. 8.

XIX. Hujusmodi etiam, nempè imaginarii, ac materialis, potuerunt esse visiones Propheticæ supra memoratæ, scilicet, quas habuerunt Moyses, & comites sui de DEO, & de opere Saphirino, Isaias de Domino sedente super Thronum elevatum & de Seraphinis, & de passione Christi Domini, Jeremias de virga vigilante, seu amygdalina, de olla succensa, de Calathis, & Ezechiel de toto illo apparatu gloriæ DEI, &

Ezech. 37.

Dan. 7. Zach. 103. de Scheletris redivivis; Daniel de canuto antiquo dierum, de illis bestiis; & ventis super mare colluctantibus. Zacharias de Angelis illis ambulatoriis, de Myrtetis, de sacerdote JESU, & de Diabolo ei adversante, atquè de Angelo bono hunc corripiente. His namquè sanctis viris, aut dormientibus, aut vigilantibus potuit DEUS aliquo ex quatuor dictis modis producere sine concursu, vel cum concursu bonorum Angelorum, imaginationes materiales, ac corporeas (non quia componerentur ex carnibus, & ossibus, sed quia suaptè natura recipi debebant in quantitate, nempè in ea parte capitis, ubi operatur potentia imaginativa, ita ut absquè miraculo nequiret ab ea separari, juxtà ea, quæ scripsi Disputat. 4. Logicæ majoris, inter examinandum conceptum quantitatis, & corporis) imaginationes inquam adeò vivaces, & claras dictarum rerum, ut quasi oculis carneis, & forsan melius, viderent illas; Productiones autem dictarum imaginationum, cum essent productiones rerum extra DEUM, & aptarum ad manifestandum Prophetæ reflectentis supra illas per actum rationis, id, quod DEUS manifestare volebat, & in eâ mensura lucis, quam volebat, & cum insuper provenirent à DEO ex intentione, ut Propheta sciret illa Mysteria (nè dicamus hunc instar phanatici, aut abreptitii dixisse quæ penitus ignorabat) erant verè, ac simpliciter locutiones, ac revelationes divinæ, juxtà ea, quæ dixi Disputat. 1. Dialecticæ, & dignæ quibus Propheta adjutus principiis generaliter prærequisitis ad actum fidei supernaturalis, immobilem præstaret assensum, non quidem quoad existeniiam Physicam, realem & præsentem illorum objectorum, & illarum imaginum, ac figurarum, quarum imaginationes infundebat DEus Prophetæ (quandoquidem neque illæ figuræ existebant à parte rei, neque DEUS asserebat illa existere, nisi audeamus dicere propter visionem, v.g. Isaiæ, quod à parte rei DEUS sedebat, & à parte rei habeat pedes in se ipso, quos Seraphim tegerent, & quod hæc à parte rei habebant alas in se ipsis) sed quoad Mysteria illa, quæ imaginationum earum productione, tanquam cujusdam picturæ, emblematis, symboli, aut tanquam quodam *verbi gratia*, sivè parabola intentionali, significare volebat DEus.

XX. Sicut enim in Apologis, & parabolis, quibus referta sunt Evangelia, non asseruntur absolute illa, quæ asseri videntur: *Homo quidam nobilis abiit in Regionem longinquam. Homo quidam plantavit vineam*, &c. Sed solum asseritur, quod *sicut* in casu illo, qui fingitur, aut supponitur, contingeret hoc, aut illud, *ita* contingeret in illo, de quo tunc est sermo; sic imaginatione, ac etiam cognitione spirituali, de qua mox, talis, aut talis figuræ materialis externæ, non asseruit DEUS absolute Seraphinos, v.g. habuisse alas, aut DEUM ipsum habere pedes, ac sedere, aut fuisse in cœlo mulierem amictam sole, aut ascendisse è mari belluam cum tot capitibus coronatis, &c. Sed quod *sicut* in casu illo, qui supponitur, aut fingitur insinuandæ doctrinæ gratia (sunt enim illæ imaginationes, vel cognitiones picturæ parabolicæ intentionales, sicut sermones esse solent, parabolæ vocales) contingeret hoc, aut illud, *ita* continget in eo, quem tunc revelare vult DEUS: Idem dico quando DEUS faceret hominem oculis corporeis videre, quod nequè præsens, nequè in rerum natura est; quoniam per productionem illius visionis non intenderet DEUS, quod homo judicaret rem illam esse præsentem, aut tunc esse in rerum natura; sed quod judicaret rem illam futuram esse suo tempore, vel actu etiam esse, quamvis alibi cum magna Analogia, proportione, ac similitudine ad illud spectrum, quod tunc obversatur oculis corporalibus. Hujusmodi itaquè potuerunt etiam esse omnes visiones, quas in Apocalypsi ait Joannes se habuisse, scilicet materiales, & merè imaginariæ, sed specialiter pro-

provenientes à DEO aliquo ex dictis modis, v. g. tota illa visio de muliere amicta sole ac de Dracone, illius filio insidiante potuit esse mera quædam imaginatio (sed non quales sunt nostræ) magis vivax, & clara, quam si oculis corporis res illa videretur, specialissimè infusa per DEUM, id est, producta per omnipotentiam specialiter applicatam, & simul per animam ipsius sancti Evangelistæ (erat quippe actus suus vitalis imaginatio illa) in ea parte cerebri, ubi regnat, & operatur Phantasia: Producta inquam ex divina intentione, ut Joannes ipse, & fideles alii, quos DEUS volebat, intelligerent, fore, ut Ecclesiæ, verbi grat. contingant in ultimis temporibus ex diabolico furore omnia, quæ in illa intentionali parabola, seu symbolo, seu picturâ noscebat Joannes, & agnoscunt alii propter Joannis testimonium. Demum cum imaginationes, quæ ob suam vivacitatem superant vel saltem æquant visionem corporalem, possint contingere homine dormiente, vel vigilante, ut jam adverti; indè est quod imaginariæ visiones possunt octo modis contingere. Et rursus cum possint fieri à solo DEO, & etiam per Angelicam energiam cum concursu generali DEI, quia notum est præsertim ex Energumenis, quam vehemens dominium habeat natura Angelica in Phantasia, & imaginationibus naturæ humanæ; Inde est, quod visiones imaginariæ possunt esse sexdecim specierum, tum ratione principii à quo determinantur, tum ratione modorum, quibus fieri possunt.

XXI. Potuerunt 30. Visiones Propheticæ contingere altiore modo: Potuerunt namque esse merè intellectuales, mentales, spirituales (Angeli profecto, & animæ separatæ verè ac simpliciter vident DEUM, & non oculis corporeis, nequè merâ imaginatione) oriundæ ex potentia intellectiva humana, irresistibiliter determinata per DEUM ad producendum in se ipsa (utpotè actus vitales, & consequenter immanentes) cognitiones rerum illarum materialium, sivè symbolorum, aut figurarum corporearum, in quibus tanquam in speculo, seu ænigmate volebat DEUS Prophetam cognoscere, quod DEUS ipse decreverat revelare illi, & per illius medium aliis. Hujusmodi cognitiones vocarentur *visiones*, non quia essent actus intuitivi, sed quia intrà sphæram actuum abstractivorum essent evidentes, immediati, ac ex terminis, sicut sunt prima principia Methaphysica, v. g. quæ utpotæ universalia, non sunt intuitiva, & sicut dixi Disput. de Trinitate, posse hanc cognosci à viatore per lumen abstractivum, sed evidens immediatè: Et cum ad sacrarium mentis, ac rationis non liceat ulli Angelorum penetrare immediate, atque directè, quia in ea Arce solus DEUS dominatur, quoniam ipsi dictum fuit. *Tu nosti solus cor omnium filiorum hominum;* idcirco visiones id generis non potuerunt habere Prophetæ ab Angelis (nisi confugiamus gratis, & absquè ulla necessitate ad horum potentiam obedientialem) sed à solo DEO: Undè quando Propheta inquit. *Ostendit mihi Angelus*, aut quid simile, intelligendus est Angelus ostendisse oculis corporeis Prophetæ juxta dicta num. 16. vel ostendisse potentiæ imaginativæ juxta dicta num. 17. Hujusmodi fuisse videtur, nempè intellectualis, visio quam habuit Salolomon, quando postulavit à DEO *Cor docile*. Tunc enim liberè libertate indifferentiæ operatus videtur, cum scriptura addat: *Placuit ergò sermo coram Domino, quod Salomon postulasset hujuscemodi rem*: Libertas autem indifferentiæ, & meritum non possunt haberi ex solo actu Phantasiæ sine actu illo rationis: & quamvis ibidem dicatur. *Evigilavit Salomon, & intellexit, quod esset somnium*, id non probat fuisse somnium simile nostris, in quibus operatur sola imaginativa potentia, seu phantasia, & in quibus nos etiam deliberare, atquè meliora eligere solemus. Quoniam hæ nostræ de-

3. Reg. 8. 39

Ibid. cap. 3.

libe-

liberationes, & electiones in somno factæ, cum non sint tunc oriundæ ex ratione, quæ sopita, sivè ligata supponitur, sed ex mera potentia imaginativa, non multum dissimiles sunt in ratione deliberationis, atquè electionis ab eis, quas notare solemus in cane famelico, qui hinc panem allicientem, illinc virgam imminentem videt. Undè illæ deliberationes, ac electiones à nobis dormientibus factæ, nec laudi, nec vituperio vertuntur nobis formaliter in se ipsis, quidquid sit de occasione data à nobis vigilantibus, & consequenter neque placent, neque displicent DEO in genere morum; Electio autem illa per Salomonem facta placuit DEO formaliter in se ipsa, quia non dicitur placuisse DEO id quod Salomon prius fecerat, aut cogitaverat, sed *quod postulasset hujuscemodi rem*. Fuit itaquè somnium, quatenus fuit cognitio, deliberatio, electio, & oratio facta *ligatis, atquè quiescentibus sensibus*; non verò quasi, fuerit opus phantasiæ solius: Quamobrem fuit extasis, raptus, & excessus mentis.

XXII. Similis videtur visio illius lintei quatuor initiis submissi è cœlo in terram, quando Petrus disponebatur à DEO, ut Ethnicis Evangelizaret: Dicit namque scriptura. *Cecidit super eum mentis excessus.* Hæc autem vox *mens* simpliciter significat intellectum non autem phantasiam, & nil impedit, quod illum hic significet. Fuit itaquè extasis, raptus mentis, excessus rationis, sive intellectus; Et contigisse videtur, quatenus utens DEO alto suo Dominio suprà intellectum Petri, & absquè læsione libertatis (qua certè Petrus non fungebatur ad patiendum, aut non patiendum extasim illam, tametsi libertate fungeretur ad respuendum, vel admittendum internè illud prandium) determinavit irresistibiliter intellectum Petri, ut supernè adjutus produceret in se, tanquam actus vitales, & immanentes, apprehensiones pure spirituales, sed vivaces, exprimentes clarè, sicut si in oculis carneis videretur illud vas instar lintei demissi è cœlo, & exprimentes eam quadrupedum catervam, & exprimentes vocem illam. *Surge, occide, & manduca*; quæ apprehensiones (vel unica apprehensio) non erant capaces falsitatis, & paulo ante dicebam, etiamsi à parte rei non daretur tale vas, nec talis caterva bestiarum, quia utpote simplices apprehensiones nil affirmabant, aut negabant, erant tamen sufficientes, ut Petrus totam illã rem apprehendens, ac tunc non examinans illã paulatim, & maturè, neq; tunc memor illius præcepti, *Prædicate Evangelium omni creaturæ*, neq; adhuc plenè capiens doctrinam spiritus quem jam susceperat, & de quo dictum fuerat: *Ille vos docebit omnia, & suggeret vobis omnia, quæcumque dixero vobis*, (quia licet nesciat, *tarda molimina sancti spiritus gratia*, nihilo tamen minus in multis rebus vult procedere successivè, & quasi pedetentim, sicut voluit, quod mundana Machina non fieret instantanèe, sed spatio sex dierum, & sicut vult, quod globus terraqueus gradatim illuminetur, ac calefiat per solem) protinus responderet mente *absit Domine*: pura namque apprehensio, si sit clara, & vivax rei ut jam jam vicinæ, sufficit ad subitaneam fugam vel prosecutionem illius, ut experientia constat.

Actor. 10. 10

XXIII. Has visiones intellectuales, & purè spirituales, quale etiam potuere esse Propheticæ visiones, quas supra memini, maximè quando Prophetæ inquiunt. *Fui in spiritu, ostendit mihi in spiritu, raptus in spiritu*, aut quid simile, quadrupliciter potuit DEO inducere, sicut ante dicebam de visionibus imaginariis. I. infundendo intellectui humano novas vividas species intellectuales (quarum existentiam haud leviter suadent actus memoriæ spiritualis, quibus recordamur, nos cognovisse talem, aut talem rem: Unde sicut odor ex liquore, & vestigia ex pedibus, ità qualitates quædam intentionales relinqui videntur ex cognitionibus quondam habitis, quibus à reliquiis juva-

juvamur ad iterandum priores cognitiones.) Hæ autem species utpotè causæ necessariæ determinarent intellectum ad concipiendum eas cognitiones, & earum rerum, quas DEUS vellet: sicut, qui admovet ignem pulveri nitrato protinus excitat flammam. 2. excitando, & combinando species illas intelligibiles spirituales, quæ jam prius erant in mente Prophetæ, quæ species excitatæ, atque combinatæ per decretum specialiter applicativum omnipotentiæ, v.g. *Volo, quod talis hæc, & illa, & non alia species ex cognitionibus prius habitis, operentur modo sibi proportionato cum hoc intellectu*: quando autem diversa, sed proportionata principia operantur simul, effectus valdè diversus evadere solet. Sic contingit in pictura ubi colores hetherogenei, nec non lux, & umbra sapienter combinantur inter se: sic in metallo, quod dicitur Corinthiacum, sic in musica, ubi ex fidibus disparibus pulsatis diversas experimur melodias. 3. partim infundendo novas species intelligibiles spirituales, partim excitando, & combinando antiquas. 4. poterat DEUS se solo absque adminiculo ullarum specierum, determinare intellectum humanum ad producendum in se ipso cognitiones, quas DEUS ipse volebat, applicando specialiter omnipotentiam, ut suppleret defectum illius concausæ naturalis; sicut vir arrepta manu pueri, potest hanc determinare, ut in puero ipso imprimat signa, notas, & Charachteres, quos vir ipse voluerit. Porro specialis ea applicatio poterat consistere in decreto sic à nobis explicabili. *Volo cum hoc solo intellectu producere in eo cognitionem* A. verb. grat. quæ volitio est utiquè specialis omnipotentiæ applicatio, quoniam juxta ordinarium rerum cursum omnipotentia concurrit cum intellectu creato ad hujus cognitiones cum aliis comprincipiis, & non cum solo ipso intellectu; suppleretur autem illorum comprincipiorum absentia per omnipotentiam specialiter applicatam. Produceret igitur DEus prædictas cognitiones spirituales sine consortio prædictarum specierum spiritualium, quemadmodum sine adminiculo lucernæ aut solis potest producere lucem illuminantem aerem totum, ut prima die mundi produxit illam, *fiat lux & facta est lux* sine consortio solis, qui productus non fuit ante diem quartam: & quemadmodum sine adminiculo instrumenti musici potest causare in aere sonos, quos voluerit: Sic *sonitum audiri fecerat in castris Syriæ curruum, & equitum, & exercitus plurimi*, qui currus, & equites, atquè exercitus, non erant à parte rei ut jam dixi supra. Rursus cum mens, & ratio ex providentia speciali operari possit, non solum homine vigilante, sed etiam dormiente (& quidem somno formali, quatenus ligati sint sensus ob vapores moderatos ascendentes in cerebrum, & non somno merè æquivalente, qualis est extasis à DEO, vel à Diabolo, vel à natura inducta; quandoquidem non minus dominatur DEUS menti nostræ in uno, quam in altero casu) indè est, quod hæ visiones intellectuales octo etiam modis contingere possunt; nimirum homine vigilante, & homine dormiente.

XXIV. Hinc habes segetem copiosam modorum, quibus evenire possunt hominibus viatoribus visiones, & apparitiones DEI, humanitatis Christi sub hac vel illa figura, aut ætate, item Beatæ Matris, Angelorum, Dæmoniorum, animarum separatarum, nec non absentium rerum, & personarum, nimirum per visionem oculis corporeis factam, & per visionem, quæ fit opus phantasiæ, & per visionem quæ fit opus rationis; cum duplici tamen discrimine, quod visio hæc intellectualis ex solo DEO provenire potest immediatè, ac directè, qui solus sic dominatur menti nostræ: Duæ autem priores visiones possunt etiam provenire ab Angelis, qui etiam dominare solent oculis, & phantasiæ nostræ. Præterea visiones imaginariæ, ac intellectuales evenire

possunt homini vigilanti, & etiam dormienti somno formali; visio verò corporalis non nisi vigilanti, quippè oculi corporis operari non possunt dormiente homine, alias ligati, & sopiti essent sensus externi, quia hoc est hominem dormire, & simul non essent ligati, quandoquidem exercerent suum proprium Ministerium, quod est *videre*. Habes demum multos alios modos, quibus fieri potuerunt visiones, quibus Danieli, & Joanni manifesta fuerunt per figuras corporales, emblemata, & parabolas (non sermonis, sed operis) futura illa horrida in ultimo Ecclesiæ, ac mundi quadriennio; nimirum per visiones intellectuales, quatenus alterutri prophetæ, aut dormienti, aut vigilanti potuit DEUS infundere aliquo ex nuper dictis modis simplices, ac vividas apprehensiones intellectuales illarum figurarum corporearum, quas se vidisse ajunt ambo, & quibus res tunc futuras DEUS significare volebat: Ex illis vividis apprehensionibus, tanquam ex oculari intuitione nasci poterat judicium, non de actuali, ac præsenti existentia earum figurarum corporearum, quas se vidisse ajunt; est & enim falsum, & DEUS non asserebat actualem illam, & præsentem existentiam, sed de illis aliis mysteriis, quæ illis symbolis, figuris, hyeroglificisquè volebat DEUS significare: quod totum sufficienter explicatum est suprà, tum exemplo hominis utentis absque umbra mendacii, aut deceptionis, parabolis, sive apologis, quibus enuntiare videtur id, quod verè non est; re tamen vera hoc non enuntiat, sed rem, de qua est sermo, esse, aut futuram fore, *sicut* rem, quæ sub parabola affirmatur: Tum etiam exemplo hominis pennello, vel acu, per opus phrigium exprimentis res præteritas, aut futuras coram alio intelligente, quid figuris illis significetur. Quamobrem ut rudi nostra minerva explicemus rem hanc, sic DEUS se gerebat cum his Prophetis, quasi eis diceret, *Considera vivaciter* (& infundebat illi vivacem apprehensionem spiritualem) *talem, aut talem figuram corporalem*, verb. gr. bestiam cum tot capitibus, & cornuis, mulierem amictam sole, Draconem deturbantem stellas &c. *Sic continget respective suo tempore in mundo, & in Ecclesia.*

CAPUT III.

Exponitur, & abjicitur Millenariorum sententia.

XXV. PRiusquam ultimum evolvam quadriennium, quod est scopus harum duarum Disputationum, sententiam hanc, quæ magnum quondam plausum habuit, & modò communi consensu rejecta est, expendere volui. Habuit graves Patronos, quos legere potes apud Ri- veram. Sufficiant modo duo. Unus est Justinus, inquiens. *Apud nos etiam vir quidam Joannes nomine, Christi Apostolorum unus, mille annos commoraturos Jerosolymis eos, qui Christo crediderint, revelatione, quæ ei facta est, spiritu prophetico prædixit, deinde generalem, & ut paucis absolvam, aeternam omnium resurrectionem futuram, & judicium.* Alter est Lactantius, qui fusius rem totam exponit, & addit quod non debuerat: nimirum fanctam tunc procreandam sobolem: cum aperte responderit Christus Dominus Saducæis, quod in resurrectione, neque nubent, neque nubentur, sed erunt sicut Angeli DEI. Igitur fundamentum priscorum illorum Theologorum (solvendum utique, sed non spernendum) est caput 20. Apocalypsis, ubi Joannes videtur docere conceptis verbis illos mille Annos fælicitatis sanctorum in terris cum Christo, & postea invadendos ab immani quodam Tyranno Gog, post cujus necem, mortuos omnes resurrecturos, & tunc peragendum judicium universale, definitamque promulgandam sententiam contra reprobos, & in favorem prædestinatorum.

XXVI.

XXVI. Inhærentes ergò, ut sibi videbantur prædicto capiti 20. Apocalypsis (quod præsens hic debes habere si rem hanc intelligere velis) ajebant: quemadmodum DEUS non ex ulla necessitate, sed propter fines, quos nobis revelare non tenetur, expēdit sex dies in creatione hujus mundanæ fabricæ, & die septimo Sabatizavit, hoc est quievit ab opere quod patrarat. Ita non propter ullam aliam antecedentem necessitatem, sed merè quia vult ob fines sibi notos, conservabit hanc, quam oculis cernimus machinam mundanam sex millia annorum, quoniam mille anni ante ipsum sunt, tanquam Dies hesterna, quæ præteriit; Undè singulis diebus creationis respondet millenarium annorum conservationis: sub finem sexti millenarii evenient illa omnia, quæ Dominus dicit per Matthæum, & respectivè per alios Evangelistas, adjungens cum Epithasi *ecce prædixi vobis.* Tunc audientur prælia, & opiniones præliorum, quæ Antichristus ciebit, donec universalem obtineat Monarchiam, subjugatis decem illis principibus, quos inveniet in regionibus, quæ olim componebant Romanum Imperium, tribus per vim, septem per metum juxtà Danielem. Tunc tribulatio illa magna, *qualis non fuit ab initio mundi usquè modo, neque fiet,* quia licet post illam immineat gravissima alia, nempè quam *in novissimo annorum* juxta Ezechielem excitabit Gog; Ast brevissimum tempus hæc durabit juxtà eundem, cui consonat Apocalypsis. Tunc veniet consumatio, non quidem ultima, & universalis totius generis humani, quia Joannes in eo capite 20. discernit duas resurrectiones, unam sanctorum, alteram omnium omninò hominum (post narratam enim resurrectionem sanctorum, de qua dicit. *Hæc est resurrectio prima*, ponit postea resurrectionem universalem *dedit mare mortuos, qui in eo erant, & mors, & infernus dederunt mortuos suos &c.*) Ergò supponit duas mortes, seu consumationes. Erit ergo tunc consumatio, quatenus pauciſſimi restabunt mortales, sicut de populo hæbreo ad paucitatem redacto dicit Isaias. *Consummatio abbreviata justitiam inundabit*, ex quibus miseris reliquiis propagetur per mille annorum spatium numerosissimus ille populus spargendus per totum orbem, ex quo componatur exercitus Gog innumerabilis juxta idem caput Joannis, & juxta 38. & 39. Ezechielis. Tunc ebulliet mundus Pseudoprophetis, & eminebit maxime ille Antichristi præcursor, de quo Joannes. Tunc continget Catastrophe illa solis, lunæ, & stellarum. Tunc apparebit signum filii hominis venientis, non ad ultimum universale judicium omnium hominum propter nuper dicta ex capite 20. Apocalypsis, sed ad debellandum Antichristum, *quem interficiet spiritu oris sui, & destruet illustratione adventus sui.* Tunc plangent omnes tribus terræ, nimirum, quæ secutæ sunt Antichristum, cujus præcursor *fecit terram, & habitantes in ea adorare bestiam primam*, scilicet Antichristum ipsum. Deniquè scripturas omnes loquentes indefinitè de fine mundi, atque de Christi adventu revocasse videntur prædicti authores ad caput hoc vigesimum Apocalypsis, & per hoc illas explicasse, nimirum inlelligebant illos de adventu Christi non ad homines omnes tunc judicandos, sed ad occidendum Antichristum, vivumquè, id est corpore, & anima detrudendum in infernum cum suo præcursore: *Viri missi sunt hi duo in stagnum ignis ardentis &c.* Nec non ad regnandum, cum sanctis animabus, reunitis corporibus suis in illa eadem urbe, in qua fuit percussus, humiliatus, & occisus, sicut modo regnat in cœlis cum animabus eisdem separatis à corporibus. Sanè in eo capite 24. Matth. interrogatus fuerat Christus à discipulis indefinitè de Adventu suo præscindendo ab Adventu ad regnandum, & ab Adventu ad judicium universale (quæ distinctio posteà fuit Joanni revelata) & Christus respondit de solo primo.

Matth. 24. 25. *Dan. 7.* *Ezech. 38.* *Apoc. 20.* *Ibid. v. 5.* *Ibid. v. 13.* *Isai. 10.* *Apoc. c. 13. v. 11.* *2. ad Thess. cap. 2.* *Apoc. 13.* *Apoc. 19.*

XXVII. Purgato orbe ab illa fæce Antichristi & sequacium suorum, quia ut ibidem scribit Joannes *cæteri occisi sunt in gladio sedentis super equum qui procedit ab ore ipsius*, sicut Ananias, & Saphira occisi sunt gladio procedente ex ore Petri, hoc est audiendo verba penetrabiliora omni gladio ancipiti, incipiet regnare Christus Jerosolymis cum suis. Etenim resurgent tunc omnes sancti saltem novi testamenti; tum quia Joannes dicit, quod post incarceratum Diabolum, qui paulo ante sævierat per Antichristum, ad annos mille, *ut non seducat amplius gentes, donec consumentur mille anni, & post hoc oportet illum solvi modico tempore*, nempè quo regnaturus est ille Gog ultimus sanctorum hostis, de quo multa, & gravissima Ezechiel, pauca, sed non minus gravia scribit Joannes in hoc capite 20. Post hæc inquam vidit *animas decollatorum propter testimonium JESU, & propter verbum DEI* (en martyres) *& qui non adoraverunt bestiam, neque imaginem ejus, nec acceperunt characterem ejus in frontibus, aut in manibus suis* (en sanctos confessores, quorum vita est etiam continuatum martyrium) *& vixerunt, & regnarunt cum Christo mille annis. Cæteri mortuuorum non vixerunt*, (ergo illa non erit resurrectio universalis omnium hominum) *donec consumentur mille anni. Hæc est resurrectio prima.* Ergo futura est alia, nimirum quam postea meminit ibidem versu 12. *Et vidi mortuos magnos, & pusillos &c.* Tum quia Daniel loquens de cornu illo, quod erat hieroglyphicus Antichristi, inquit sibi dictum superne: *Judicium sedebit ut auferatur potentia, & conteratur, & dispereat usque in finem. Regnum autem, & potestas, & magnitudo regni, quæ est subter omne cœlum, detur populo sanctorum altissimi*: Ergò juxtà horum verborum contextum, regnum auferendum Antichristo, dandum est populo sanctorum altissimi; sed regnum, quod Antichristo est auferendum, est regnum in terris, seu *subter omne cœlum*: Ergò populus sanctorum regnaturus est in terris, & quidem per annos mille, ut explicat Joannes. Ex cunctis itaquè hominibus ab orbe condito mortuis, soli sancti ei, quos Joannes innuit, resurgent tunc: Quod & Christus Dominus innuisse videtur in eo capite 24. Matthæi, ubi loquens de resurrectione solos justos meminit, inquiens, *mittet Angelos suos cum tuba & voce magna, congregabit electos ejus à quatuor ventis*, non dicit *omnes homines*, sed *electos*, & hæc vox, & tuba, est illa, quam Paulus explicat inquiens. *Ipse Dominus in jussu, & in voce Archangeli, in tuba DEI descendet de cælo, & mortui, qui in Christo sunt resurgent primi* (id est qui jam sunt cum Christo) *deinde nos, qui vivimus, qui relinquimur simul rapiemur cum illis in nubibus obviam Christo in aera*, ubi loqui videtur nomine illorum ultimorum sanctorum, qui in mundo hoc erunt in adventu hoc Christi ad regnandum in terra, in qua negatus, & occisus fuit. Atquè hoc idem insinuasse videtur, quando loquens de suo secundo adventu, & de fine mundi dixit in illo eodem capite 24. Matthæi. *Ubicumquè fuerit corpus, illic congregabuntur, & aquilæ*, quatenus sancti tunc futuri, qui Antichristus manus evaserunt post aliorum sanctorum resurrectionem, qui jam erant cum Christo, divino raptu moti congregabuntur ad regnandum etiam in terra, ubi afflicti fuerant cum Christo, sicut in æternum regnabunt in cœlo.

Ibid. c. 20.

Ezech. c. 38. 39.

Dan. 7. 26.

XXVIII. Post sex mille itaquè annos à creatione mundi, & post facinora Antichristi, incipiet in terra etiam, & non tantum in cœlo, Regnum sanctorum cum Christo juxta priscos illos authores, & regnabunt vivi in corpore, & anima Jerosolymis, hoc est, qui olim mortui fuerant, atque etiam erant cum Christo, resurgent: Qui autem tunc erunt vivi, aut morientur ad tempus brevissimum, ut communi legi satisfaciant, aut non morientur, sed vivi prout erunt rapientur in aëra obviam Christo Domino, & ad corpus congregabuntur sua membra nunquam moritura,

tura, ut aliqui putant, quorum memini Decade 1. sed quæres 1. quam vitam agent? Respondetur quo ad naturalia, & physica immortales erunt, & incorruptibiles, quia *in his secunda mors non habet potestatem*, inquit Joannes: Undè sancti illi tunc erunt in terris sicut in æternum futuri sunt in cœlis, nullo indigentes alimento, aut sicut per tot sæcula fuerunt Henoch, & Elias in terra. Quoad Moralia verò, & actiones humanas *erunt sacerdotes DEI, & Christi, & regnabunt cum illo mille annis*, subjungit Joannes ibidem. Quapropter vitam habebunt sacerdotalem occupatam totam in laudibus, & cultu DEI, & Christi (quod est Ministerium commune viris, & fœminis, sacerdotibus, & laicis) non autem occupatam in sacrificiis faciendis, quoniam post abrogatam Mosaycam legem non est aliud sacrificium presbè loquendo, nisi sacrificium corporis Christi, hoc autem offerre non licet, nisi eis, qui ordinem sacerdotalem legitimè susceperunt, & sanctæ fœminæ tunc redivivæ, sanctiquè laici non suscipient hunc ordinem, & consequenter non erunt sacerdotes DEI, & Christi, quatenus sacrificent verè, ac simpliciter, sed quatenus alteri parti vitæ sacerdotalis vacent, nimirum cultui, & laudibus divinis. Imo nequè sancti sacerdotes redivivi sacrificabunt Corpus Christi (quidquid sit de illis, qui non mortui regnabunt etiam cum Christo tunc) sicut nec per totam æternitatem sacrificabunt posteà in cœlis, nam quamvis in æternum conservent sacerdotalem characterem, potestas consecrandi, sicut etiam potestas absolvendi, non conceditur, nisi pro hac vita mortali, est enim Character distinctus, & inconnexus respectu illarum potestatum, ut proximarum, & expeditarum, quia Character ille est qualitas quædam supernaturalis impressa animæ; potestates autem illæ consistunt saltem inadæquate in decreto efficace DEI ponendi effecta illa ad præsentiam talium, & talium actionum sacerdotalium.

Apoc. 20.

XXIX. Quæres 2. super quos regnabunt? ubi regnabunt? quodnam erit suum regnum, seu in quonam consistet? Respondetur; regnabunt super progenitores innumerabilis illius exercitus, qui ex quatuor partibus mundi, ut dicit Joannes conglobandus est, & quidem in annorum novissimo, ut dicit Ezechiel. *Cum consummati fuerint mille anni*, scribit Joannes, *solvetur Satanas de carcere suo, & exibit, & seducet gentes, quæ sunt super quatuor angulos terræ Gog, & Magog, & congregabit eos in prælium, quorum numerus est, sicut arena maris.* Hi rebelles volent excutere jugum sanctorum, & ut colligitur ex Ezechiele, putabunt illos esse locupletissimos, ac simul inermes: Certè non creabuntur de repente, sed descendent ex Adamo per miseras illas reliquias, quæ supervixerint Antichristo, spatioquè illorum mille annorum, immensè multiplicabuntur, sicut in prima ætate mundi spatio 1656. annorum ex solo Adam, & Eva, immensè multiplicatum fuit genus humanum, ut dicebam Disput. 1. super hos inquam regnabunt in terris sancti illi: Regnabunt autem Hierosolymis, id est, hæc erit urbs regia, & capitalis illius regni Christi, & sanctorum, quoniam de illis rebellibus ibidem scribit Joannes: *Circuibunt castra sanctorum, & civitatem dilectam*: Civitas autem dilecta per antonomasiam videtur Hierusalem etiam terrestris, quia eam elegit Dominus ad docendum, & salvandum hominum genus, & quia ipsius amplitudinem, & puchritudinem tunc futuram, sigillatim describit Joannes tum alibi, tum capite 21. *Vidi sanctam civitatem Jerusalem novam descendentem de cœlo*, ubi innuere videtur Jerusalem ipsam terrestrem (siquidem cœlum non descendit de cœlo) & gloriosũ illum sanctorum cœtum, descendentium cum Christo ad regnandum etiam in terris, & inter mortales, ubi quondam afflicti, & humiliati fuerunt, & demum quia *dilexit Dominus portas Sion super omnia tabernacula Jacob*: Ibi ergo regnabunt sancti cum Christo, illa erit Regia, &

Apoc. 20. 7.

Ezech. 48.

capitalis urbs regni illius; hoc autem non tollit, quod spatio illorum mille annorum, in quibus homines illi erunt magis dociles, quippè qui non seducti, nequè impulsi per Diabolum toto illo tempore incarceratum, ut dicit Joannes capite illo 20. sancti illi discurrant per omnes alias provincias orbis, docendo, dirigendo, gubernando, & regendo mortales illos; non enim debemus considerare sanctos sivè in cœlo, sive in terra tanquam immobiles statuas uni loco affixas: Demum regnum illud sanctorum consistet in ea specie regnandi, quam habent proceres intimi regi, nempè sunt organa immediata per quæ rex indicit populis suas voluntates, sunt instrumenta, per quæ homines privati obtinent à rege illa quæ desiderant, & summa infrà regem pollent authoritate: sic regnant modò cum Christo in cœlo sancti, qui ibi sunt corpore, & anima, & sanctæ quoquè animæ, quæ ibi sunt; sic regnabunt tunc in terris in ea prima resurrectione super populos eos spargendos per totum orbem terrarum, & libenter obtemperaturos per annos multos regno huic sanctorum, quià immunes erunt à suggestionibus Diaboli, utpotè ligati, & incarcerati, donec consumentur ille mille anni, ut expressè dicit Joannes, quia tunc solvetur, & concitabit universalem rebellionem contrà Christi, & sanctorum regnum, ut ibidem dicitur.

Apoc. 20.

XXX. Quæres 3. quid fiet post illos mille annos quietis, seu Sabbati, seu tranquilli Regni Christi, & sanctorum? Respondetur in fine illius millenarii continget id, quod conceptis verbis prædixerunt Ezechiel, & Joannes, nempè universalis ea commotio totius orbis terrarum sub Gog, & Magog, contrà Regnum Christi, & sanctorum. Dicit enim Ezechiel loquens cum Gog *in novissimo annorum venies.* Et rursus. *In novissimis diebus eris.* Populi namque septentrionales, quos ibi meminit Propheta per Diabolum seducti, & putantes immensam divitiarum copiam esse apud sanctos, hosque inermes esse, instar turbinis venient, ad hos invadendos. *Dices, Ascendam ad terram absquè muro, veniam ad quiescentes, habitantesquè securè, hi omnes habitant sinè muro, vectes, & portæ non sunt eis. Ut diripias spolia, & invadas prædam &c.* Sed contemnent illos sancti regnantes, certi, ac securi de sua fælicitate, memoresquè illius, quod ibidem dicit DEUS eidem Gog *tu ergo ille es, de quo locutus sum in die. Ibid. 39. bus antiquis in manu servorum meorum Prophetarum &c.* Absumpto brevissimè toto illo exercitu, ut Ezechiel & Joannes prædicunt, fiet universalis totius orbis conflagratio quam Daniel capite 7. innuit, & Petrus exponit epist. 2. cap. 3. quæ mortales omnes absumet, sed non redivivos illos sanctos in terris regnantes, utpote jam adeptos immortalitatem. Posteà fiet omnium prorsus mortuorum resurrectio. *Vidi mortuos magnos, & pusillos stantes in conspectu Throni,* ait Joannes post narratam stragem exercitus Gogi, & fiet judicium universale. *Judicatum est de singulis secundum opera ipsorum;* Et denique publicabitur ultima definitiva sententia: *Et qui non inventus est in libro vitæ scriptus, missus est in stagnum ignis.* Ecce prisco rum illorum Theologorum sententiâ castè expositâ absq; illo absurdo, quod ipsis objiciebat Hieronymus, quodquè stultè supponebãt Saducæi. Regnabunt enim post primam resurrectionem sancti cum Christo per annos mille in terris, sicut posteà per totam æternitatem regnaturi sunt cum eodem in cœlo; sed vitam agent incorruptibilem & sacerdotalem, ut dicit Joannes, & consequenter alienam prorsus ab omni immunditia physica, & mortali, & dignam hominibus verè, ac simpliciter beatis, atquè non aliam habentem distinctionem à vita in cœlo, nisi ratione solius loci.

Ezech. 38 v. 8. & 16.

XXXI. Hinc apparet convenientia, & disconvenientia opinionis illius à sententia, quam à multis jam sæculis amplexa est Ecclesia: Convenit illa sententia cum præsente communi, & catholica, in eo, quod futura est omnium penitus mortuorum descendentium

dentium ex Adamo resurrectio, eis exceptis, qui jam resurrexerunt, & corpore, atquè anima sunt in cœlo, quod futurum est universale judicium, præcedente incendio universali, sicut quondam fuit universale diluvium, quod ferendæ sunt à Christo duæ illæ definitivæ sententiæ: *Venite Benedicti. Discedite à me maledicti.* Quòd sancti regnaturi sunt in æternum cum Christo in cœlo, & reprobi arsuri sunt in æternum cum Diabolo in inferno. Discrepat à præsenti communi sententia simpliciter vera, quia ponit duas resurrectiones hominum, unam sanctorum dumtaxat, qui tempore adventus Christi ad Antichristum perimendum mortui jam fuerint, alteram longe posteà futuram omnium omnino aliorum hominum, item, quia ponit Christum cum eis sanctis regnaturum in terris; Præterea resurrectionem atque judicium universale ponit post mille annos à sanctorum solorum resurrectione, morte, ac damnatione Antichristi, & consequenter finem hujus mundi non conjungit cum tempore Antichristi, sed longissimè separat ab hoc. Rursus quia ponit Antichristum fore distinctum à Gog illo famoso, mala utiquè illa fama, quam de ipso habemus ob testimonia Ezechielis, & Joannis sæpè data. In hoc autem puncto ego assentior cum Rivera sententiæ illi, quippè, ut suprà dicebam num. 11. Antichristus juxta Joannem vivus mittendus est in infernum, cum suo Pseudopropheta, hoc est corpore, & anima illuc præcipitabuntur (nam alias verè interficiendus est à Domino *spiritu oris sui*, ut dicit Paulus, *& destruendus illustratione adventus sui*) & consequenter non habebit sepulchrum inter homines; Gog autem sepelietur, & sepulchrum habebit in loco nominato per Ezechielem qui sepulchri illius individuantia signa scribit, nempe *in valle viatorum ad orientem maris &c.* Rursus Gog *in novissimo annorum* veniet, ut notat Ezechel; Antichristus verò antè ultimum quadriennium, quia regnabit tres annos, & dimidium juxtà communem persuasionem, & hanc universalem Monarchiam non adipiscetur in ictu oculi. Præterea Gog solam avaritiam objicit Ezechiel, & sacrilegam audaciam conandi violare sanctos, ut horum spolia rapiat: Antichristo autem abyssus tota iniquitatum, & præcipue elevatio contrà DEUM, appetiusquè, ut à cunctis adoretur, & cuncti habeant suum Characterem, objicitur à Daniele, atquè ab authoribus Canonicis novi testamenti. Erunt itaque duo physicè distincta instrumenta Diaboli, & Antichristus pejor erit, quam Gog, licet hic dicatur vulgo ille, sicut Joannes dicitur Elias, & Turnus dicitur *latio partus Achilles.*

XXXII. Apparet 2. in quo stet nervus totus, sivè arx illius sententiæ millenariorum, prout à me explicata est. Stat in capite 20. Apocalypsis, ex quo formatur hic discursus. Quoties ex una parte verba scripturæ in sensu obvio, & quem præseferunt, significant rem A. v. g. & ex altera parte nulla datur repugnantia in re A, aut ex natura ipsa rerum, aut ex scriptura, aut ex ullo alio capite, dicenda, & tenenda est res A, & non sunt detorquenda illa verba ad solum sensum alium figuratum, allegoricum, anagogicum, aut mysticum. At ex una parte in eo capite Apocalypsis traditur hæc sententia, juxta sensum obvium & quem præseferunt illa verba; quoniam ibi discernitur inter primam resurrectionem, quæ dicitur sanctorum, & secundam universalemquè omnium defunctorum, resurrectionem: Ibi ponitur judicium universale post hanc, non verò immediate post illam sanctorum resurrectionem. Ibi asseritur, sanctos regnaturos cum Christo mille annis, quibus transactis, solvendus est satanas cujus minister Gog conspiraturus est cum gentibus ex toto orbe terrarum collectis contrà sanctos, & obsessurus est ipsorum castra, atque civitatem regiam, & consequenter eos regnaturos fore in terris: Ibi prædicitur Gog cum suo exercitu delendum esse igne de cœlo vibrato, atq;

Eze-

Ezech. 39. Ezechiel ait, eum sepeliendum in loco determinato, cujus signa individualia notat. Ex altera verò parte nequè ex natura ipsa rerum, nequè ex scriptura, nequè ex ullo alio capite apparet ulla repugnantia in hoc; quoniam tota illa doctrina Christi Domini apud Matthæum 24. & apud alios Evangelistas, referentes illam potest intelligi de suo adventu ad regnandum visibiliter in terra, in qua visibiliter fuit negatus, & Crucifixus, sicut modo regnat invisibiliter quoad mortales in cœlo; & rursus illa doctrina debet intelligi de temporibus Antichristi, qui omnino videtur distinctus à Gog, de quo vaticinantur Ezechiel, & Joannes, ut semel & iterum dixi cum gravibus Theologis; Ergo sententia illa prout fuit explicata videtur esse tenenda. Et confirmatur. Tum quia ex natura ipsa rei, & ex aliis indiciis divinæ providentiæ videtur omninò congruum, quod Christus Dominus, & sancti antè illud tempus mortui, triumphent, ac regnent in eadem parte universi, & apud eandem speciem hominum, in qua, & apud quam visibiliter fuerunt propter honorem DEI oppressi, abjecti, vexati, atquè per Diabolum, per homines, & per carnem oppugnati, quoniam magna pars est præmii, *ibi*, & apud *illos* (si non in individuo saltem in specie) adorari, *ubi*, & apud *quos* angustias magnas passus es; At Christus cum sanctis illis in *terra*, & apud *homines* fuit visibiliter oppressus, & oppugnatus; Ergo pars magna præmii erit, quod in *terra* etiam, & visibiliter apud *homines* etiam eosdem saltem in specie, triumphet, ac regnet; Tum quia juxta Danielem erit tempus, in quo habitatores cuncti orbis terrarum agnoscant, & reverantur Christum Dominum. *Ecce cum nubibus cœli, quasi filius hominis veniebat, & usque ad antiquum dierum pervenit, & in conspectu ejus obtulerunt eum. Et dedit ei potestatem, & honorem, & regnum, & omnes populi, tribus, & linguæ ipsi servient*: Cui consonat Paulus, inquiens: *cum autem subjecta fuerint illi omnia tunc & ipse filius subjectus erit ei, qui subjecit sibi omnia* imo addit Daniel. *Regnum autem, & potestas, & magnitudo regni, quæ est subter omne cœlum detur populo sanctorum altissimi.* Atqui hæc nequeunt commodè intelligi, nisi, veniat tempus, in quo omnes gentes agnoscant, adorent & revereantur Christum, & sanctos suos subter cœlum, id est in terris; Ergo veniet illud tempus: sed tempus hoc non erit tempus Antichristi, cum potius tunc erit universalis discessio à Christo, dicente Joanne, *Admirata est universa terra post bestiam, & adoraverunt Draconem qui dedit potestatem bestiæ, & adoraverunt bestiam dicentes &c.* & iterum. *Faciet omnes pusillos, & magnos & divites, & pauperes, & liberos, & servos habere characterem in dextera manu sua, aut in frontibus suis*: Ergò tempus insinuatum à Daniele, & Paulo, vel erit antè, vel post tempora Antichristi; sed non antè, quoniam licet Christus dicat. *Prædicabitur hoc evangelium regni in universo mundo*, non sequitur, quod suscipietur, ut sæpè experimur de facto, imo adjungit Christus *in testimonium omnibus gentibus*, ne excusationem prætendant, quomodo crederemus ei, quem non audivimus, & quæ in eodem capite prædicit Dominus, scilicet. *Multi Pseudoprophetæ surgent, & seducent multos: Et quoniam abundabit iniquitas, refrigescet Charitas multorum.* Item. *Eritis odio omnibus gentibus propter nomen meum*, & multa alia, quæ ibi leguntur, satis indicant pessimos mores tunc futuros: Ergo tempus insinuatum ab utroque illo erit post tempora Antichristi: At neuter dicit præcisè Omnes omninò homines, *qui à mortuis resurrexerunt*, servituros Christo cum sanctis suis; siquidem omnes illi, aut futuri sunt in *inferno* (ubi non servitur Christo, sed blasphematur Christus, & vox illa Danielis: *Ipsi servient*, satis indicat servitium, & obsequium oriundum ex intellectu, ac voluntatè) aut in *cœlo*; nam quamvis hoc sit veritas, est parva veritas, nempè dicere omnes beatos servitu-

Dan. 7. 14.

1. ad. Cor. 15.

Dan. ib. v. 27.

Apoc. 13. 4.

Apoc. 13. 16.

Matth. 24. 14.

Matth.

Luc. 22

ros

ros Christo cum sanctis suis. Ergò Daniel, & Paulus docent, post tempora Antichristi futuros esse per totum orbem terrarum viatores, qui serviant omnes Christo, agnoscant, & revereantur eum, sint subditi sanctis cum Christo tunc regnantibus, & demum sint quasi nova hominum progenies, extinctâ, & consumatâ priore, quæ secuta fuerat Antichristum, ita ut filii hominum illorum edocti strage, ac supplicio suorum parentum (sicut contigit illi familiæ Noeticæ superstiti diluvio universali) serviant, & omnino subditi sint Christo, & sanctis tunc regnaturis apud illos, horum, & illius documentis instructi; donec annis, & annis transeuntibus elongentur à cœtu, & præsentia sanctorum, & postea ab imitatione, & demum in noviſſimo illorum mille annorum rebellent cum Gog & populis septentrionalibus contrà Christum, & contrà sanctos, sicut contigit respectivè familiæ Noeticæ antè millesimum Annum in diluvio. Ergo.

XXXIV. Tum quia non semel, aut iterum tantum promittit Christus discipulis suis escas, potus, & convivia, (utiquè digna danti, & accipientibus) in regno, ad quod eos invitabat: *Non bibam amodo de hoc genimine vitis usquè in diem illum, cum illud bibam vobiscum novum in Regno Patris mei.* Item, *ut edatis, & bibatis super mensam meam in regno meo &c.* At nil impedit, quod hæc intelligantur in sensu litterali, & obvio, quem præseferunt, quandoquidem corpori glorioso non repugnat edere, ac bibere, quamvis neutro egeat, ut constat ex ipso Christo Domino, qui post suam glorioſam resurrectionem multoties comedit, & bibit coram Discipulis, ut testantur Evangelistæ, & confirmat Petrus inquiens in Domo Cornelii: *Qui manducavimus, & bibimus cum illo, postquam resurrexit à mortuis;* Non enim est omnipotenti difficile, nutritionem, & excretionem, quæ escas, & potum subsequi solent, impedire, aut corrigere; Ergo illud *comedere* & *bibere* in regno Patris absque ullo absurdo potest intelligi non tantum in sensu Anagogico, sed etiam in obvio, & litterali: Atqui sic intellectum aptè cadit in sanctos regnaturos mille annos cum Christo in terris, & inter mortales: Ergo regnum hoc utilitatem importat intelligendi in sensu etiam litterali, & obvio verba illa Christi Domini: Ecce declaratam, & confirmatam priscam illam sententiam.

Matth. 26.
Luc. 22. 30.
Act. 10.

§. Secundus.

XXXV. Hæc mihi sufficienter probant duo: unum est: sententiam illam sic expositam, & intellectam, non fuisse suo tempore improbabilem, antequam esset in contrarium sensus communior Ecclesiæ, qui communior sensus est optimus modus interpretandi scripturas. Alterum est, systema illud resurrectionis, & rerum cæterarũ, quæ adjunguntur, esse simpliciter possibile, non solum attentâ naturâ rerum, verum etiam attentâ, quæ nobis constat, præsenti providentiâ DEI, ex qua ægrè admodum elicitur argumentum positivum impugnans istud systema, cum potius ad nostrum, & Ecclesiæ commune defendendum, opus sit recurrere interdum ad sensus non litterales, & obvios, sed figuratos, & allusivos multorum, quæ dicuntur quasi historicè in eo capite 20. Apocalypsis, & 38. Ezechielis. Cæterum futuras de facto res, quæ ponuntur in illo systemate, id non credo; Unde puto illud absolutè ac simpliciter non esse verum. I. quia ut nuper dicebam, optimus modus interpretandi caput illud 20. Apocalypsis, & 38. Ezechielis, sicut & cæteras sanctas scripturas, est communior, & universalior sensus Ecclesiæ, qui profectò est infallibilis quando Ecclesia legitimè est congregata in synodo generali; Certus item, & non absquè ingenti saltem temeritate repudiandus, quando à multis sæculis Patres omnes, atque Theologi post rem accuratè examinatam atquè discussam, convenerunt in eo tali sensu. At quamvis initio, quando non ad-

adhuc satis eluceſcebat hæc res, nonnulli Patres judicaverint verum ſyſtema iſtud; poſtea tamen re diſcuſſa, & examinata, Patres ferè omnes, atquè Theologi, negarunt iſtos mille annos regni ſanctorum cum Chriſto in terris poſt ipſorum duntaxat reſurrectionem, & ante generalem reſurrectionem omnium mortuorum ex Adamo deſcendentium, antè judiciumq; univerſale: & conſequenter negarunt, prætenſum iſtum ſenſum contineri in verbis iſtorum duorum Prophetarum. Quod ex facto ipſo conſtat; nam ſi unum, vel alerum demas (& forſan loquentes in alio ſenſu) deprehendes, torrentem, ut ajunt Patrum, & Theologorum, docere reſurrectionem atquè judicium univerſale futurum eſſe immediatè moraliter poſt Antichriſtum, & imediate quoq; poſt ſententiam publicandam in hoc judicio prædeſtinatos evehendos ad cœlum, nempè ad poſſidendum regnum illis paratum à conſtitutione mundi; reprobos autem detrudendos in infernum nempè in ignem æternum paratum Diabolo, & Angelis ejus, & conſequenter totum hunc globum terraqueum vacuum relinquendum hac generatione hominũ, ſaltem adultorum ex Adamo deſcendentium; ergò abſolutè, ac ſimpliciter dicendũ eſt, illud ſyſtema non eſſe verum, & non futurum iſtud ſanctorum regnum in terris per mille annos, & non futuram iſtam phyſicam reſurrectionem ſolorum ſanctorum, & non futuram iſtam diſtantiam mille annorũ inter Antichriſtum, & Gog; atq; demum iſtum non eſſe ſenſum contentum in verbis capitis 20. Apocalypſis, aut 38. & 39. Ezechielis.

XXXVI Hæc eſt prima ratio, reflexa utiq;, & quaſi à priori in hujusmodi rebus: Arguo 2. negativè contrà fundamentum iſtius ſententiæ: Eatenus illa eſſet vera, quatenus Joannes in capite illo Apocalypſis ſemel & iterum, atquè iterum dicit, *mille annos* de Diabolo ligando, & de ſanctis redivivis cum Chriſto regnaturis: Et quatenus dicit Gog invaſurum caſtra ſanctorum, & civitatem dilectam, ubi ſancti regnaturi videntur, & cum Gog ſtipatus ſuo exercitu ex hominibus compoſito invadere nequeat Hieruſalem cœleſtem, hoc eſt cœlum Empyreum, ſequitur, quod adoriatur terrenam, & quod ſancti ibi cum Chriſto ſint regnaturi. Sed hæ rationes non evincunt rem; Ergò fundamentum iſtius ſententiæ non eſt firmum: Cumque ex alia parte non ſint aſſerendi iſti mille anni, & iſtud regnum in terris abſquè poſitivo fundamento, & neceſſitate, colligitur, iſta eſſe abſolutè neganda, ſi adverſarii cenſeant illa non modo eſſe poſſibilia, ſed etiam eſſe abſolutè futura, Probo minorem. In primis illud de Gog invaſuro caſtra ſanctorum, & civitatem dilectam poſteâ dicam, poſſe intelligi commode, atquè in ſenſu literali, de immani quodam principe ſeptentrionali, qui hominum innumerabilium colluvie ex toto orbe, ope diabolica confluentium ſtipatus, invadet locum eum, ad quem confugiet, ut fusè exponam infra, Eccleſia illius temporis; nempè Epiſcopus Romanus cum plerisquè, aut ſaltem multis ex membris primariis Eccleſiæ, vitandi ergò perſecutionem Antichriſti, & quaſi univerſalem hominum apoſtaſiam à fide (non enim deficiet penitus Eccleſia) & conſervandi gratiâ formam, atquè authoritatem Eccleſiæ Catholicæ, ut poſſit utcumque ſuccurrere fidelibus, reparando lapſos, & cavendo aliis, nè cadant, ſicut in perſecutione Antiochi præfigurantis Antichriſtum dicitur de Mathathia *fugit ipſe, & filii ejus in montes, & reliquerunt quæcumque habebant in civitate*: Sicut etiam Chriſtus Dominus & Apoſtoli non ſemel declinarunt à perſecutoribus & ſicut præceptum eſt: *Cum autem perſequentur vos in civitate iſta, fugite in aliam*: Et ſicut Romani ſenatores confugerunt ad capitolium poſt prælium allienſe fugatis, atque diſperſis Romanis legionibus; nempè ut conſervarent aliquam formam ſenatus, atq; ut ritè fierent, quæ poſtea fecit Camillus: Legè livium, & Athanaſium & forte hanc diſceſſionem, nempe ſenatus Eccleſiæ ab urbe Roma

Roma, insinuavit Paulus, ut præviam Antichristo : Ergò ratio ista sumpta ex castris sanctorum, & civitate oppugnanda per Gog non probat determinatè, positivè, ac efficaciter, sanctos redivivos regnaturos visibiliter cum Christo in aliqua regione terrestri invadenda per illum Gog: Certè vitium, quod in eo filio Diaboli notat Ezechiel, ut jam adverti, est, non tam elevatio contrà DEUM, & Christum ejus (quod crimen erit Characteristicum Antichristi) quam avaritia *ut diripias spolia, & invadas prædam.* Credet enim fugitivam illam, & sanctam congregationem Prælatorum asportasse secum magnos thesauros, quando fugiebat ab Antichristo paulo ante grassante, & hoc credent multi populi, qui dicent illi *numquid ad sumenda spolia tu venis? Ecce ad diripendam prædam congregasti multitudinem tuam, ut tollas argentum, & aurum, & auferas supellectilem, atque substantiam, & diripias manubias infinitas.* Inhians itaquè divitiis, adorietur cœtum illum Prælatorum, Ecclesiam totam repræsentantium. Undè Antichristus invadet corpus, ut ita dicam Ecclesiæ, & hoc religionis causa; Gog postea cum suis avaritiæ stimulis agitatus adorietur caput ipsum Ecclesiæ cum suis primariis membris. Et hic erit ultimus conatus Diaboli contra Ecclesiam; sed de hoc postea.

Ezech. 38. 12.

Ibid. v. 13.

XXXVII. Deinderem non evincit, quod Joannes dicat, sanctos vixisse, atquè regnavisse cum Christo mille annis : Etenim vox *mille* neque in sacra, neque adhuc in sæculari litteratura significat semper definitum numerum *mille*, sed multoties ingentem quandam, & notabilem multitudinem, sivè majorem millenario numero, ut quando dicimus. *Millies feci hoc, millies tibi dixi hoc &c.* Ergo quod Joannes toties dicat in eo capite annos mille reclusionis Diaboli, & regni sanctorum, non probat ambo hæc duratura mille præcisos, & formales annos, sed multos, & multos annos. Probo antecedens claris exemplis utriusque litteraturæ. 1. *Verbi, quod mandavit in mille generationes*, hoc est plurimas; nam certè à promulgatione legis Mosaicæ usquè ad ipsius abrogationem non transierunt mille exactæ, ac definitæ generationes. 2. *non poterit ei respondere unum pro mille*, hoc est pro multis, quæ potest DEUS homini objicere. 3. *Custodiens pactum, & misericordiam diligentibus se, & iis, qui custodiunt præcepta ejus in mille generationes*, id est, in longam seriem filiorum, & nepotum. 4. *Quomodo persequebatur unus mille* (id est multos non obstante proverbio *nec Hercules contrà duos*) *& duo fugarent decem millia*, id est plurimos. 5. *cadent à latere tuo mille & decem millia à dextris tuis.* 6. *Mille anni antè oculos tuos*, hoc est multi, & multi, *tanquam dies hesterna.* 7. *Percussit Saul mille, & David decem millia*, nempè Saul plurimos, David autem longè plures. Pudet exempla plura agglomerare ex scriptura, cum facillimum sit unicuique concordantias bibliorum consulere, & deprehendere vocem *mille* sæpissime non significare in scriptura numerum definitum millenarii, sed magnam aliquam, & considerabilem multitudinem. Ergò quod in eo capite 20. Apocalypsis, quinquies inveniatur illa vox, non probat ibi significari exactum, ac definitum illum numerum. Eandem consuetudinem habet sæcularis litteratura. Quis unquam insimulavit mendacii, aut falsitatis Poetam, qui posuit in ore sui herois *non anni domuere decem, non mille carinæ*, tametsi classis, quâ Græci adorti sunt Trojam non constiterit physicè, ac realiter mille navibus: quis, quod idem dixerit non semel de iride. *Mille trahens varios adverso sole colores.* Tametsi arcus illius colores non sint verè mille? Item quis objecit eidem hoc crimen eo quod dixerit: *Quam mille secutæ hinc, atquè hinc glomerantur oreades*, quamvis montanæ illæ Nimphæ, id est, Diaboli succubi, qui fœmineâ formâ illudebant mortalibus, verè, ac simpliciter non essent mille? Et alibi: *Quos mille die victor sub tartara misit*, hoc est plurimos

Ps. 104.

Job. 9.

Deut. 7.

Ibid. 32.

Ps. 90.

Ps. 89.

1. Reg. 18.

Æneid. 2.

Ibid. 4.

Satyra 5.

mos una die occidi. Similiter Persius *mille hominum species, & rerum discolor usus*: Ergo vulgare est, tum in communi modo loquendi, tum in utraquè litteratura, quod vox *mille* non significet mille actu, & formaliter, sed solùm notabilem quandam multitudinem; ergo ex eo, quod caput illud 20. &c. Dices legitimum fore discursùm, si semel, aut iterum tantum uteretur Joannes illo verbo in eo capite, at cum ponat illud quinquies, videtur, quod crebra hæc repetitio non casu, & juxta communem loquendi modum posita sit, sed ex determinato Consilio, atquè ad significandum definitum, & formalem numerum millenarium. Respondeo cum Rivera: Joannes incipit illud caput per incarcerationem Diaboli duraturam mille, hoc est multis annis, nimirum, qui futuri erant à tempore, in quo ipse scribebat usque ad Antichristum, vel usque ad Gog. Horum autem annorum numero æquavit numerum annorum, quibus regnaturi erant cum Christo, illi qui maluerunt occidi, quam Dominum suum negare, aut Characterem bestiæ, scilicet Antichristi accipere in frontibus, aut manibus per imitationem morum hujus belluæ. Utrosquè putabant insensati mortuos esse, sed *vixerunt*, inquit, *& regnaverunt cum Christo mille annis*, hoc est plurimis; unde quoties in eodem capite loquitur de eisdem duabus rebus, consequenter utitur eodem annorum numero pro utraque, ne obscuritati Prophetiæ obscuritatem adderet, si variaret numerum annorum quem semel posuerat.

in 20. Apoc. n. 22.

XXXVIII. Quid ergo significant ille mille anni incarcerationis Diaboli, atquè regni martyrum, & confessorum cum Christo? quid illa solutio Diaboli post mille annos? quid illud bellum contra sanctorum castra, & civitatem dilectam? quid demum totum illud caput 20. Apocalypsis, quod millenarios movit? Respondeo multa ex his pendere ex infra dicendis. Interea dico. Vidit Joannes in aliquo ex multis sensibus, quos exposui capite 2. *Angelum descendentem de cœlo habentem clavem abyssi & catenam magnam in manu sua &c.* sic incipit caput illud. Hac metaphora sumpta ex materialibus his instrumentis, quorum assueti sunt homines (quibus sanè & non Angelis scribebat Joannes) in functione recludendi, atquè cohibendi insignem aliquem sceleratum, explicat Joannes supremum *decretum* divinum cohibendi Diabolum per totum illud tempus, & *executorem* hujus decreti; nimirum sanctum quendam Angelum. Si enim uni dæmones præpotentiam habent supra alios socios suos, ut constat ex facilitate qua uni magi ligant, & solvunt magos alios, nempe quia Dæmones, quibus ille se mancipaverunt potentiores sunt dæmonibus, quasi plebeis, quibus hi se tradiderunt; multo magis Angelus sanctus divina authoritate armatus, & divina potentia elevatus potest incarcerare, atquè ligare Diabolum, hoc est potente sua voliitione, atq; notificatione sententiæ divinæ irresistibilis, compescere illum, atq; cogere, ne ex loco quodam determinato moveatur. Illud ergo de clavi, & de catena, illud *apprehendit, ligavit, misit, clausit, signavit*, nil aliud significat per sè loquendo, quam notificationem irresistibilis divinæ sententiæ, aut etiam præpotentem voluntatem Angeli illius suprà magnum Diabolum, id est suprà Luciferum, ut hic per totum illud tempus affixus ultimis partibus terræ, quin illinc erumpere possit, licet interea per terram, per aërem vagentur sui sequaces ad exercitium, & pœnam hominum respectivè, & fortè etiam quia minus peccarunt, quam ille; sed aliquando detrudendi omnes cum suo duce in infernum, quem metum, nec quando impunè illudebant generi humano, dissimulare poterant, ut jam notavi; unde sui cultores sciebant, & dicebant de infernali palude *dii cujus jurare timent, Ens & fallere numen*; & alibi synodum eorum maximus. *Per præceps torrentes, atraque voragine ripas, annuit; & totum nutu tremefecit olympum.* Quid si cen-

Ibid. n. 1.

l. 1. Jos.

sueris, Dæmones in pœnâ suæ apostasiæ

siæ degenerasse in subjecta, & personas corporeas, in eo tamen sensu, quem. ut possibilem explicui atque defendi Disput. 2. Nempe damnari potuisse ad alligationem cum aliquo corpore, sicut furciferi gestabant furcam, & canes solent trahere catenam. Si inquam id censueris, nil impedit, quod omnia illa, quæ Joannes dicit, intelligantur in sensu obvio, & quem præseferunt, si semel magnus Diabolus in æternum suum dedecus damnatus est ad gestandum aliquod corpus, sicut damnatus est ad gestandum ignem corporeum, quo torquetur, & sicut gestaret corpus asininum, homo quem, DEUS affigeret illi corpori.

XXXIX. Addit Joannes, quod Angelus ille ligavit per *annnos mille* Diabolum, Draconem, serpentem antiquum quæ antonomasia dat non dubia indicia, sermonem esse de Lucifero, diabolorum maximo, *ut non seducat amplius gentes donec consumentur mille anni.* Hæc vox juxta exempla, quæ produxi num. 37. potest citra omnem violentiam significare magnam, & considerabilem multitudinem annorum inter illum, quo Joannes hæc scribebat, vel quo Christus Dominus mortuus est, & illum, in quo Antichristus, pel potius Gog incipiet suam tyrannidem: neque dicas frigidè, exempla ibi congesta probare duntaxat vocem *mille* posse significare indefinitum quendam magnum numerum sed qui sit millenario minor, non autem qui sit major, qualis est numerus annorum inter ambos terminos dictos, quandoquidem jam habemus ultra 1700. etenim si vox illa *mille* semel extrahitur absque falsitate à sua propria, & definita significatione, materiale est, & parum refert, quod extrahatur ad significandum majorem, aut minorem numerum. Imo cum mille inbibantur in numero majore, & non in minore, inde est, quod bis mille, v. g. etiam sunt mille, & qui de bis millibus dicit mille minus recedit à significatione propria illius vocis, quam qui de centum, aut ducentis dicit *mille.* Sic, ut supra notavi n. 10. cum sanguis Christi effundendus esset *pro omnibus*, ut affirmat Joannes, contentus fuit Dominus ipse dicere apud Matthæum *pro multis.* Similiter cum per peccatum Adæ peccatores simus omnes, Paulus contentus fuit dicere *multi* duntaxat. Scribit namque *sicut per inobedientiam enim unius hominis peccatores constituti sunt multi &c.* Similiter cum resurrectio ad vitam, vel mortem æternam futura sit, Gabriel contentus fuit dicere Danieli. *Multi de his, qui dormiunt in terræ pulvere, evigilabunt, alii in vitam æternam, & alii in opprobrium &c.* Vide Augustinum: nempè quia licet *multi* non imbibat *omnes*, veruntamen vox *omnes*, etiam significat multos. Ergo numerus millenario major potest significari numero ipso millenario. Ergò quod jam transierint plures quam mille anni & forsan transituri sint bis mille à tempore Joannis usq; ad Antichristum, non impedit, quod totum hoc tempus majus significetur voce illa minore, *mille*: quemadmodum in utroque nupero exemplo voce illa *multi*, quæ minor est, significantur *omnes*, quod est quid majus. Consule prima capita Amos, ubi octo exempla invenies, in quibus voce significante numerum minorem, significatur numerus major. Octo quippè nationibus minatur ibi DEUS phrasi eadem, scilicet *super tribus sceleribus, & super quatuor* cum certum sit moraliter, gentes illas longe plura, quàm quatuor patrasse scelera: non est itaq; insolitum, quod numero minore significetur major; ergo non est violentum, neq; verborum tortura, quod Joannis verba *mille anni* significent totum tempus ab ipso usque ad Antichristum, quando magnus Diabolus solvendus est

Matth. 26. 28.

ad Rom. 5. 19

Dan. 12.

Aug 20. de Civ. Dei c. 25

XL. Illud autem, *ut non seducat amplius*, etiam subsistit; tum quia non ipse Lucifer, sed ministri, & sequaces sui sunt, qui nos seducunt. Ipse namq; juxtà hoc caput Apocalypsis affixus est immobiliter per sententiam irresistibilem Dei, & per illius Angeli præpotentiam, imis terræ visceribus, ut paulo antè explicui; tempore autem Antichristi inci-

1. Joan. 2.

Apoc. 20. piet solvi, quia, ut dicit Joannes *dedit illi Draco virtutem suam, & potestatem magnam* Et insuper adjunget illi Pseudoprophetam, de quo infrà loquar. Tempore autem Gog solvetur omnino, ut idem Joannes ait, quia collectio illius exercitus tam paucis diebus, ut infra dicam, ex toto orbe contrà Ecclesiam, & illa universalis seductio non nisi ipsius magni Diaboli opus esse potest, ultimo, ac desperate pugnantis contrà Ecclesiam. Quanta verò differentia sit inter bella oriunda ex suis Ministris, & bellum ab ipso tum per Antichristum, tum per se ipsum perpetrandum, satis indicat Christus Dominus toto capite 24. Matthæi, inquiens, quod tunc erit tribulatio magna, *qualis non fuit ab initio usquè modo, neque fiet*, & quod *nisi breviati fuissent dies illi &c. & quod in errorem inducantur, si fieri potest etiam electi.* Quæ satis indicant quantum discrimen sit inter seductionem Luciferam, & seductionem aliam Diabolicam, hoc est inter seductionem, quam nos patimur, & seductionem, quam patietur illa ultima Ecclesia; non ergo seducit nos modo Lucifer ipse formaliter per se; ergo subsistit illud, *ut non seducat amplius.* Tum quia licet ipse per se immediatè, & non tantum per suos gregarios milites, ac centuriones seduceret nos, adhuc subsistebat sententia hæc propter duas rationes erutas ex vulgari modo loquendi scripturæ. 1. quia ut dixi atquè exemplis firmavi Decade 1. n. 17. hæ voces *non amplius, non ultra*, & simi les, solent in scriptura negare, non quidem absolute, ac simpliciter futuritionem rei, sed solam frequentiam, energiam, & fervorem, quo prius fiebat. 1. Reg. 13. Ut de Philistæis dicit scriptura, *neque apposuerunt ultra, ut venirent in terminos Israel*; & tamen ex eadem scriptura constat, quod posteà etiam aliquoties venerunt tempore Saulis, & tempore Davidis; sed non ea frequentia, animorumve elatione, qua prius; Gen. 35. similiter Jacob audivit *non vocaberis ultrà Jacob, sed Israel &c.* & tamen non rarò dicebatur postea, & vocabatur *Jacob* Luc. 1. v. g. *Regnabit in Domo Jacob in æternum*; sed quia nomen commune, ac vulgare, quod postea habuit non fuit *Jacob*, sed *Israel*; Hac de causa absolutè dicitur *non vocaberis ultrà* (hoc est tam frequenter) *Jacob*; At quamvis Lucifer ipse modo etiam per se homines seducat, & non per suos solos laterones, quandoquidem *nunc operatur in filios diffidentiæ*; Veruntamen non ea frequentia energia, & fructu, quo olim, quando, excepto angulo illo, de quo dictum fuit, *notus in Judæa DEUS* in toto orbe terrarum dominabatur, atquè adorabatur: Et quando ausus est gloriari, *tibi dabo potestatem hanc universam, gloriam illorum, quia mihi tradita sunt, & cui volo do illa*; Ergo juxta phrasim scripturæ meritò dicere potuit Joannes: *Ut non amplius seducat*, tametsi post tempus illud plurimos seducat, nempe illos, qui seduci volunt; sicut canis ligatus ad catenam latrare potest, solicitare potest, mordere omnino non potest, nisi volentem. 2. ratio est juxta morem alium scripturæ, quem notavi Decade 4. num. 1. solet scriptura negare, seu potius videri, quod neget, illa, quæ revera sunt sed comparata cum aliis longè minora sunt, ita ut ad illorum præsentiam non compareant, quemadmodum licet stellæ etiam sint nobis præsentes interdiu, quia tamen in conspectu solis non apparent, ideò solent dici non esse interdiu: sic dicebat DEO David: *Tibi soli peccavi*; licet peccaverit etiam contrà Uriam, cui vitam, & honorem ademit, & contrà Bersabeam, quam sollicitavit ad adulterium, & contrà populum totum, quem scandalizavit; sed quia hæc omnia præcisè, ut talia, multo minora erant, quàm illa formalitas, seu illa ratio offendendi DEUM, idcirco quasi illa non fuissent à parte rei, clamabat *tibi soli peccavi*: Sic etiam Ezechiel invectus in Hyerosolimam. *Justificasti sorores tuas* (nimirum sceleratissimas illas duas civitates Sodomam, & Samariam) *in omnibus abominationibus tuis*: Id est tot, ac tam fœdæ fuerunt abominationes tuæ, ut Sodoma, & Samaria evaserint justæ; ac sanctæ comparatæ tibi;

At

At Lucifera seductio in illa ultima periodo mundi, tum quando incipiet solvi tempore Antichristi, & sui vicarii, tum quandò omninò solvetur, erit sine comparatione longè major, quam præsens. Quandoquidem tunc *seducet gentes, quæ sunt super quatuor Angulos terræ, & tunc, quia abundabit iniquitas, refrigescet Charitas.* Cum reliquis, quæ capite 24. Matthæi prædicit Dominus de ultimo eo tempore; Nec non caput 13. Apocalypsis. *Faciet omnes pusillos, & magnos, & divites, & pauperes & liberos, & servos, habere Characterem in dextera manu sua, aut in frontibus suis*; Ergò sivè Lucifera seductio, quæ nunc grassatur in filios diffidentiæ comparetur cum ea, quâ ante tempora Joannis grassabatur (ut illam comparavi in prima ratione) sivè comparetur cum ea, quæ grassabitur in fine mundi, ut comparavi in secunda, merito potuit Joannes scribere juxta consuetudinem scripturæ. *Ut non seducat amplius.* Vide infrà n. 55. ubi sermo iterum de hoc.

Apoc. 20.

§. Tertius.

XLI. PErgit Joannes, & dicit, quod transactis mille annis (hoc est multis illis, qui futuri erant à tempore ipsius Joannis usquè ad ultimum quadriennium mundi, ut nùper dicebam) in quibus incarcerandus, & ligandus erat princeps Dæmoniorum in sensu explicato supra, *oportet illum solvi modico tempore*, illo scilicet quadriennio, vel ultimo illius anno, quo utens duobus suis legatis, Antichristo, & Gog, pugnabit totis castris cum Ecclesia; primò cum hujus corpore, ut fidem sanam exterminet juxta Joannnem; deinde cum hujus capite, & primariis membris, ut divitias, quas secum asportasse putabit, rapiat juxta Eechielem: Et quod animæ decollatorum, *propter testimonium JESU & propter verbum DEI, & qui non adoraverunt bestiam neque imaginem ejus, nec acceperunt Characterem ejus in frontibus, aut in manibus suis, & vixerunt, & regnaverunt cum Christo mille annis;* Et quod *hæc est resurrectio prima*, & quod *cæteri mortuorum non vixerunt donec consumentur mille anni*, & quod *est beatus, & sanctus qui habet partem in resurrectione prima;* Et quod *in his secunda mors non habet potestatem.* Cum totum hoc sit Propheticum, mirum non est, quod multa verba habeant sensum allegoricum, Mysticum, anagogicum, tametsi etiam sit historia rerum futurarum. Assequentur omnia fideles, tunc victuri in ultimo illo quadriennio, pro quibus maxime scripta sunt, ut videntes prædictum tot ante sæcula illud idem, quod tunc experientur, firmi sint in fide, & non concutiantur perturbatione ac calamitate temporum, quibus se circumdatos invenient; nobis autem, & nostris majoribus longè distantibus ab eo quadriennnio, sufficiebat subobscurissima lux, quam habere poteramus ex verbis prolatis partim in sensu litterali, partim in allegorico, & anagogico ut aspicientes à longe, & consequenter valdè imperfectè, illam calamitatem temporum tranquillius feramus calamitatem, quam patimur, & DEO agamus gratias, quod nos creavit ante miserias, & pericula; quibus se se irretitos invenient illi nostri fratres modò nondum nati. Igitur jam explicui à numero 37. & 39. vocem illam *mille anni* posse absque ulla violentia, & consentaneè ad phrasim scripturæ significare annos, qui futuri erant à tempore Joannis usquè ad dictum quadriennium. Deinde hic loquitur Joannes de omnibus non quidem singillatim, & sub propriis nominibus sed in communi, & sub termino generali, qui morituri erant cum gratia DEI toto eo, tempore: Omnes quippe vel Martyres futuri erant, vel confessores (ad hanc classem reduco quotquot non sunt occisi pro fide) Martyres significat, dum dicit *animas decollatorum propter testimonium JESU*; confessores autem cum dicit, *& qui non adoraverunt bestiam &c.* Hoc

Apoc. 20.

Ezech. 18. 12.

est,

est, qui futuri Antichristi futuris vestigiis non institerunt, non enim adoratur tantummodo, quod est aut fuit, verum etiam, quod futurum est; sic cum Christus, ut talis, nec præsens nec præteritus esset tempore Abrahæ, nihilominus hic *vidit, & gavisus est*, & Christum à longè adoravit. Similiter suus nepos Jacob exhorrens colubrum Dan, ubi plerique intelligunt Antichristum, adoravit Christum post multa sæcula nasciturum, inquiens *salutare tuum expectabo Domine*: similiter antiqui Patriarchæ mortui sunt *non acceptis repromissionibus, sed à longe eas aspicientes, & salutantes?* quia ut de Christo scribit Augustinus. *Hic demonstratus est antiquis sanctis, ut ita ipsi per fidem futuræ passionis ejus, sicut nos per fidem præteritæ, salvi fierent.* Ergò res quæ nec est, nec fuit, sed erit, potest à longe coli, & venerari. Ergò, quod tempore dicto, nequè sit, nequè præteritus sit, sed futurus tantum Antichristus, non impedit, quod de sanctis prædicetur, quod non adoraverunt eum, id est, non imitati sunt eum, seu potius non fecerunt, quæ illæ facturus est: Item, quod non acceperunt ejus characterem hoc est pestilentem doctrinam, quam ille suis infixurus est. Quod autem plerique ex his, qui dicto intermedio tempore vivunt, non meminerint Antichristi in suis operationibus, probat, nequè unos accipere, nequè alteros rejicere in sensu formali, ut ajunt, Characterem, sivè doctrinam illius; Ast non probat neutrum fieri in sensu materiali, hoc est non probat, quod reprobi non sequantur & quod prædestinati non respuant *id, quod erit Character Antichristi*, qui caput hominum reproborum futurus esse videtur, sicut Christus prædestinatorum, & Lucifer Diabolorum. Unde sicut sancti, qui ante Christum natum mortui sunt, Characterem id est doctrinam, & mores Christi per respectivam imitationem acceperunt, reprobi autem non acceperunt; Ita è converso, reprobi, qui nondum nato Antichristo mortui sunt, hujus Characterem, doctrinam scilicet, atquè mores acceperunt, prædestinati verò repulerunt. Nequè potest dici, hunc sensum esse violentum, cum Joannes idem utatur eo, inquiens; *hic est Antichristus* (nempe per imitationem) *de quo audistis, quoniam venit* (nempè per suos sequaces) *& nunc jam in mundo est*, nempe in discipulis scholæ suæ: Ergo accipere verba illa Apocalypsis in hoc eodem sensu, scilicet, imitandi mores, & sequendi doctrinam futuri Antichristi, quæ duo innuuntur per Characterem *in frontibus*. (En doctrinam) atquè in *manu*, (en opera) sic inquam accipere illa verba consentaneum est phrasi, & modo, quo de Antichristo eodem loquitur idem Joannes. Sane plus solito frivolus est, qui in hujusmodi verbis Prophetarum quærit easdem formalitates atquè rigores, quibus utimur in schola.

Joan. 8.

Gen. 49.

ad Hebr. 11. Lib. 10. Conf. cap. 43.

XLII. Sancti ergo confessores, qui sunt, fuerunt, & erunt usquè ad Antichristum possunt intelligi eis verbis; *Et qui non adoraverunt bestiam*; quodsi velis hæc verba significare illas eadem personas, quas significant immediate antecedentia, nempè martyres in genere, non multum contradicam, quoniam etiam sancti, qui non sunt occisi pro Christo possunt dici martyres in sensu haud improprio, vita enim Christiana est continuatum martyrium, quia de regno cœlorum dicitur *violenti rapiunt illud*, & quia *militia est vita hominis super terram*, & quia ambo testamenta clamant, crucem, ac tribulationes subeundas esse volentibus frui æterna requie: Ergò sub nomine martyrum & decollatorum, & eorum, qui non adoraverunt bestiam, nequè imaginem ejus &c. veniunt sine violentia, quotquot perseverant usque ad finem, atquè in patientia sua possident animas suas; fateor regnare quoquè cum Christo parvulos paulo post baptismum mortuos, qui neutro modo fuerunt martyres sed cum Joannes non scribat his, sed adultis, ideò de adulis solis in gratia morientibus, loquitur. De his omnibus dicit

vixe-

vixerunt : Quippe futuri erant multi, sicut olim fuerant, quando insipientium oculis sancti *visi sunt mori, & æstimata est afflictio exitus eorum, & ab itinere justo abierunt in exterminium ; illi autem sunt in pace.* Sapient. 3. Confirmat Joannes hanc sententiam, & dicit, quod utriquè vixerunt, tametsi mortis sacræ compendio, aut vitæ diuturnioris martyrio, consumati viderentur. De omnibus item illis dicit, quod annis dictis *regnarunt cum Christo*, quibus verbis præcesserunt illa Danielis, *regnum autem, & potestas & magnitudo regni &c. detur populo sanctorum altissimi*, eo respectivè modo ; quo proceres aulæ regnant cum rege; nimirum quatenus specialissime adorantur, & coluntur à populis, & quatenus hi preces suas, atque libellos supplices offerunt regi per proceres, ut horum gratiæ, atquè meritis concedat Rex, quod plebejus homo non mereretur ex se; à solo tamen rege, non verò à proceribus, expectat actualem, physicam, & realem concessionem beneficii: sic nos quamvis à solo DEO expectemus beneficia positiva, & negativa, naturalia, & supernaturalia, quia ille solus est omnium fons, & origo, nec non ab ipso solo *omne datum optimum, & omne donum perfectum* ; nihilo tamen minus specialissimè colimus, & veneramur super altaria, multoties sigillatim, & sub nominibus propriis, quia ipsa novimus (sæpius in communi, quia non novimus nomina omnium sanctorum) creaturas illas, quas DEUS ex purâ misericordia dignatus fuit evehere ad regiam suam, cum potuisset illas deserere, ita ut modo arderent in inferno: non enim deceptus est, aut decepit ille, qui dixit *mihi autem nimis honorificati sunt amici tui DEus, nimis confortatus est principatus eorum:* Nequè decipiunt scripturæ, quæ docent DEUM interdum intuitu aliorum indulgere aliis, sicut sanavit illum Paralyticum *videns fidem illorum*, hoc est amicorum illius: Et sicut Salomoni condonavit schisma, quod meruerat, regni: *Propter David Patrem tuum*, & sicut propter orationem Moysis continuit manum à destructione populi hæbrei. *Placatusquè est Dominus, ne faceret malum quod locutus fuerat.* Et sicut sæpè alias fecit. Exod. 32. Cum ergo DEUS in suis libris docuerit nos, se omninò approbare, quod nos colamus, ac veneremur suos optimates, non ut DEos (absit malitiosa calumnia) sed ut suos amicos, & servos; Item docuerit nos, se multa concedere hominibus, propter suorum amicorum merita, hac de causa illi dicuntur regnare cum Christo, & quotidiè se audiunt implorari ab Ecclesia jam sub propriis nominibus *sancte Petre ora pro nobis*, jam sub nomine generali: *Omnes sancti, & sanctæ DEI intercedite pro nobis* : Vivunt itaquè, & regnant cum Christo ; judicant nationes, & dominantur populis juxta divinam promissionem, quotquot à tempore Joannis mortui sunt in gratia (de quibus ille loquebatur) quibus ex hoc mundi sterquilinio, vermibus, & ulceribus pleni, possumus nos dicere. *Miseremini mei, miseremini mei saltem vos amici* DEI: demum etiam de Christo ait Paulus regnare modo, licet modo non regnet visibiliter in terris: Cur non potest similiter intelligi regnum sanctorum, quod Joannes docet.

Sapient. 3. Job. 19. 1. ad Cor. 15. Tob. 1. Ps. 138. Matth. 9. 3. Reg. 11. & 12.

XLIII. Addit Joannis. *Cæteri mortuorum non vixerunt, donec consumentur mille anni*: Quoniam quicumque mortui sunt ac morientur absquè gratia (id est cum peccato gravi personali, aut originali) nequè vivent vita supernaturali, siquidem non intrabunt civitatem, quam non intrabit, *aliquod coinquinatum* ; nequè vita naturali, siquidem, non resurgent, donec fiat resurrectio generalis & hæc non fiet, nisi post finitam persecutionem Antichristi. De illa item sanctorum vita cum Christo dicit Joannes. *Hæc est resurrectio prima*; non quia sit reunitio animarum sanctarum cum suis corporibus, quæ physica, & realis est resurrectio, hanc quippè nequè sancti ipsi obtinebunt, nisi in ultima generali resurrectione (& unus, vel alter casus singularis, in quo aliqui mortui surrexerunt, ut constat ex hi-

Apoc. 22. Ibid. 21.

historiis sacris, & etiam ex aliis fide dignis, non adversatur legi universali ut videre est in aliis legibus, quæ videntur non minus universales) sed quia est translatio de hac vita ærumnosa, & quæ tota est militia super terram, & quæ potius est mors, sub qua sancti gemebant, sicut ille, qui ajebat, *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus.* Translatio inquam ad cœlum, unde pulchre vocatur *resurrectio*; Et sanè cum paulò antedicat Joannes se vidisse *animas*, non autem corpora *decollatorum, & eorum &c.* satis indicat, verbo illo *resurrectio prima* non significari resurrectionem corporum, sed animarum; transitum, scilicet harum, à corpore mortis hujus ad vitam beatitudinis æternæ. Et hanc resurrectionem subsequetur suo tempore resurrectio corporum, quæ erit secunda resurrectio. Undè merito concludit Apostolus, *beatus, & sanctus, qui habet partem in resurrectione prima; in his secunda mors* (peremptoria nimirum illa sententia. *Discedite à me maledicti in ignem æternum*, qua tandem morientur morte spirituali quotquot ex hac vita tandem discesserunt cum lethali) *non habet potestatem.* Quia cum hæc prima resurrectio sit translatio ex morte vitæ præsentis ad vitam æternam, qui hujus resurrectionis particeps fuerit, nequè morietur amplius morte corporis, quoniam quando resurget, resurget immortalis, nequè morte animæ, quæ sit peccatum, quia erit confirmatus in gratia, nequè morte, quæ sit æterna illa damnatio: nam qui semel perseveravit usquè ad finem, in æternum salvus erit; ni damnatam illam pericylosim, quam Origenes commentus est, suscitare velimus. Non ergo habebit partem in his, utpote confirmatis in gratia, & gloria, mors secunda, quippe mors secunda est præcipitatio in infernum, de quo, & de morte dicit ibidem Joannes. *Missi sunt in stagnum ignis. Hæc est mors secunda.*

ad Rom. 7.

Apoc. 20. 14.

XLIV. Hinc primo solvuntur argumenta supra scripta numero 32. in favorem Millenariorum: Ad primum nego minorem quoad ultimam partem, quoniam datur repugnantia ex alio capite, nimirum ex communi intelligentia Ecclesiæ, quæ optima regula est intelligendi caput istud vigesimum Apocalypsis (sicut cæteras etiam scripturas) in quo stat arx sententiæ contrariæ. At communis omnium, aut ferè omnium Patrum, & Theologorum sententia post auditam, & perpensam istam interpretationem capitis illius, illam rejicit, & intelligit caput illud in sensu, quem paulo antè exposui; Ergo est repugnantia contra istum sensum obvium, materialemque illius capitis, rationabiliterque recurrimus ad sensum figuratum multorum verborum capitis istius. Ad primam confirmationem respondeo: Non omne, quod inspectum ex uno solo latere congruum est, protinus admitti debet, quoniam multa secundum unam solam considerationem sunt congrua, quæ absolutè, ac simpliciter, omnibusquè consideratis incongrua sunt. Hujusmodi est res præsens, quoniam ista sententia trahit secum, quod resurrectio, & judicium universale differatur per mille Annos post Antichristum. Hoc autem incongruum, imo impossibile est, suppositâ illâ prædictione Christi Domini, qui interrogatus à Discipulis *de consummatione sæculi*, quam immediatè subsequetur resurrectio & judicium generale (ni fingamus creaturum DEUM aliam sobolem hominum non descendentium ex Adamo, aut resurrecturos aliquos ex prius mortuis, ut homines gignant, occupaturos terram per illos mille Annos) respondit tribulationem futuram tempore Antichristi, & addidit. *Statim autem post tribulationem dierum illorum*, sol obscurabitur &c. Ægrè autem verificatur *statim*, futurum, quod non erit, nisi

Matth. 24. Marc. 13.

post

post mille Annos: similiter cum prædixisset ibi Evangelium prædicandum *in universo orbe*, adjungit. *Et tunc veniet consummatio*, à quibus duobus textibus nequeunt adversarii se se explicare, nisi & ipsi recurrant ad sensus figuratos: Cur ergo dedignantur recursum nostrum pro explicatione illius capitis vigesimi Apocalypsis? Ad 2. confirmationem, cæteris concessis, nego, quod tempus prædictum à Daniele, & Paulo, non sit, quando totum genus humanum sit partim in cœlo, partim in inferno. Quoniam illud *servient* Danielis optimè explicatur per illud Pauli *subjecta illi omnia*, qui autem erunt in inferno, tametsi jugiter blasphement Christum, subjecti erunt huic velint, nolint, sicut modò etiam subjectæ sunt omnes infernales potestates, licet blasphemæ: Et quamvis ex hypothesi, quod altera pars hominum sit in cœlo, non sit multum, quod Christo serviat; Multum tamen dicunt ambo de Christo, quando dicunt, totum genus humanum futurum aliquando in statu, in quo subjectum sit Christo, vel sicut filii dilecti subduntur dilecto Patri, vel sicut rabida mancipia subjacent præpotenti Hero. Ad 3. dico: quod licet corporibus gloriosis non repugnet ex natura rei, neque ex scripturis, comedere & bibere, repugnat tamen ex communi Ecclesiæ intelligentia, quod habitualiter facturi sint sancti redivivi actiones istas: Quoniam intelligentia communis illarum promissionum Christi Domini est de esu, & potu in sensu anagogico, hoc est de carentia omnium appetituum bestiis communium in cœlo; atque de satietate omnium appetituum rationalium, & Angelis communium, quia homines in resurrectione vitæ *erunt sicut Angeli DEI.* *Matth. 22.*

CAPUT IV.

De bestiis præfigurantibus, quæ futura sunt in ultimo quadriennio.

XLV. MIrum non est, quod bestiarum hieroglyphicis prædixerit, quæ futura sunt in ultima periodo mundi, qui bestiarum quoque heroglyphicis præfiguravit suos Evangelistas. *In medio ejus similitudo quatuor animalium*; Imo & se ipsum: *Sicut Moyses exaltavit serpentem in deserto, ita exaltari oportet filium hominis, ut omnis, qui credit in ipsum, non pereat.* Item: *Ecce vicit leo de tribu Juda*: Et rursus: *Ecce in medio throni, & quatuor animalium, & in medio seniorum, agnum stantem tanquam occisum &c.* Quatuor itaque bestiarum spectris docuit nos DEUS, quantum nobis à fine mundi distantibus sufficiebat, & quantum capient fideles, tunc victuri (ut his prædictionibus muniantur adversus fallacias Antichristi, & sui præcursoris) quæ futura sunt in eo calamitoso tempore. Prima bestia est illa, quæ Danieli obversata fuit quarto loco, aliquo ex eis modis, quibus visiones Propheticæ poterunt contingere ut philosophabar capite 2. *Ecce bestia quarta terribilis, atque mirabilis &c.* Spectrum hoc juxta interpretationem, quam ibi dedit Danieli unus de assistentibus, & juxta communem intelligentiam, præfigurabat imperium Romanum, non solum activè sumptum pro senatu, & imperatoribus; sed etiam, & fortè multo magis, passivè acceptum, pro vastitate regionum, quibus componebatur. Dixit enim ille assistens de cornibus, quæ erant in bestia illa: *Cornua decem ipsius regni decem reges erunt; Et alius consurget post eos, & ipse potentior erit prioribus, & tres reges humiliabit: & sermones &c.* Quibus verbis significari videtur, quod in imperio Romano, id est in regionibus, quibus constabat Romanum imperium futuri sint decem reges, aut quasi reges, post quos, & inter quos erumpet Antichristus, initio quidem modicus princeps: *Ecce cornu aliud parvulum, ortum est de medio eorum*, sed postea partim fraude, partim vi, omnes alios subjiciet, atque Monarchia universali, saltem totius antiqui Romani Imperii, atque regionum tunc notarum Danieli, & hominibus, quos tunc alloquebatur, potietur: quia ut

Ezech. 1. *Joan. 3.* *Apoc. 5.* *Dan. 7.* *Ibid. v. 24.* *Ibid. v. 8.*

ut dicit Joannes, ex arcano judicio
Apoc. 13. DEI *data est illi* (nempe Antichristo præfigurato per illam bestiam, quam initio capitis ait se vidisse *ascendentem de mari*, & cui dedit Draco, nempe magnus Diabolus *virtutem suam, & potestatem magnam*, quia ille non agetur à Diabolis ordinariis, sed à summo ipso præfecto infernalium cohortium) *potestas in omnem tribum, & populum & linguam, & gentem*; Et hoc vel absolutè, ac simpliciter, eo quod nec unus angulus futurus sit in orbe terrarum, qui non pareat Antichristo; vel *in omnem* subjectæ materiæ; nimirum antiqui imperii Romani, quale erat, cum Joannes hæc scribebat: Frequens enim est in scriptura usus propositionum universalium, non utiquè in sensu summulistico; sed in sensu restricto ad subjectam materiam, de qua tunc est sermo. Habemus itaquè ex symbolo hujus primæ bestiæ, quod inter decem principes, qui possessuri sunt regiones antiqui Romani imperii, & consequenter in aliqua ex his regionibus consurget undecimus princeps, & hic erit Antichristus ipse, quoniam de undecimo eo
Dan. 7 25. dixit Dianieli ille assistens: *Sermones contra excelsum loquetur, & sanctos altissimi conteret, & putabit quod possit mutare tempora, & leges, & tradentur in manu ejus, usque ad tempus, & tempora; & dimidium temporis* hoc est usquè ad tres annos, & dimidium: Quæ omnia sunt notæ Antichristi ipsius juxta communem intelligentiam.

XLVI. Secunda bestia, quam sequente capite amplius exponam, est Draco ille coronatus, de quo Joannes. Hoc spectrum præfigurabat magnum ipsum Diabolum, qui ultimo illo quadriennio incipiens solvi à carcere & catena, quibus nunc compescitur, id est permissus à DEO specialiter sævire: *Cum consummati fuerint mille anni, solvetur Satanas de carcere suo, & exibit*, ut supra explicui, & sciens, quia modicum tempus habet. *Oportet illum solvi modico tempore*, non per suos emissarios & inferiores Diabolos, sed per se ipsum immediatè ut summus præfectus exercitus facere solet in ultimo desperatus conflictu, bellum illud Gogi, & Magogi excitabit contra mulierem amictam sole, hoc est, ut mox dicam contrà Ecclesiam consistentem in senatu, cætu, congregatione, seu Synodo ex Episcopis, & senatoribus Ecclesiæ cum suo capite: videns autem irritos conatus suos contra Ecclesiam; Nam *portæ inferi non prævalebunt adversus eam*, quoniam licet multi ex fidelibus prævaricaturi sint; Ast senatus Ecclesiasticus gratiâ DEI stabit, sicut post prælium alliense stetit senatus Romanus, quamvis legiones omnes trucidatæ, aut dissipatæ fuerint; noscens item primum, Ministrum DEI in Ecclesia illa defendenda esse antiquum suum antagonistam Michaelem, quia scriptum est à Daniele: *In tempore autem illo* (illo inquam, non solum Antiochi, quo præcesserat sermo, sed etiam in tempore *illo ultimo mundi* quod præfigurabatur tempore calamitoso Antiochi, ut adverti supra n. 9. juxta frequentes, acrepentinos transitus scripturæ ex rebus veteris testamenti ad res testamenti novi) *consurget Michael princeps magnus, qui stat pro filiis populi tui*, erigetur contra hunc: Et ambo summi imperatores, unus militiæ cœlestis, & alter tartareæ, committent illud prælium, quod ibidem Joannes meminit. *Factum est prælium magnum in cœlo*, (aëreo utique, quia non est dicendum, Dœmones redituros unquam ad Empyreum ipsum, ex quo ab initio deturbati fuerunt; Et dicitur *factum* juxta consuetudinem Prophetarum, quam Decade 5. notavi, ponendi præteritum pro futuro, innuendi ergò certitudinem futuritionis) *Michael, & Angeli ejus præliabantur cum Dracone, & Draco pugnabat, & Angeli ejus.*

XLVII. Porrò cum Angeli entitativè in se ipsis nec sint substantiæ corporeæ, nec armis materialibus inter se ipsis utantur (nisi dicamus Diabolos pugnaturos in corporibus, ad quæ gestanda potuerunt damnari in dedecus

cus suum juxta id, quod scripsi Disp. 2.) totum hoc prælium consistet physicè, ac ex parte rei in acerrima concertatione coram DEO, acerrimaquè disputatione merè intellectuali utrorumquè Angelorum inter se, (vide initium capitis 3. Zachariæ) super seductione, atq; indurationo per suggestiones interiores, perquè exteriores tentationes, si non omnium penitus mortalium illorum, quia obstat divinum decretum, ne sancta Ecclesia prorsus aboleatur antè diem extremũ; at ferè omnium saltem; insistentibus Diabolis, omnes eos mortales propter sua demerita (abundabit namq; tunc iniquitas, & refrigescet charitas multorum) deberi sibi socios. Unde ibi vocatur Diabolus *accusator fratrum nostrorum, qui accusabat illos antè conspectum Dei nostri, die, ac nocte* v. 10. sed resistet Michael cum suis, appellantibus JEsu Christi sanguinem, & misericordiam DEI miserturi hominum: *Quoniam ipse cognovit figmentum nostrum*: Sed cum dictum sit Danieli. *In tempore illo salvabitur populus tuus omnis, qui inventus fuerit scriptus in libro*, ideo Angeli perversi *non valuerunt neque locus inventus est eorum amplius in cœlo*; quatenus repulsam habuerunt à divino Tribunali, in qua repulsa stare videtur illud. *Projectus est Draco ille magnus serpens antiquus &c.* Et quia tunc forsan revelabit DEUS beatis, quot, & quinam ex hominibus in ea calamitate temporum viventibus, promovendi sunt ad æternam fælicitatem, hac de causa audivit Joannes ibidem fausta illas acclamationes beatorum. *Nunc facta est salus & virtus, & regnum DEI nostri, & potestas Christi ejus*, propter cujus merita enervatam videbunt contentionem diabolicam, item illam: *Propterea lætamini cœli &c.* Sed quemadmodum Pastor ille, etiam victus adhuc contendebat. *Et victum frustrà contendere thyrsim*; Et quemadmodum qui in ludo pecuniario victus est, parietes pugnis, & solum pedibus contundere solet, non ut amissas pecunias recuperet, sed ut rabiem exhalet, ita Diabolus cum suis victus in ea disputatione, & altercatione cum sanctis Angelis, actrocissimè sæviet in terra: Unde audivit Joannes beatos dicentes. *Væ terræ, & mari, quia descendit Diabolus ad vos habens iram magnam &c.* & artes, quibus sæviit, notat ibi.

Ps. 89.

Dan. 12.

Apoc. 12

Virgil. Eclog. 7.

XLVIII. Nequè est alienum à natura Angelica præliari inter se quoad intellectum, & voluntatem, quando utrique Angeli sunt mali, aut quando alteri sunt boni, & alteri sunt mali; nequè præliari inter se quoad solum intellectum, servatâ immobili reciprocâ benevolentiâ, quando utriquè sunt boni: Etenim ex una parte Angeli non sunt omniscii ex natura sua, ut constat, nequè habemus fundamentum ad dicendum, quod DEUS ipsis revelat veritatem, omnium omninò rerum, quæ illis veniunt in mentem, præsertim circa fines, & consilia divinæ providentiæ in ordine ad plurima individua humana; Ergò quoad arcana hæc possunt judicare diversimodè juxta diversitatem suarum mentium, atquè juxta diversitatem rationum ipsis occurrentium: Ergo super iis rebus possunt contendere inter se: Ex alia parte, quamvis DEUS non concedat illis libertatem indifferentiæ quoad meritum præmii, aut pœnæ essentialis, siquidem neutri Angeli sunt amplius in statu viæ; at quoad multa alia conservat illis DEUS liberum arbitrium: non enim debemus dicere, Angelos omnes, quoad omnes penitus actiones suas agi irresistibiter instar mutorum animalium: & ex præceptis impositis per Ministros Energumenis, nec non ex invocationibus, quibus Magi Diabolos solicitant, & ex fallacibus auxiliis, quibus hi favent illis, & ex precibus, quibus nos imploramus auxilium sanctorum Angelorum, sufficienter elicitur, utrosquè Angelos fungi libero arbitrio quoad multa, & non esse tanquam statuas, aut stypites: Cur ergo in rebus quarum veritatem non habent exploratam evidentia metaphysica, non possunt sequi alii unam partem, & alii aliam, & consequenter disputare, ac contendere inter se: Rursus cur non possunt appellare supremum judicem contro-

versiarum omnium nempe DEUM: Hoc erit præliari inter se, & contendere coram DEO, à quo cum magnus Diabolus accepturus sit repulsam in ultimo illo conflictu cum Michaele, hac de causa potuit scribere Joannes. *Projectus est Draco ille magnus serpens antiquus*, & de suis lateronibus: *non valuerunt neque locus inventus est eorum amplius in cœlo;* id est non fuerunt auditi, quin immo publicatum fuit divinum decretum, quod multi ex ultimis illis hominibus dandi erant Christo; sub velamine quippè rerum harum materialium, quarum assueti sumus homines (quibus Joannes scribebat, & non Angelis) dat nobis actiones, passiones, & reliqua accidentia vitæ Angelicæ. Deniq; novum non esse hoc prælii genus inter Angelos, constat, tum ex beato Juda scribente: *Cum Michael Archangelus cum Diabolo disputans altercaretur de Moysi corpore, non est ausus judicium inferre blasphemiæ, sed dixit. Imperet tibi Dominus.* En recursum ad supremum disputationis arbitrum: Tum ex Zacharia sic referente periculum JESU sacerdotis magni, *satanas stabat à dextris ejus, ut adversaretur ei, & dixit Dominus* (nempe Angelus ille coram quo stabat ille sacerdos) *ad satan increpet Dominus in te satan, & increpet Dominus in te.* Tum ex Gabriele, qui dixit Danieli: *Princeps autem regni persarum restitit mihi* (vel immediatè, ac directè mecum disputans, vel mediatè, ac indirectè, suggerens videlicet regi cogitationes meis contrarias) *viginti, & uno diebus: Et ecce Michael unus de principibus primis venit in adjutorium meum, & ego remansi ibi juxta regem persarum* nempe, ut meo modo inspirarem illi voluntatem, quæ tandem prævaluit, concedendi libertatem populo tuo. Et Rursus. *Nunc revertar, ut prælier adversum principem persarum, cum ego egrederer, apparuit princeps Græcorum veniens.* Demum: *Nemo est adjutor meus in omnibus his nisi Michael princeps vester:* Sivè ergo principes illi persarum, atque Græcorum fuerint Angeli boni, sivè Angeli mali, utrolibet modo constat, alienum non esse ab Angelis præliari inter se, & præliii genus non fieri per corporalia arma, sed per disputationes inter illos, per appellationes ad tribunal divinum, per internas suggestiones, externaque motiva respectu hominum, quos uniquique Angeli conantur attrahere ad suam sententiam.

Epist. Cath. v. 9.

Zach. 3.

Dan. 10.

XLIX. Deniquè bellua hæc, seu Draco, & serpens antiquus obiiciebatur Joanni, *habens capita septem, & coronas decem, & in capitibus ejus diademata septem.* Hæc cornua non coronata, & hæc coronata capita videntur significare in sensu litterali juxta explicationem similis, aut ejusdem spectri, quod narrat postea capite 17. personas septemdecim, quæ fuerant, & futuræ erant non vulgaria, & privata instrumenta Diaboli contra Ecclesiam, sed regia, & primaria; cum hoc tamen discrimine, quod ex eo numero septem erant reges simpliciter, & absolutè tales, alii vero decem erunt dynastæ, qui inter cap. 17. vocantur reges, non quia reges sint, sed quia *potestatem tanquam reges una hora accipient*: Et sicut imperator exercitus in ultimo, & definitivo conflictu procedere solet armatus, & ornatus antiquis præsentibusquè trophæis, ita magnus Diabolus objectus Joanni ut in ultimo conflictu cum Ecclesia, objicitur armatus, & ornatus septem capitibus coronatis, hoc est septem regibus, qui ab initio maximè adversati sunt Ecclesiæ, sive congregationi fidelium, nec non decem dynastis, qui quasi reges erunt, & in illo ultimo quadriennio, vel paulo ante, *unum consilium habent, & virtutem, & potestatem suam bestiæ tradent, hi cum agno pugnabunt*: digni ergo sunt, quibus Diabolus armatus, & ornatus appareat. Porrò illi septem reges magis intensi religioni, ac congregationi fidelium, ac de quibus ibidem dictum fuit Joanni, *quique dicerunt*, (undè apparet, quod illa coronata capita non præfigurant reges futuros tantum, sed etiam præteritos) *unus est, & alius nondum venit*, possunt esse primus *Nembrot*, qui videtur fuisse primus

Dan. 7

mus

mus post diluvium, qui homines avertit à veri DEI cultu ad idololatriam: Secundus *Pharao* ille notissimus propter suam obstinationem contra DEUM, & propter sævitiam contrà Ecclesiam hæbream. Tertius *Jeroboam, qui peccavit, & peccare fecit Israel*, ut sæpissimè inculcat scriptura: Quartus *Nabuchodonosor*, qui post excisam Hyerosolimam, post incensum templum DEI, post Ecclesiam illam adductam in captivitatem, coëgit judæos ad statuam adorandâ, quintus: *Antiochus* non minus notȝ ex libris Machabæorum ob suam impietatem ergà DEUM, & suam sævitiam adversus Ecclesiam Judæam. Hi omnes reges digni, qui essent coronata capita in figurâ exprimente magnum Diabolum, jam ceciderant: Sextus potuit esse *Nero*, aut *Domitianus*, prout fuerit tempus in quo hæc scripsit Joannes. Septimus potuit esse *Diocletianus*, aut Julianus, dignus quilibet, ut esset caput coronatum in hieroglyphico Diaboli acerrimè adorientis sanctam Ecclesiam: Quamobrem ex toto ornatu hujus belluæ, illi soli decem principes, qui quasi reges erunt, sed cornibus non coronatis, significantur, ad ultimum quadriennium mundi spectant: Neque propterea tacitus prætermittitur Antichristus, qui omnium inimicorum Ecclesiæ maximus erit: Quoniam cum his evasurus sit è medio illorum decem cornuum, id est decem Dynastarum juxta Prophetiam Danielis, & illorum spoliis exaltandus sit, ita ut Monarchia illius componenda sit ex ditioribus horum, perinde fuit dicere Diabolum armari, & ornari eis decem principibus, ac dicere armari, & ornari Antichristo, in cujus substantiam illi transibunt. De Gog autem, Magog, & cæteris populis septentrionalibus, ultimum atrociſſimum bellum moturis contra Ecclesiam, non opus fuit ponere symbolum speciale in Dracone, quia hic in eo capite duocecimo Apocalypsis proponitur, ut belligerans contra Ecclesiam, ut talem, id est contra religionem, ut illius capitis contextus innuit; Gog vero, & tota illa famelica turba borealium populorum primariè, ac directè movebit bellum contra illas reliquias Ecclesiæ, quæ paucos dies erunt superstites Antichristo propter *aurum, argentum, & spolia cætera*, ut constat ex Ezechiele capite 38. quæ putabant asportasse secum quando Antichristum fugiebant.

Dan. 7.

L. Hinc decem illa cornua Diaboli, seu decem illi ultimi principes, inter quos evasurus est Antichristus, & qui huic paraturi sunt viam, memorantur quinquies in scriptura. 1. apud Danielem: *Porrò cornua decem ipsius regni reges erunt* (nempè quia, ut suprà notavi ex Joanne *potestatem tanquam reges unâ horâ accipient*, & frequenter scriptura, sicut etiam vulgaris modus loquendi, tribuit rebus nomen illus, quod non sunt, videntur tamen esse, v. g. *Abscondisti hæc à sapientibus, & prudentibus*; cum tamen hi cæci essent, & duces cæcorum. Vide Decadem 4. ubi hoc fusè ostendi) *& alius consurget post eos &c.* Antichristus nimirum, qui ibi describitur: Cumquè hic ibidem, v. 8. dicatur nasciturus *de medio eorum*, & illi futuri sint principes, seu reges in ditionibus Imperii Romani, cujus imago tunc obversabatur Danieli, & quidem imperii hujus prout erat, quando erat *bestia quarta terribilis, atque mirabilis, & fortis nimis*, videtur sequi Antichristum nasciturum in medio ditionum antiqui Romani Imperii; Ergò non in Sina, aut in America, aut in ulla alia ex regionibus, quæ nunquam agnoverunt illud imperium, imo nequè in hujus confiniis, sed in medio saltem morali ejusdem. 2. apud eundem sub typo decem illorum digitorum pedum, in quos desinebat statua præfigurans imperia, & in quos partim ferreos, partim fictiles desinebat Imperium Romanorum, & quos percussit lapis ille. 3. apud Joannem dicentem, ubi nuper. *Draco magnus rufus habens capita septem, & cornua decem*, quæ cornua alludere videntur ad illa decem quoq; cornua, quæ vidit Daniel in Romano Imperio, & consequenter videntur

Dan. 7.

Matth. 11.

Apoc. 17. v. 14.

signi-

significare illos eosdem decem Dynastas, & quasi reges, quibus armatus, & glorioſus apparebat Draco, tanquam cornibus pugnaturus cum agno, ſed per hunc confringendis juxtâ Joannem. 4. memorantur apud hunc eundem dicentem de Antichriſto, ut mox exponam. *Vidi de mari beſtiam aſcendentem, habentem capita ſeptem, & cornua decem, & ſuper cornua ejus decem diademata, & ſuper capita ejus nomina blaſphemiæ.* Hic jam apparent cornua coronata, quia Dynaſtiæ illorum decem principum, cum appareant in beſtia præfigurante Antichriſtum, apparent ut devolutæ ad hunc, & huic incorporatæ; Unde apparent ſub corona regia. Septem autem capita ſignificantia ſeptem reges, apparent exauthorata, & ſine coronis, prò quibus blaſphemias geſtant *ſuper capita ejus nomina blaſphemiæ*: Quoniam ſeptemdecim illis regionibus devolutis ad Antichriſtum, aſcendent ad incorporationem cum regia corona illæ, quæ erant Dynaſtiæ; & deſcendent ad qualitatem, & nomen provinciarum, regna, quæ ſimpliciter erant regna, quæque propriis coronis orbabuntur, eo quia ſub communi corona confundentur cum aliis, atquè ideo in blaſphemias prorumpent illæ gentes contrâ DEUM, quod ſe videant ſub jugo Antichriſti propriis regibus extinctis; vel potius capita illa apparent ſine coronis, quia tempore Antichriſti jam ardebunt in inferno ſeptem illi reges, quos nuper memini quorum tamen impietatem, ac ſævitiam geſtabit in capite Antichriſtus, ut inſigne ſuum. 5. apud eundem, qui loquens de beſtia coccinea ſcribit: *Quæ habet capita ſeptem, & cornua decem*: Neutra apparent hic coronata; ſed ex dictis prius ab eodem Joanne ſatis apparet utrorumquè qualitas. De capitibus dicit ibidem, quod ſignificant ſeptem colles (nempe Romanos) & ſeptem reges, quos ſupra memini, quorum impietatem contrâ DEUM, & ſævitiam contrâ Eccleſiam hæreditavit priſcum Imperium Romanum, licet ipſi Romani non fuerint. De cornibus autem ait, quod ſignificant decem principes, ſivè reges, *qui regnum nondum acceperunt.* Undè conſtat Joannem non loqui hic de principibus præteritis, ſed de futuris. Quamobrem Daniel, & Joannes conſtanter prædicunt, decem illos principes occupaturos ditionem antiqui Romani imperii inter quos erepturus eſt Antichriſtus, & quos ſibi ſubjugaturus eſt. Joannes adjungit ſeptem capita coronata, ſivè reges ſeptem, quibus Diabolus armatus eſt, prælians contra Eccleſiam, & quibus etiam armabitur Antichriſtus imitando, & ſuperando eorundem impietatem.

Ibid. c. 13.

Ibid. c. 17.

§. Secundus.

LI. TErtia beſtia eſt, quæ Joanni apparuit, & de qua dicit; *Vidi de mari beſtiam aſcendentem, habentem capita ſeptem, & cornua decem.* Hæc beſtia in primis non ſignificat immediate, ac directe Diabolum in ſenſu literali: Quoniam ab eodem contradiſtinguitur ibi. Dicitur enim. *Dedit illi Draco virtutem ſuam*, & rurſus, *Adoraverunt Draconem, qui dedit poteſtatem beſtiæ, & adoraverunt beſtiam.* Res ergo diſtinctæ ſunt Draco, nempe Diabolus, & beſtia illa. Deinde neque ſignificat Antiochum, aut Romam, aut Romanum Imperium, ſed Antichriſtum ipſum. Huic enim, & non illorum ulli, conveniunt quæ Joannes dicit de beſtia, v. g. quod *data eſt ei poteſtas facere menſes quadraginta duos*, id eſt regnare tres annos cum dimidio, hoc ſæpe de Antichriſto prædicitur in ſcriptura, nunquam autem de ullo illorum: item quod numerus ejus ſexcenti ſexaginta ſex, quod ænigma paſſim accipitur de ſolo Antichriſto, & licet modo non intelligatur (cum ſint multa nomina vivorum, quibus habetur ille numerus) cum noſtra parum, vel nil referat ſcire nomen Antichriſti naſcituri poſt mortem noſtram. Aſt intelligetur ænigma à fidelibus tunc victuris, quorum intererit dignoſcere quamprimum nequam illum, & prò quorum præſertim inſtructione ſcribit hæc Joannes, ut moniti diſcant vitare ſævientem illam belluam, &

Ibid. c. 13.

non

non credere fallaciis præcursoris sui, qui depingitur ibi instar agni. Hæc bestia dicitur ascendere è mari, vel quia reipsa, potente classe armatus, incipiet Antichristus negotium suum subigendi totum saltem antiquum imperium Romanum, siquidem multoties per viam maritimam adepti sunt homines magna imperia, (ut Anglo saxones adepti fuerunt Britanniam, Castellani Indiam Occidentalem, Lusitani Orientalem) quamvis non rarò per viam terrestrem, ut Arabes obtinuerunt Africam, & magnam Hispaniæ partem, & Alexander obtinuit Persiam, & Tartari obtinuerunt Sinam; vel quia, cum marinæ belluæ ob humiditatem, atque pinguedinem elementi, in quo generantur, concipiuntur, eduntur, aluntur, impunequè vagantur, soleant esse longè majores, atquè truculentiores, utitur Joannes hac metaphora marinæ bestiæ, ad ostendendum immanitatem atq; truculentiam Antichristi. Pro hoc casu bellorum, quæ Antichristus geret ad obtinendam universalem illam Monarchiam, dictum videtur illud: *Audituri enim estis prælia & opiniones præliorum.* Item, *surget enim gens in gentem, & regnum in regnum, sed nondum est finis.* Non enim poterit ascendere ille ad universalem Monarchiam, quin magna sint bella initio, & consequenter *nondum finis.*

LII. Dicitur præterea habere septem capita, quia sicut suus princeps magnus Diabolus proponitur, capite antecedente, ornatus septem illis regibus, qui ab initio maximè infensi fuerunt pietati, religioni, cætuiquè fidelium juxta num. 49. Ita Antichristus veniet armatus eorundem septem regum impietate ac blasphemiis, atquè ideò signanter dicitur, quod *super capita ejus nomina blasphemiæ;* ebibet namquè ille iniquus blasphemias in se uno septem illorum regum, sicut spongia aquam: verb. grat. blasphemiam Pharaonis: *Quis est Dominus, ut audiam vocem ejus, & dimittam Israel? Nescio Dominum.* Item blasphemiam Caldei. *Et quis est DEUS, qui eripiet vos de manu mea?* Item Jeroboami vocem sacrilegam: *Ecce Dii tui Israel, qui te eduxerunt de terra Ægypti &c.* Non enim absquè causa dictum est de Antichristo sub figura illius cornu initio parvi, & postea potentissimi, quodquè exortum est in medio decem cornuum, *sermones contra excelsum loquetur*, & prius quod habebat *os loquens ingentia*, & audacia hæc rapuit ad se attentionem Prophetæ, *aspiciebam propter vocem sermonum grandium quos cornu illud loquebatur.* Jure itaque, tertia hæc bestia Antichristum præfigurans, objicitur Joanni cum septem capitibus, coronatis nominibus blasphemiæ, innuendi ergò, eum præcontenturum in se, quoad blasphemias contra excelsum, septem illa capita regia, quæ magis infamia fuerunt ob blasphemias contra DEUM. Dicitur præterea habere cornua decem coronata: Quoniam Antichristus habebit substantiam, & dominia decem illorum toti esnominatorum regum, aut quasi regum, inter quos divisum erit, paulo antè ultimum quadriennium mundi, antiquum Romanum imperium, quia de hoc signanter loquitur Danieli assistens ille, quem consuluit, quando dicit, quod cornua decem illius belluæ *decem reges erunt, & alius consurget post eos*, nempè Antichristus juxta characterem, quem ibi affigit ei: Etenim antiquũ est in omni litteratura dicere, quod homo habet eum, cujus substantiam nactus est, ac possessiones, ut ostendo Decade 5. numero 45. verb. grat. *ipsum rapiet armatus*, id est, ipsius substantiam, remque familiarem armatus miles auferet: Et illud ferentianum. *Hunc tibi devorandum propino*, id est, hujus supellectilem, & illud alterum, *gustasse de sene*, id est aliquid de senis re nummaria subripuisse. En probabiles rationes, propter quas potuit apparere Joanni bestia præfigurans Antichristum ascendens è mari, atque gestans septem illa capita, & decem cornua, & hoc in sensu litterali, & historico Pro-

Matth. 24.

Exo 5.

Dan. 3 15.

3. Reg. 12.

Dan. 7. 25.

Ibid. v. 24.

Job. 5.

phetico; nam si allegoricis, ac moralibus sensibus pascaris, invenies abundè in sylva Ascæticorum. Denique de Diabolo inquit Joannes initio hujus capitis 13. ut aliqui putant, vel in fine capitis præcedentis, ut in vulgata habetur, quod cum videret se non posse assequi fugitivam illam mulierem alatam, *abiit facere prælium cum reliquis de semine ejus, qui custodiunt mandata DEI, & habent testimonium JESU Christi; Et stetit supra arenam maris, & vidi è mari bestiam ascendentem &c.* Nempè quia videns Diabolus se non potuisse apprænhendere cœtum, & senatum Episcoporum cum suo Episcopo (hoc est se non potuisse assequi Ecclesiam, cujus typus erat illa mulier amicta sole, ut infra dicam) eo quod divinitus adjuti fugerunt Roma (& hæc fortassis est discessio, nempè Ecclesiæ ab ea urbe, quam venturam primum innuit Paulus) propter persecutionem illorum decem principum, de quibus dicitur. *Hi unum consilium habent, & virtutem, & potestatem suam bestiæ* (nempè Diabolo, ut mox dicam, cui typus erat illa bestia) *tradent. Hi cum agno pugnabunt, & agnus vincet illos &c.* & paulo post. *Hi odient fornicariam* (nimirum Romam in sensu quem infra explicabo) *& desolatam facient illam, & nudam, & carnes ejus manducabunt & ipsam igni concremabunt, DEUS enim dedit in corda eorum, ut faciant, quod placitum est illi.* Videns inquam Diabolus hoc, tunc insectaturus fideles, seu reliquum populum Christianorum, *stetit in littore maris*, quasi marinum monstrum sibilo excitaturus, & excitabit Antichristum, quem decem illis principibus, qui Romam subvertent, sufficiet, & cui illi sponte, aut vi, vires potestatem, atquè ditiones tradent, ut laterone suo adjutus, nempè suo Pseudopropheta, Christiani nominis reliquias extirpet; Plagam gladii, quam in uno ex suis capitibus accipiet hæc bestia, exponam infra numero 61.

2. ad Thessal. cap. 2.

Apoc. 17.

LIII. Quarta bestia, quæ objecta fuit Joanni gestans sedentem meretricem, non significat Antichristum; sed Diabolum ipsum: Quoniam bestia illa gestabat suo dorso infidentem urbem antiquam Romanam, purpuratam, & quasi triumphantem: At Antichristus non gestabit illam supra se, cum destructam, atque combustam inventurus sit illâ per decem eos principes, quibus succedet, ut paulo antè dicebam ex capite 17. Apocalypsis; Ergo bestia illa non significat Antichristum. Major videtur certa: nam cum ibi dixisset Joannes, *mulierem ebriam de sanguine sanctorum, & de sanguine Martyrum JESU*, propter immensum sanguinem Christianorum, qui effusus est in ea urbe; Item sedere suprà septem montes, seu colles; *septem montes sunt, super quos mulier sedet*, quæ sunt duo satis clara indicia urbis antiquæ Romæ: Concludit caput interpretatione ibi ab Angelo data: *Et mulier, quam vidisti est civitas magna, quæ habet regnum super reges terræ*: Sola Roma erat talis tempore Joannis: Sicut ergo imperator exercitus quando propria manu obtruncabat Imperatorem exercitûs victi, gestabat gloriabundus super humeros suos spolia illius, quæ dicebantur *opima*, solebatquè insigniri nomine gentis victæ, verb. grat. *Scipio Africanus: Cæsar Germanicus &c.* ita Diabolus propositus fuit Joanni in eo capite 17. Coccineus, & quasi gloriabundus portans supra se, non tanquam onus, sed instar honoris, & trophæi urbem illam Romam. Hæc dicitur ibi *habens poculum aureum in manu sua plenum abominatione, & immunditia fornicationis ejus*, quia venustis illis, & quasi auratis verbis, *Dii immortales. Religio*, & similibus, seducebat plurimos populos, invitabatquè ad idololatriam (quæ nomine fornicationis passim explicatur in scriptura) retrahendo eos ab unius veri, & summi DEI cultu: Vocatur item *Babylon magna, mater fornicationum, & abominationum terræ*, propter confusionem ac omnium errorum commistionem, quæ in urbe ea regnabat,

bat, & ex ea diffundebatur per totum suum Imperium. *Hic omnium sacrilegorum impietas destruenda*, (inquit de illa Roma sanctus Leo) *ubi diligentissimâ superstitione habebatur collectum, quidquid usquam fuerat variis erroribus institutum.* Et postea conversus ad Petrum *sylvam istam frementium bestiarum, & turbulentissimæ profunditatis oceanum constantior, quam cum supra mare gradereris, ingrederis.* Romani quippe illi, vel superstitione seducti à Diabolo per Numam ipsorum legislatorem, qui nocturna sua commercia cum DEA *Ægeria*, id est, cum Diabolo succubo, illis venditabat; vel callida ratione status adducti, magna veneratione, saltem externa, prosequebantur aliorum populorum idola, ut vel fidelitatis haberent apud se pignora, nec non benevolentiæ, vel magnum armamentarium, quasi cœleste possiderent, quo simplices illas priscas, & rudes gentes terrerent de cœlo. Sic à Trojanis, & Græcis acceperunt varia idola; sic à vicinis Etruscis, quamvis æmulis, habuerunt ritus varios: sic eorum Rex Numa dicti nocturni Diaboli prætendebat oracula: sic à Veys conciliarunt sibi junonem, tametsi Diabolum factionis contrariæ, sic senatores fabula romuli in DEUM conversi tumultuantem populum sedarunt, & sibi conciliarunt: sic camillus nequiens cohibere plebem, veys inhiantem, ad solitum confugit frænum, nempè ad religionem deorum capitolii, quasi huic affixi hinc moveri non possent viros: sic Imperatores Romani reverentia DEorum immortalium purgare sibi videbantur immanitatem effundendi tantum Christianum sanguinem, ex cujus multiplicatione ruinam status temporalis timebant. Antiquam itaque fuisse videtur illi genti à Diabolo deceptæ, quasi religioni militare, & interea sibi, & suo imperio vincere. Gestabat ergò Diabolus Romam illam tanquam illustre trophæum, & tanquam babylonem confusionis omnium errorum, & tanquam matrem foventem idololatriam, ubique, & tanquam gaudium, & coronam *suam* ut paulus vocat verè fideles.

Serm. 1. de Apostolis.

Liv. lib. 1.

Liv. ibid.

ad Phil. 4.

LIV. Neque te moveat videri alienum à Joanne, quod civitatem *almam*, & sanctissimam postea futuram infamia illa notasset. *Meretrix magna, Babylon, mater fornicationum &c.* tum quia loquebatur tunc de illa, prout illa tunc erat; erat autem tunc prout nuper dixit S. Leo, tum quia consuetum in scriptura est, ut ostendi Decade 4. num. 10. quod duret nomen, quo res prius, aut nobilitabatur, aut dehonestabatur, tametsi jam cessaverit ratio illius nominis, v. g. Simon *leprosus* & tamen jam non erat leprosus, quando Dominum invitavit: *Mulier quæ erat in civitate peccatrix*, & tamen jam non erat *tunc* peccatrix, sed ad DEum conversa: *Cæci vident*, & tamen jam non erant cæci, quando videbant. Similiter loquuntur elegantes authores sæculares. *Ah virgo infelix, quæ te dementia cœpit*, & tamen jam non erat virgo: Similiter alius de alia jam exauthorata. *Illachrimat virgo.* Sancta ergo urbs Roma vocatur à Joanne *meretrix magna, Babylon, &c.* non quia est, sed quia fuit; & in remedium nostræ superbiæ vult DEUS, quod in scriptura præparatam habeamus medicinam, scilicet memoriam illius, quod fuimus, fueruntque nostri majores, sicut habebat ille, qui ad regiam clamydem assumptus audivit: *Depost fætantes accepit eum*, & sicut habebat illa, cui dictum est. *Sub arbore malo suscitavi te, ibi corrupta est mater tua ibi violata est genetrix tua*: Et illa, quæ cecinit. *Suscitat de pulvere egenum, & de stercore elevat pauperem, ut sedeat cum principibus, & solium gloriæ teneat*: Cum ergo DEUS prædestinaverit Romam, ut solium gloriæ religionis veræ teneat, mirum non est quod voluerit nomina illa proposa indelebili Charactere exarata manere: Vide infra n. 138.

Ps. 77.

Cant. 8.

1. Reg. 2.

LV. Objicies: De bestia illa dicit Joannes ibidem: *Fuit, & non est, & ascensura est de abysso*; Et iterum *videntes bestiam, quæ erat, & non est*: Atqui non

non potest hoc dici de Diabolo; nam hic est, & mortales innumeros quotidie præcipiat in barathrum suum: Ergo bestia illa non significabat Diabolum. Confirmatur; de bestia eadem repetit ibidem. *Bestia, quæ erat, & non est, & ipsa octava est, & de septem est*: At Diabolus non est ullus est illis septem regibus, quos memini num. 45. quibus tanquam coronatis capitibus septem, ornabatur Diabolus ipse, ut ibidem dicebam: Ergo. Præoccupata est hæc objectio num. 40. ubi dixi magnum Diabolum non tentare nunc per se immediatè homines, sed per asseclas suos; tentaturum verò in ultima mundi periodo, quando solvendus est juxtà ibi dicta ex Apocalypsi, & dominium ipsius, quamvis modo per se immediatè inferret bellum generi humano, nullum esse, si comparetur cum eo, quod habebat antè adventum Christi, aut cum eo, quod habebit in adventu Antichristi, atque Gog, & Magog: Quoniam antè adventum Christi, quasi impunè grassabatur per totum orbem, ut constat est historiis sacris, & sæcularibus; post adventum illum, quamvis clades inferat generi humano nec paucas, nec
ad Ephes. 2. modicas; at illas *operatur in filios diffidentiæ*, quandoquidem propter ho-
Ibid. c. 5. rum scelera *venit ira DEI in filios diffidentiæ*; & rursus quamvis Diaboli di-
Ibid. c. 6. cantur *principes, & potestates, & mundi rectores* (quæ tamen attributa possunt intelligi non de Diabolis formaliter in se ipsis, sed de honinibus illis, qui erant, ac sunt primaria instrumenta Diaboli) subjunxit. *Tenebrarum harum*, intelligens homines illos, qui sponte se dedunt expressè, aut genere ipso vivendi, Diabolo. Cæteris autem jure dicitur semel, & iterum:
1. Joan. 2. *Vicistis malignum*: Ergo jure dici potest de Diabolo. *Fuit, & non est.* Rursus plagæ quas infligit Diabolus animabus modò, pauciores sunt, facilius vitabiles, & facilius medicabiles; Tum
Joan. 16. 33 quia Dominus dicit suis. *Confidite, ego vici mundum*, id est enervavi potentissimum telum Diaboli, tum quia modo crebriora, & potentiora sunt auxilia, quibus infirmitati humanæ opitulatur DEUS, non tantum propter orationem filii sui, qui loquens de Apostolis inquit. *Non pro eis autem rogo tantum, sed & pro eis, qui credituri sunt per verbum eorum in me*, & qui *Ibid. 17. 20.* *semper est vivus ad interpellandum pro nobis, & quem advocatum habemus apud Patrem.* Tum quia licet Diabolus *1. Joan. 2.* proponatur in scripturis, ut quondam solutus, & vagus: *Circuivi terram, & Job. 1.* *perambulavi eam*, & coram ipso Christo Domino ausus sit dicere de universa potestate, & gloria mundana *cui volo, do illam* (quod intelligi poterat *Luc. 4.* in eo sensu, in quo sceleratissimi multi principes ex arcano judicio DEI sinuntur multoties non tamen semper omninò, distribuere honores, ac dignitates regnorum suorum inter eos, quos volunt, cum essentiali tamen dependentia ab eo, sine quo nec *unus passer cadit in terram*, & per quam reges *regnant*) at nunc simpliciter, & absolutè per Christum ligatus est ut apud Marcum supponitur: *Nemo potest Marc. 3.* *vasa fortis ingressus in domum diripere, nisi prius fortem alliget*: Merito ergo de bestia præfigurante Diabolum potest dici. *Fuit, & non est* De stellis ipsis dicimus orto jam sole, *fuerunt paulo antè & jam non sunt*, licet actu physicè sint in nostro Hemisphærio. Dicitur item bestia illa *ascensura de abysso, Apoc. 11.* quia in ultimo mundi quadriennio solvetur, & ex inferno erumper juxta id, quod Joannes dicit. *Posthæc oportet illum solvi modico tempore*, id est vel quator ferè ultimis annis, nempe tribus annis cum dimidio, quibus Antichristus regnabit, & paulo ante (quia hic non assequetur de repente Monarchiam universalem in unico momento) vel duodecim illis diebus quos infra dicam, nempè ebulliente innu- *Ezech. 38.* mera illa multitudine populorum septentrionalium sub Gog, de quo Eze- *Apoc. 20.* chiel, & Joannes. Denique ad confirmationem distinguo minorem. Diabolus non est formaliter ullus ex eis septem regibus concedo, & hac de causa bestia illum repræsentans dicitur *octava*, nimirum bestia ultra septem alias, & distincta ab illis: Non est virtualiter, & æquivalenter nego. Si enim

enim Dominus vocat Judam *Diabolum*, inquiens. *Ex vobis unus Diabolus est, dicebat autem Judam &c.* Si Joannem dicit esse Eliam. *Ipse est Elias*, cur Joannes non potuit dicere de Diabolo *de septem est*, nimirum de septem illis regibus est, quatenus tot artibus nocendi instructus, illis omnibus & singulis æquivalet.

Joan. 6, 71.

§. Tertius.

De quinta Bestia.

LVI. PRæter has quatuor primarias bestias, nempè imperium Romanum prænuntiatum à Daniele cap. 7. Antichristum prænuntiatum cap. 13. Apocalypsis, & magnum Diabolum expressum cap. 12. & cap. 17. Apocalypsis, ibi persequendo Romam Christianam, seu senatum Ecclesiasticum Romanum cum suo capite, ut infra dicam; hic portando super dorsum suum Romam illam meretricem; præter has inquam bestias, aliam pessimam memorat scriptura grassaturam in ultimo quadriennio. *Vidi aliam bestiam ascendentem de terra*, inquit Joannes, *& habebat cornua duo similia agni &c.* Spectrum hoc non significabat imperium Romanum quia nil speciale hujus apparebat in illo: Nequè Diabolum, quia huic contraponitur, *loquebatur sicut Draco*, scilicet sicut Diabolus, de quo locutus fuerat Joannes capite antecedente. Ergo videtur, quod bestia illa non erat Draco ipse. Nequè significabat Antichristum, quia huic etiam contraponitur, ab eodem Joanne ajente, *potestatem prioris bestiæ*, nimirum Antichristi *omnem faciebat in conspectu ejus*, cum reliquis ibi adjunctis, quibus hæ duæ bestiæ invicem discernuntur: significabat ergo illud spectrum famosum quendam Pseudoprophetam, de quo sæpè loquitur Joannes in Apocalypsi, qui Diabolicum in modum fovebit, ac promovebit conatus Antichristi; *Et faciet omnes pusillos, & magnos, & divites, & pauperes, & liberos, & servos habere Characterem in dextera manu sua, aut in frontibus suis*, ut ibidem dicitur; Cum enim Diabolus sit Christi simia, sicut Christus habuit Apostolos, & habet vicarium in terris, ita ille quæret, ac excitabit dilecto filio suo Antichristo Pseudoapostolos: *Multi Pseudoprophetæ surgent, & seducent multos*, unus tamen erit omnium maximus, & quasi Antichristi vicarius, qui per artes diabolicas *fecit*, hoc est faciet, *terram, & habitantes in ea adorare bestiam primam.* Hic objectus fuit Joanni ascendens *de terra*, licet Anticristus objectus fuerit ascendens de *mari*, quia hujus forsan natalia illustriora erunt, & illius abjectiora (mare quippe origo & nobilior, quam terra) videtur enim ille Pseudopropheta oriturus ex pulvere terræ, ac de stercore, nequè habiturus spiritus ad conciliandum *sibi* honorem, per artes, quibus instructus erit, sed ad conciliandum illum *aliis*, nempè Antichristo tanquam principi, à quo emptus sit. *Habebit cornua duo similia agni*, quia Christi Domini heroglyphicum sibi appropians, humilitatem, ac mansuetudinem simulabit; sed cornu gemino mortales ventilabit; uno acerrimæ, atquè igneæ loquacitaris, loquetur enim *sicut Draco*, nempè sicut princeps ipse Dæmoniorum; Altero sævissimæ, ac inflexibilis impietatis: *Ut quicumquè non adoraverint imaginem bestiæ, occidantur*: Vagante namque Antichristo per orbem, atque omnia proterente, & consequenter non semper, & ubilibet præsente, imaginibus illius absentiam supplebit, & sub pœna capitis constringet homines, ut adorent icones illas, adorantes Antichristum in suis imaginibus tesseris symbolis, ac Characteribus, quoniam infælix homo ille zelantissimum se ostendet honoris heri sui: Et ne semel adoratum repudierit, statuet authoritate sibi communicata per Antichristum (nam *potestatem prioris bestiæ*, nempè ipsius Antichristi, *omnem faciebat in conspectu ejus*) publicequè firmabit decreto, *ne quis possit emere, aut vendere, nisi qui habet Characterem, aut nomen bestiæ, aut numerum nominis ejus.* Dabit enim libertatem, ut eligant, quod voluerint ex his, modo in

Apoc. 13.

Matth. 24.

Apoc. 13.

quotidianis actionibus humanis insinuatis per illas communissimas *emendi, ac vendendi*, quotidie se profiteantur deditos Antichristo, & ne decipiantur ab aliquibus, qui semel ex fragilitate dato nomine illi filio Diaboli, postea resiliant. Hic Pseudopropheta, faciet illa signa, quæ Christus prædixit, & Joannes repetivit: *Surgent enim Pseudo Christi, & Pseudoprophetæ, & dabùt signa magna, & prodigia*, inquit Dominus loquens per syllepsim de uno tanquam de multis (qui est usitatus in scriptura, ut ostendi Decade 3. v. g. *Id ipsum autem, & latrones, qui crucifixi erant cum eo, improperabant ei*, cum unus solus id faceret, & ab altero reprehenderetur juxta Lucam) de illo autem sigillatim scribit Joannes. *Fecit signa magna, ut etiam ignem faceret de cœlo descendere in conspectu hominum.* Quod arduum non erit Diabolo directori bestiæ illius, cum non raro experiamur fulgura, fulmina, ignes fatuos, & alios à causis naturalibus formatos in atmosphæra, decidere in terram in conspectu hominum.

Matth. 24.

Idem. 27.

Luc. 23. 40.

LVII. Dices. Quomodo ergo prospiciet DEUS illis hominibus nè pereant, & ne seducantur à tam insigni imperatore? videntur habituri excusationem legitimam sui peccati, sequentes Antichristi vexilla, ob stupenda prodigia, quæ in hujus favorem patrabit Pseudopropheta vicarius suus. Respondeo non habebunt. Quoniam DEUS, qui illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, illuminabit sufficienter ultimos eos homines, ut si advertere velint, deprehendant prodigia illa non esse vere miracula, quibus DEUS testari solet veritatem; sed vel opera simpliciter naturalia, quamvis insolita, & nequeuntia fieri arte sola, & viribus humanis, capacia tamen, ut fiant ab aliis causis naturalibus, & præsertim à magno Diabolo adjuto per innumeros alios Diabolos ministros suos v. g. quod repentinus, & copiosus descendat ignis è parte superiore atmosphæræ, quod disrumpatur terra, & ignis erumpat, quod magni exercitus à paucis militibus deleatur invisibiliter pugnantibus Diabolis, quod nova fluant flumina, exsiccatis antiquis, quod derepente ingruant copiæ pedestres, equestres, & maritimæ per Diabolos asportatæ, quod det *spiritum imagini bestiæ, & ut loquatur imago bestiæ* nempè invisibiliter moventibus Diabolis labia, oculos, & membra Antichristi ære, marmore, ligno, aut coloribus expressa, ita ut vulgo credatur statuam, aut imaginem loqui, respondere ad quæsita, moveri, & intelligere, vel ipsis formantibus verba in ore illius imaginis, sicut olim respondebant per idola (memento præstigiarũ frequentium apud histriones) quod brevissimo tempore sciantur res, quæ fiunt in remotissimis regionibus, quod fortissimarum arcium mœnia levi impulsu collabantur &c. Hæc inquam & similia prodigia possunt fieri verè, ac simpliciter ab Antichristo, & Pseudopropheta, adjutis à Diabolo; sed cum non superent vires Angelicas, non sunt miracula strictè talia, qualia sunt illa, quibus DEUS confirmat doctrinam. Illuminabit item homines, ut advertant, illa non non esse prodigia, qualia videntur, sed esse meras prestigias, fraudes & apparentias, v. g. si impostori illi faciant mortuum aliquem assurgere in pedes, loqui, ambulare, & ratiocinari. Poterunt dignoscere illi homines mortuum eum non surrexisse; sed Diabolum assumentem cadaver ut toties de facto fit, edere in eo corpore illas actiones externas, quas incauti credunt, elici ab homine paulo ante mortuo: similiter si faciant cœtus hominum colore vitam quoad actiones omnes externas valdè rationalem: Poterunt discernere totum illud negotium esse larvam, fucum, hypochrisim, & à fructibus, inter quos semper apparet indicium aliquod, totam fabulam cognoscere: Debebunt enim obedire Joanni dicenti. *Probate spiritus.*

LVIII. Igitur per duplicem viam solitam opitulabitur DEUS ultimis hominibus contra imperatores ultimos.

mos. Nimirum per subsidia externa, & per interna: *Per externa* quidem, nam licet solus DEUS sit, qui dat intrinsecus incrementum; at illud non solet dare, quando deficit extrinsecum Ministerium, suâ providentiâ præscriptum, & qui nec per se, nec per alium seminat, nec per se, nec per alium metet *& qui parce seminat, parce, & metet*; nempè juxta ordinariam providentiam vult DEUS cooperationem creaturarum, & non vult, quod causæ secundæ otientur, sed quod unaquæquè operetur, & concurrat in suo genere, non modo ad effecta naturalia, verum etiam ad supernaturalia ad quæ concurrere potest. Ergo quamvis DEus de potentia absoluta possit illuminare, docere, atque ad se trahere homines non præcedente ullo extrinseco Ministerio, & quamvis id interdum fecerit, ut fecit cum Moyse non curante tunc, nisi oves soceri sui: cum Saule, & suis satellitibus volentibus prændere Davidem: cum Elisæo arante *in duodecim jugis bovum*, cum Matthæo vacanti rei nummariæ, cum bino Apostolorum pari in piscationem incumbente, & cum Saulo Ecclesiæ hoste; Attamen ordinaria providentia præmittit extrinsecum Ministerium plantandi, atq; rigandi in corde hominis, & postea succedit intrinseca illuminatio, & motio spiritus sancti, qui non solum prævenit nostram voluntatem per se immediatè, sed etiam per extrinsecus personantem doctrinam, quam sua providentia disponit audiri à nobis, aut alio sensu percipi, ut disposuit, quod Cornelius audiret concionem Petri, *hic dicet tibi, quid de oporteat facere*: succurret ergo DEUS populis illis per media externa, nimirum per continuam Apostolicam prædicationem Henoch & Eliæ, qui *prophetabunt diebus mille ducentis sexaginta amicti saccis*; prolixo hoc tempore totum orbem, aut saltem antiquum Romanum Imperium peragrabunt, & partim verbis coram, partim scriptis, & fama sua cœlesti apud absentes, munient omnes, qui muniri voluerint adversus artes, & fucata miracula impostorum illorum. Item per sacrum Evangelium succurret etiam, in quo legent, qui legere, & intelligere voluerint quiq; *docibiles DEI erunt*, impostura esse, atq; meras fabulas magna illa, & stupenda prodigia, quæ impostores illi edent, compescenturq;, qui compesci voluerint, ne assensum præstent illis artibus diabolicis, quia legent Emphaticam illam Domini vocem: *Ecce prædixi vobis*, & illam. *Nolite credere*; qui autem Oraculum ante tot sæcula editum spreverit, sibi imputet: quoniam ex natura ipsa rei monitio tam anticipata, idonea est cohibendo homines, nè fidant eis personis, quæ tam anticipatè prædictæ sunt, & quidem ut Pseudoprophetæ. Undè sapienter scripsit Hilarius. *Ut igitur fides pestifero mendacio detrahi posset, admonitio præcessit.* Et prius dixerat Tertullianus conferens Dominum cum seductoribus, & insinuans viam, qua ab his poterunt sese explicare ultimi homines: *Quia prior eis venit, priorque documenta virtutum signavit, idcirco quasi in balneis locum, ita fidem occupavit posteris quibusque præripuit.* Non ergo erunt destituti, sed benè muniti auxilio extrinseco ultimi homines adversus Pseudoprophetas.

Exod. 13. *3. Reg. 19.* *3. Reg. 19.* *Matth. 9.* *Actor. 9.* *Actor. 10.* *Apoc. 11.* *Matth. 24.* *Ibid.* *Hilar. in Matth. Can. 25.* *Tertull. 3. cont. Marcio.*

LIX Sed quia subsidia hæc externa tametsi utilia, & plerumq; necessaria, non sufficiunt, nisi DEus interiori auri cordis loquatur, hac de causa ne hominibus eis deficiant auxilia sufficientia, tum ut stent, tum ut resurgant, si semel lapsi fuerint, opitulabitur illis DEUS, sicut modo facit, multis miris, arcanisq; modis loquens ad corda eorum, erudiens eos, ac de lege sua docens, aperiensq; mentem, ut intendant his, quæ prædicta sunt in scriptura, quæq; tunc audient à viris Apostolicis, & demum sua auxilia distribuens in circumstantiis loci, temporis, occasionum, personarum &c. juxta ordinem suæ providentiæ, ut modo etiam facit, aliis concedens, ut misericors Pater auxilia efficacia, aliis, ut severus judex auxilia inefficacia: succurret item per internas Angelorum custodum inspirationes, ut nobis etiam succurrit. Ex quatuor his modis auxiliandi hominibus, quorum perditionem nunquam

vult

vult DEUS, duobus per extrinsecum Ministerium lectionis ac prædicationis, & duobus per Ministerium intrinsecum inspirationum tum Angelicarum, tum divinarum, resultabit id, quod modo etiam resultat; nimirum, quod plurimi culpâ suâ obcæcati, & non videntes, quæ videbunt, nec audientes, quæ audient, peribunt; multi cadent, sed resurgent, & non pauci stabunt constantes: quam diversitatẽ nunc etiam experimur. En quatuor modos, duos extrinsecos, licet nõ sufficientes per præcisè, quãvis necessarios, & duos intrinsecos, quorum ille, qui ex solo DEO est oriundus, sufficiens est, ut homines illi ultimi firmentur in fide, & assensum non præbeant Antichristo, aut Pseudoprophetis: Ergò qui assensum præbuerint præstigiis illis, culpa, & malo suo præbebunt; qui autem restiterint, gratia DEI resistent: Ergo tucata illa miracula, & prodigia Pseudoprophetarum, quæ Christus Dominus, & Joannes prædicunt, non adiment eis hominibus libertatem indifferentiæ ad resistendum fortissimæ illi ultimæ tentationi.

LX. Dicitur præterea de hac quinta bestia, hoc est de Pseudopropheta vicario Antichristi, quod seducet mortales cunctos (nimirum, *quorum non sunt scripta nomina in libro vitæ agni*, ut paulo antè scripserat) *propter signa, quæ data sunt illi facere.* Et mox *datum est illi, ut daret spiritum imagini bestiæ;* Etenim aliud est ars, scientia, & potestas faciendi ea prodigia, & faciendi, quod Dæmones clam moveant oculos, manus, pedes, labia, statuæ, sivè imaginis Antichristi, quam apud se habebit ille suus vicarius, ita ut vulgò existimetur imaginem illam habere spiritum, & respondere Oracula; aliud autem abusus hujus potestatis, seu pravus finis quem Pseudopropheta intendet: sicut aliud est potestas absolvendi à peccatis, & conficiendi Eucharistiam; aliud verò abusus harum potestatum, sive pravus finis intentus propter illarum usum; & sicut aliud est ingenium, nobilitas, doctrina, opulentia divitiarum, & dignitas; aliud horum abusus, & pravus finis per hæc intentus. Prima specifitative, ac secundum se præcisè spectata sunt bona, & dantur à DEO, à quo, & ex quo, & per quem omne bonum habemus. Secunda sunt mala, & non nisi permissivè sunt ex DEO, qui nolens uti supremo suo Dominio flectendi irresistibiliter voluntates creatas, finit has in manu consilii sui, & melius judicat *de malis benefacere, quam mala nulla esse permittere.* Ergo quamvis repugnet, quod sit à DEO, tanquam à causa per se pravus finis illius vicarii Antichristi, abususquè scientiæ, & potestatis ad faciendum illa prodigia per Ministerium Dæmoniorum, non tamen repugnat, quod scientia ipsa, & potestas secundum se, ut distincta à pravo usu, sit à DEO: Illud ergò *data sunt illi, & datum est illi,* potest intelligi de *datis*, & *dato* à DEO, qui passim largitur hominibus dona naturalia, & supernaturalia, ordinaria, & extraordinaria, tametsi prævideat illos pessime abusuros eis beneficiis. 2. potest intelligi in eo sensu, quem notavi Decade 4. videlicet, quando sermo est de peccato non ordinario, sed specialissimè enormi, & valdè extraordinario, solet scriptura uti verbis, quæ videntur tribuere DEO peccatum illud, non tamen tribuunt illud (quia *mundi sunt oculi ejus, ne videant* scientiâ approbativâ *iniquitatem*; & quia *perditio tua Israel tantummodo in me auxilii tuum &c.*) sed specialissimam illius permissionem, cujus sanè DEUS solus est author, ille namq; solus permittit peccata. v.g. loquentes cum DEO Apostoli dixerunt de Herode, Pilato, ac Judæis, quod conspirarunt *facere, quæ manus tua, & consilium tuum decreverunt fieri,* & DEus non fuit profecto author Christicidii, sed specialissimæ solius præmissionis horrendi illius sceleris, Similiter dicitur Deus induraturus cor Pharaonis, decepisse Prophetam seductorem populi, præcepisse semei ut malediceret David, & alia id generis facere; non quia DEUS sit causa vere, ac propriè, horum, sed quia horum permissio est extraordinaria, & crimina hæc sunt specialissimè enormia, & insinuandi causa hanc enormitatem illamq; permissionis specialitatem, utitur scriptura verbis sonantibus quidem respectu auris non intelligentis

Apoc. 13. 14.

Ibid. v. 8.

Ibid.

Apoc.

Ibidem.

Ibidem.

DEUM

DEUM esse authorem illorum criminum, sed non id significantibus apud mentem mediocriter saltem Christianam. Juxta hunc morem scripturæ potest dici illud *data*, & *datum*, non significare DEUM fore authorem artis & potestatis, qua fungetur ille Pseudopropheta ad patrandum illa prodigia, sed solius permissionis, ut iniquus ille accipiat à Diabolo ex pacto inito, eam scientiam, & potestatem; cumquè permissio hæc sit specialissima, & in ordine ad peccatum non ordinarium, sed enormissimè grave, idcircò utitur Joannes illis verbis *data*, *datum* sonantibus aliquomodo artes illas, & potestatem futuras à DEO, ut authore; attamen id non significantibus, sed solam specialitatem permissionis, enormitatemquè peccati.

§. Quartus.

LXI. DEmum semel, & iterum dicitur de hac quinta bestia, quod fecit adorari Antichristum, *cujus curata est plaga mortis.* Apoc. 13. 3. Item, *quæ habet plagam gladii, & vixit.* Nimirum intuens paulo ante Joannes bestiam illam, quæ præfigurabat Antichristum juxta ea, quæ dixi num. 51. inquit. *Et vidi unum de capitibus suis quasi occisum in mortem, & plaga mortis ejus curata est.* Ibidem. Hæc crebra repetitio insinuare videtur, Antichristum susceptum insignem aliquam cladem mari, aut terra, postquam ferocior, & potentior, sicut Anteon, resurget ope Diabolica. Unde subjungit Joannes *admirata est universa terra post bestiam. Et adoraverunt Draconem, qui dedit potestatem bestiæ, & adorarunt bestiam dicentes: Quis similis bestiæ? Et quis poterit pugnare cum ea?* Ibidem. Videtur igitur, quod post acceptam, & reparatam insignem aliquam cladem per Antichristum, sequetur universalis acclamatio illius ab omnibus populis, saltem ab illis, quibus Joannes loquebatur, nempe ab illis, quibus Romanum imperium constabat; & videtur, quod tunc in pulvere terræ assurget ille Pseudopropheta præfiguratus hac quinta bestia, quoniam post illam cladem, reparationem, atquè universalem acclamationem, vidit surgentem è terra hanc quintam bestiam, & facientem quæ ex ipso Apocalypsis capite retuli, ipsam facturam in gratiam, & favorem Antichristi: Quod autem hic antequam potiatur universali Monarchia, saltem antiqua Romana, siquidem *data est illi potestas in omnem tribum, & populum, & linguam, & gentem*, accepturus sit insignem cladem ex natura rei est satis probabile: Nam qui ex modicis principiis evadit ad universalem Monarchiam per multa, obstinata, & gravia bella, moraliter est necessarium, quod aliquando saltem accipiat magnam aliquam cladem, aut mari, aut terra, aut jacturæ alicujus sui exercitus, aut alicujus ex primariis suis ducibus, aut alicujus provinciæ aut urbis saltem capitalis. Id perenni experientia humanarum vicissitudinum constare videtur. At Antichristus ex modicis principiis (intelligitur quippè communiter sub typo illius cornu *parvi*, quod vidit Daniel) evadet ad universalem Monarchiam juxta verba Apocalypsis nuper data; Et hoc non continget absquè multis, obstinatis, & gravibus bellis; Tum quia loquens Dominus de calamitosis eis temporibus Antichristi ait, *Audituri enim estis prælia, & opiniones præliorum.* Matth. 24. Et rursus. *Consurget enim gens in gentem, & regnum in regnum*, quorum motuum artifex humanus non poterit esse alius, nisi Antichristus, qui dominio totius orbis Romani inhiabit, & quidem cum effectu: ergo. Tum quia Daniel loquens de hoc filio Diaboli præfigurato per illud cornu parvum, inquit. *Tria de cornibus primis evulsa sunt à facie ejus*, hoc est *tres reges humiliabit*, & unus ex assistentibus aperuit Prophetæ; evellere autem, & humiliare tres reges non solet fieri absquè magno molimine bellico: Cæteri autem reges, aut principes tunc futuri in orbe Romano *virtutem, & potestatem suam bestiæ tradent.* Apoc. 17. Vi, aut metu subacti. Ergo ex natura ipsa rei est moraliter necessarium, quod Antichristo inferatur insignis aliqua cla-

clades priusquam universali Monarchiâ potiatur. Et hoc tametsi à magno Diabolo adjuvetur; Tum quia hic cooperabitur forsan illi cladi, ut ad se recurrat infælix ille homo, remedium, & reparationem virium quærens, & sic magis sibi deditum habeat infælicem (& cum eo cæteros homines, mundanos) qui se à Diabolo restitutum redintegratumq; videbit: quod insinuare videtur Joannes inquiens post narratam curationem hujus plagæ *adoraverunt Draconem, qui dedit potestatem bestiæ.* Tum maximè, quia quidquid subsidii accipiat à Diabolo Antichristus, stabit decretum divinum. Divinum autem decretum est ob fines DEO notos, quod Antichristus magnam quandam cladem patiatur, quandoquidem non sine causa advertit Joannes quater in illo eodem capite, quod plagam accepit illa bestia, quæ figura erat Antichristi in uno ex suis capitibus. Igitur hæc toties repetita plaga mortis, & plaga gladii significare videtur, (cum dicatur susceptа in uno ex suis septem capitibus) quod jacturam faciet alicujus urbis, aut provinciæ capitalis, aut alicujus exercitus terrestris, vel maritimi, aut alicujus ex primariis ducibus, vel consiliariis suis, aut alicujus ex suis capitalibus artibus, vel idæis.

LXII. Neque objicias, me dixisse supra, septem illa capita, quibus armata videbatur bestia repræsentans Antichristum, significare septem eos reges, quos memini n. 49. quorum omnium impietatem contra DEUM, & sævitiam contra fideles gestabit in capite Antichristus. Etenim insolitum non est, sed potius frequens in scriptura, quod in eodem textu, & contextu eadem vox habeat, & quidem cum elegantia, diversas significationes, sive allusiones: Ergo, quod septem capita bestiæ adumbrantis Antichristum significent septem illos reges primarios in ratione impietatis contra DEUM, & sævitiæ contra Ecclesiam fidelem, non impedit, quod significent etiam septem duces primarios Antichristi, aut septem errores Cardinales, aut septem provincias, urbes capitales vel exercitus: & quod in aliquo horum ille male mulctetur, & plagam gladii, ac quasi mortis accipiat. Probo antecedens 1. Bestia, cui meretrix insidebat habebat *capita septem*; individuus hic, & singularis numerus significabat septenarios valde diversos, ut Joanni explicuit ibidem Angelus inquiens. *Septem capita, septem montes sunt super quos mulier sedet*, (id est septem colles, super quos Roma illa extructa erat) *& reges septem sunt.* Ecce iisdem verbis, & in eodem textu expressos septenarios valde diversos, unum montium, & alterum regum, qui profectò non sunt physicè entitative montes. 2. *Dimitte mortuos* (hoc est infideles, aut etiam fideles peccatores) *sepelire mortuos suos*, hoc est vita jam functos, quia certè nec peccatores vivi sepeliunt peccatores vivos, neque vita defuncti alios jam defunctos vita. 3. *Omnis, qui biberit ex hac aqua* (en aquam elementarem, de hac enim loquebatur Dominus cum Samaritana, *sitiet iterum*; *qui autem biberit ex aqua* (en aquam spiritualem) *quam ego dabo ei non sitiet in æternum.* 4. Loquens Christus cum Patre de Apostolis, poscit: *Ut sint unum, sicut & nos unum sumus*: Ecce vox *unum* in eodem textu, atque per vocem illam *sicut* restricta significat unitatem dumtaxat moralem (cum Apostoli, utpote entitative inter se distincti, non essent capaces unitatis physicæ, ac realis in naturâ) & insuper unitatem physicam, & realem in eadem singulari natura, intellectu, ac voluntate, quam unitatem habent Pater, & filius: quod si ibi loquitur Christus de unitate, quam secundum naturam humanam habet cum Patre; hæc est unitas summa, quam creatura potest habere cum DEO; unitas, quam inter Apostolos poscebat, non erat unitas suma, quam Christus adhuc secundum naturam humanam habet cum DEO: Ergò subsistit, quod illa vox *sint unũ, sicut, & nos*, in eodẽ brevissimo textu signi-

significet unitates physicè, ac moraliter plurimum diversas 5. *Non bibam amodo de hoc genimine vitis* (ecce vinum physicum, & reale) *donec illud bibam* (ecce vinum spirituale, hoc est ambrosiam, nectar sivè delicias cœlestes) *vobiscum novum in regno Patris mei*, tametsi enim post resurrectionem interdum forsan biberit cum Apostolis physicum, & naturale vinum, ut in hoc etiam sensu verificetur illud Petri: *Qui manducavimus, & bibimus cum illo, postquam resurrexit à mortuis*; Ast cum illud obiter, ac solum ostendendi causa veritatem suæ resurrectionis in proprio suo corpore biberit, non bibisse dici potest: Quemadmodum ipse apud Lucam dicit. *Hæc sunt verba, quæ locutus sum vobis, cum adhuc essem vobiscum*, quasi tunc non esset cum illis; sed tunc erat obiter, & quasi per transennam ut in hunc locum scribit Maldonado. Sufficiunt hæc quinquè exempla ad ostendendum non esse in scriptura insolitum, quod eadem vox, in eodem textu significet absquè vitio, quinimmo cum venustate, atquè elegantia, res physicè, ac moraliter distinctas: si plura volueris, ea invenies supra numero 1. & seqq. Ergo quod septem capita illius bestiæ significent septem reges, quos numeravi numero 49. non tollit, quod significent quoquè aliquem ex illis septenariis quos paulo ante insinuavi.

Matth. 26.

Actor. 10. v. 14.

Luc. 24. 44.

CAPUT V.

De Gog, Magog, atque de sociis.

LXIII. HActenus dicta de Antichristo, & Pseudopropheta vicario suo, quorum finis erit, quod corpore, & anima in infernum ruent: *Vivi missi sunt hi duo in stagnum ignis ardentis sulphure* modo sufficiunt: de Antichristo addit Paulus. *Quem Dominus JESUS interficiet spiritu oris sui*, (forsan horrendo aliquo tronitu, & fulmine, vel forsan sicut Petrus interfecit Ananiam, & saphiram hujus uxorem) *& destruet illustratione adventus sui* in eum, sicut sol priusquam physicè sit in orizonte sola illustratione sui adventus, hoc est, *sola aurora* destruit tenebras, & fugat aves nocturnas. Alia disputari solita de Antichristo tacita prætermitto, quippe quæ obvia sunt apud bonos, & graves authores, præsertim apud Perer Malvenda, Bellarminum, & Suarez. Restat agere de Gog qui interpretatur *tectum*, atque de Magog, id est *detecto* atque de suis lateronibus, quorum omnium vitam, & necem describit Ezechiel duobus integris capitibus, & Joannes paucis, sed gravissimis verbis: Multa de his disputant Theologi inter explicandum capita hæc Ezechielis, & Joannis. Ego supra capite 1. n. 11. & iterum n. 31. jam dixi & tribus rationibus probavi (quartam addam n. 67.) Quod licet Antichristus sit Gog in sensu allegorico, & vice versa, ut dicebam Decade 4. attamen in sensu litterali hi duo erunt duo realiter diversa instrumenta primaria Diaboli, & quod Gog veniet post Antichristum, nempè *in novissimo annorum*, ut dicit Ezechiel, & rursus *in novissimis diebus*, cum Antichristus utpote regnaturus in ultimo quadriennio mundi, ante hoc quadriennium sit venturus: Nequè te moveat, fore, ut magis grassaretur Diabolus tempore Gog, quam tempore Antichristi, si hi duo futuri essent diversi, quandoquidem solius Gog tempore dicitur solvendus magnus Diabolus, & ascensurus, ut seducat omnes gentes: Atqui magis sæviet, quando sit solutus quam dum est ligatus, ergo si tempore Antichristi adhuc erit ligatus, & tempore Gog erit solutus, magis sæviet tempore hujus, quam tempore illius. Respondeo enim magis, & minus in diversis sensibus, sæviet tempore Gog *magis*, quia per se ipsum immediatè, & non solum per alios Dæmones subordinatos sibi, pugnabit contra illas reliquias Ecclesiæ, quæ tunc superstites erunt post persecutionem Antichristi: sicut imperator exercitus totius in ultimo, & desperato conflictu solet per se ipsum dimicare, & non tantum per suos subalternos duces, & legatos. Illa enim innumerabilis collectio hominum seductorum ex toto orbe terrarum, ut ibi dicit Joannes,

Apoc. 19. 2. Thessal. 2.

Perer. Disp. Contr. Ant. Malvenda de Antich. Bellarm. lib 3. de Roman. Pont. Suarz. c. Reg. Angl.

Ezech. c. 38. 39.

Apoc. 20.

Apoc. 20.

nes, & tempore tam modico unitorum (*oportet illum solvi modico tempore*) non nisi ope ipsius magni Diaboli, & industria, & arte, & subsidio fieri potest, ut dicebam n. 40. sicut enim Martius Rex post missum suum primum ministium belli, sciens non esse occisas omnes copias inimicas, solet ipse proficisci ad bellum, ut tandem inimicos omnes ad unum trucidet: Ità magnus Diabolus cernens, quod post Antichristum à se deceptum excitatum, & impulsum contra Ecclesiam, adhuc hæc stat, erumpet è carcere suo, Deo permittente, quoniam *oportet illum solvi modico tempore*, ut per se ipsum seducens, & in eundem locum transportans innumeros homines spatio paucorum dierum, ut infra dicam, ultimo confligat cum Ecclesia, id est cum cœtu illo fidelium, qui Antichristo superstites erunt, & convellat penitus Ecclesiam Christi antè diem judicii; *sed portæ inferi non prævalebunt adversus eam.* Instrumentum autem primarium hujus ultimi conflictus erunt ille Gog, princeps quidam septentrionalis, ut mox dicam, cui brevissimo tempore agglomerabit innumerabilem multitudinem hominum ex quatuor partibus mundi, tanquam summo eorum duci juxta Ezechielem: *Et omnem multitudinem, quæ coacervata est ad te, & esto eis in præceptum;* non enim eget longo tempore Diabolus; sed sola permissione divina ad transportandum ex remotis provinciis homines, & instrumenta bellica, ut ex probatis historiis constat, juxta quas tempore brevissimo Diaboli inferiores portarunt homines ex aliis in alias distantes regiones: Vide infra numero 69. sæviet item *minus* tempore Gog: Immittet namque huic solas cogitationes avaritiæ, atquè crudelitatis necessariæ ad satisfaciendum avaritiæ: *Ascendent sermones super cor tuum & cogitabis cogitationem pessimam, & dices ascendam ad terram absque muro.* Et mox, *ut diripias spolia & invadas prædam*, ut ipsum alloquitur Ezechiel: Antichristo autem immittet cogitationes, & verba contra DEUM ipsum, *sermones contra excelsum loquetur, & sanctos altissimi conteret, & putabit, quod possit mutare tempora & leges.* Item: *Aperuit os suum in blasphemias ad DEUM, blasphemare nomen ejus, & tabernaculum ejus, & eos, qui in cœlo habitant.* Propterea Pseudopropheta vicarius suus *fecit terram, & habitantes in ea adorare bestiam primam* scilicet Antichristum. Atqui minus sævit Diabolus, quando agitat homines stimulis avaritiæ, & crudelitatis tantum, quàm dum agitat illos stimulis blasphemiæ, atquè apostasiæ à religione, conversionisquè ad idololatriam. Ergo quoad hanc partem minus sæviet magnus Diabolus solutus tempore Gog, quam ligatus adhuc tempore Antichristi; Nimirum minus solet sævire per seipsum, immediate, quam per suos primarios ministros humanos. Sæviet ergo tunc minus *minoritate* tentationis, quæ avaritiæ, & crudelitatis tantum erit; sæviet autem magis *majoritate* physica, quia conabitur delere omnino per Gog reliquias Ecclesiæ. Vide numero 69.

Ezech. 38.

Ezech. 38.

Dan. 7.

Apoc. 13.

Ibidem.

LXIV. Igitur donec aliud melius occurrat hoc verosimillimum mihi videtur: Suppositis eis duobus capitibus 38. & 39. Ezechielis, & capite etiam 20. Apocalypsis, quæ hic transcribere piget, & in quibus solis locis scripturæ prædicuntur gerenda, & patienda per Gog, & sine quorum locorum attenta lectione ægrè capientur, quæ modo subjicio: His inquam suppositis. Dico. Licet Gog futurus sit quidam individuus homo sic vocatus, & qui juxta sui nominis ethimologiam tectus, occultus, & quasi coopertus erit. Veruntamen illi laterones, quos ipsi annumerat scriptura, videlicet *Gomor*, *Magog*, *Thubal*, *Mosoc*, & *Thogorma*, non videnter personæ individuæ ac singulares habituræ nomina hæc; sed populi, ac gentes descendentes ex individuis personis, quæ olim habuerunt illa nomina, sicut sunt populi, ac nationes, ac homines multi, quos eidem

Gog

Gog adjungit ibidem scriptura nimirum *Persæ*, *Æthiopes*, & *Libies*. Hos nominat Ezechiel sub propriis nominibus, illos vero sub nomine communi primorum parentum; vel quia cum ipsi fuerit liberum alterutro modo loqui, maluit propter rationes ibi notas nominare alios sic, alios verò sic; vel quia cum antiquior scriptura, nempè Geneſis, nominet Patriarchas proprios illarum gentium borealium, & non immediatos fundatores Persarum, Æthyopum, aut libium, voluit ipse quoquè nominare Patriarchas illos, & non hos: Undè gentes illas septentrionales posuit sub nomine suorum Patriarcharum, & gentes alteras sub earum proprio, & magis noto nomine. Probo igitur conclusionem. In primis frequentissimum, ac vulgare in scriptura est, uti nomine individuæ ac singularis personæ ad significandum non sanè illam, sed illius nepotes, familiam, atquè progeniem, v. g. nomen *Israel* erat proprium illius individuæ personæ, quæ fuit Patriarcha populi Israelitici; eo tamen frequenter utitur scriptura ad significandum totum illum populum. *Et nunc Israel* (id est nepotes Israelis) *audi præcepta, & judicia quæ ego doceo te.* Item, *quam pulchra tabernacula tua Jacob, tentoria tua Israel.* Similiter *Ruben* erat nomen proprium unius ex illis duodecim Patriarchis; eo tamen utitur Moyses ad significandum totam illius sobolem. *Vivat Ruben* hoc est familia Rubenitarum, *& non moriatur, & sit parvus in numero.* Similiter *Judas* erat nomen proprium alius è duodecim Patriarchis, & illud adscribit scriptura toti familiæ illius. *Hæc est Judæ benedictio* (id est judæorum) *audi domine vocem Judæ.* Et rursus. *Ait Judas Simeoni fratri suo. Ascende mecum in sortem meam &c.* hoc est dixit familia Judæ familiæ Simeonis. Similiter *David* erat nomen proprium individuæ personæ; rebellantes autem decem tribus à Roboan Davidis nepote dixerunt. *Vide domum tuam David*, id est, consule tibi familia Davidis, demum Prophetæ alloquentes hæbream gentem sibi Coetaneam, & præsentem passim alloquuntur illam sub nomine *Jacob*, aut *Israel*, aut *David*. Vulgare itaque est in scriptura uti nomine individuæ atque singularis personæ ad significandum non utique illam, sed illius sobolem, familiam, & populum.

Gen. 10.

Deut. 4.

Num. 24.

Deut. 33.

Ibidem.

Judic. 1.

3. Reg. 12.

LXV. Tunc sic. Sed ista eadem nomina *Gomor*, *Magog*, *Thubal*, *Mosoc*, & *Thogorma*, quibus Ezechiel significat socios Gogi, dat caput 10. Geneſis quatuor filiis Japheti & uni ex nepotibus ejusdem; Ergo conjecturare possumus nomina ista apud Ezechielem non significare individuas ullas, & singulares personas, quarum nomina propria sint ista; sed gentes integras, & populos oriundos ex illis filiis, atque nepote Japheti, ita ut *Gomer* valeat *Gomeritæ*, *Magog Magogitæ &c.* Juxta Josephum sunt populi septentrionales accolæ maris euxini, ac Cespii, quos nunc vocamus Tartaros, Cosacos, Moscovitas &c. Dicit enim Ezechiel illi Gog *venies de loco tuo à lateribus aquilonis tu, & populi &c.* Ergo non est Hispania, quæ non est in aquilone. Nec obstat primo, quod post nominatos illos descendentes ex Japheto adjungat Moyses *ab his divisæ sunt insulæ gentium*, quasi insulæ, non autem gentes illæ boreales descendant ex Gomer, Magog &c. Quoniam hæc Insularum divisio non est cur referatur ad illos prius nominatos Gomer, Magog &c. Rationabilius namque refertur ad eos, qui immediatè antè istam periodum nominantur scilicet ad Elisa, Tharsis, Cethim, & Dodanim filios Javan. Nec obstat 2. quod in textu græco legatur articulus *to*, qui individuam personam significare solet; etenim gentes aliæ, quibus familiare est adjungere articulum ad significandum individuam personam multoties utuntur illo ad significandum indefinite populum integrum, & nationem, v. g. Hispanicâ linguâ, quæ articulis his constet, dicitur loquendo, non de uno individuo, sed de tota natione indefinitè: *El Espanol gusta de esto, El espanol ne gusta de aquello*, hoc est,

Gen. 10.

Lib 1. antiq. c. 12.

Hyeron. qu. Hebr in 10. Gen.

gens Hiſpania ut plurimum delectatur hôc, gens Hiſpania ut plurimum non delectatur illo. Et ſimiliter in aliis articulatis linguis. Ergò ille articulus græcus adjunctus nominibus illis non conſtringit ad intelligendum individuas, & ſingulares perſonas habentes illa nomina. Ezechiel itaquè loquens de ultimo conatu Diaboli contra Eccleſiam (ait enim ad Gog, *noviſſimo annorum venies*, & rurſus. *In noviſſimis diebus erit*) nec non Joannes loquens de materia eadem nempè de rebus futuris poſt illos mille annos, de quibus ſupra egi, *cum conſumati fuerint mille anni ſolvetur ſatana &c.* Et prædicentes ambo numeroſiſſimum exercitum invaſurum ſanctos, *ſeducet gentes, quæ ſunt ſuper quatuor angulos terræ Gog, & Magog, & congregabit eos in prælium, quorum numerus eſt ſicut arena maris*, ut dicit Joannes, ſivè ut dicit Ezechiel: *Educam te, & omnem exercitum tuum equos, & equites veſtitos loricis univerſos multitudinem magnam*: Ambo inquam docere videntur, quod ſub illo Gog *in noviſſimo annorum*, & in noviſſimis diebus hoc eſt poſt Antichriſtum (quia hic per tres annos cum dimidio adeptus eſt univerſalem Monarchiam ut toties inſinuat ſcriptura) conſcribendus eſt numeroſiſſimus exercitus ex populis ſeptentrionalibus, hoc eſt ex deſcendentibus ab illis filiis, & nepote Japheti, ad devaſtandum ſanctos, id eſt parvam illius temporis Eccleſiam ſuperſtitem perſecutioni Antichriſti, & compoſitam ex ſenatu Eccleſiaſtico, atquè ex fidelibus (diſperſis utique ac fugitivis paulo ante, nimirum ſæviente Antichriſto) ſed poſtea convolantibus undiquè ad ſuum caput viſibile; Dicit enim Ezechiel de illa ſancta turba. *Congregata eſt de populis multis ad montes Iſrael qui fuerunt deſerti jugiter*, & iterum, *ſuper populum, qui eſt congregatus ex gentibus.* Nominantur autem præcipuè gentes illæ ſeptemtrionales vicinæ mari caſpio, & Euxino deſcendentes ex Japheto, vel quia primæ erunt in ea univerſali rebellione contra Eccleſiam, & poſt ſe corripient cæteros populos, vel quia plures, & potentiores erunt; Hiomnes ſub Gog, qui juxta Ezechielem erit eis in *præceptum*, id eſt ſummus Imperator, exiſtimantes cœtum illum Eccleſiaſticum aſportaſſe ſecum magnos theſauros, quando Antichriſtum fugiebat, convolabunt ad prædam (hoc enim crimen illis objicit Propheta ibidem, ut jam notavi tanquam famelici canes & lupi veſpertini; ſed continget illis, quod ſcriptum legibus apud utrumquè Prophetam.

Ezech. 38. v. 8. & 16.

Ibid. v. 4.

Apoc. 20.

Ezech. 38. v. 8. & 12.

LXVI. Nequè novum erit, quod ex ſeptentrione irruant denſiſſima examina gentium ferocium. Tamet. ſi enim orientales gentes interdum ſubegerint occidentales, ut perſæ olim ſubegerunt cunctos populos usquè ad Græciam, ut Arabes etiam ſubegerunt Ægyptum, & maximam partem Africæ ſeptentrionalis, & non modicam Europæ, & demum ut Hiſpani ſubegerunt totam Americam cum appendicibus ſibi occidentalem. Item licet populi occidentales quandoquè debellaverint Orientales, ut Macedones debellarunt totum orientem usquè ad Indiam, & Romani debellarunt cunctas provincias usquè ad Euphratem: At ferè ſemper ex ſeptentrione ruerunt turbines, procellæ, tonitrua, & fulmina bellorum; ſic olim dictum fuit Jeremiæ. *Ab aquilone pandetur malum ſuper omnes habitatores terræ. Quia ecce ego convocabo omnes cognationes regnorum aquilonis* (en Gomer, & Magog, & Moſoc, & Thogorma) *ait Dominus; Et venient, & ponet unusquisquè ſolium ſuum in introitu portarum Jeruſalem;* nempe quia Nabuchodonoſor, qui poſteâ urbem illam combuſſit, & regnum Juda dejecit, & paleſtinam cum vicinis regionibus ſubjugavit, ut earum omnium legatis prædixerat idem Propheta juſſus à DEO: *Ego dedi omnes terras iſtas in manu Nabuchodonoſor regis Babylonis ſervi mei*; Hic inquam rex aquilonaris erat reſpectu earum regionum; Eandem fortunam experti ſunt poſtea homines à ſeptentrionalibus quoniam Goti ex ſeptentrione deſcenderunt poſtea in

Jerem.

Idem

Idem

in Hiſpaniam: Hunni in Pannoniam, Franci in Galliam, Saxones in Britanniam, Normanni in Armericam, Longobardi in ſubriam, Turcæ in Aſiam, Africam, & Europam, Tartari ſemel, & iterum in Siriam. Et Tartari alii vibengi dicti ſub vexillo magni Tamerlani, cujus ſoboles hodie regnat in magor, occuparunt Perſiam, & magor, id eſt Indiam ſibi meridionalem. Venerunt itaquè plerumque audaces numeroſi, & feroces exercitus ex ſeptentrione æquè hominum divite, ac pecuniarum vacuo. Novum igitur non erit, quod in illo ultimo conflictu, quando totis caſtris pugnaturus eſt Diabolus contra ultimam portionem Eccleſiæ, formet tanquam carnes exercitum ſuum ex gentibus ſparſis per totum orbem, v. g. Perſis, Æthyopibus, Lybiis, ut dicit Ezechiel, ſeu populis ſuper quatuor Angulos terræ, ut ſcribit Joannes; firmet autem, & corroboret illum exercitum, tanquam nervis, & oſſibus, gentibus illis deſcendentibus per Gomer, Magog, Thubal, Moſoch, & Thogorma ex Japheto quas ter vocat ſeptentrionales Ezechiel. *Domus Thogorma latera aquilonis.* Item, *veniet de loco ſuo à lateribus aquilonis*, ubi ſatis innuit domicilium proprium Gogi, de quo loquitur futurum in regione Boreali. Et rurſus. *Aſcendere te faciam de lateribus aquilonis.* Quæ ſi ita ſint, mirum non eſt, quod Propheta ſpecialiter nominet dictos populos ut primum habituros locum in eo bello ex aviditate divitiarum ſuſcipiendo, *ut diripias ſpolia, & invadas prædam &c.*

Ezech. 38. v. 6. & 15.
Id. 39. v. 2.
Idem. 38. 12.

LXVII. Dico 2. Gog de quo loquitur Ezechiel, videtur, non poſſe eſſe ſolus Antiochus, infenſiſſimus ille Judæorum hoſtis, cum neque ex ſacra, neque ex ſæculari litteratura conſtet, eveniſſe tempore Antiochi, aut poſt ejus mortem ſtupenda illa, quæ prædicit Ezechiel, & mox proferam ego; Et multo minus poteſt eſſe ille, de quo loquitur Joannet, cum hic ſcribat res futuras, & Antiochus jam fuerit præteritus tempore Joannis; nec poteſt eſſe Antichriſtus, ut ſemel & iterum probavi n. 11. & n. 31. & promiſi aliam rationem hic dandam, videlicet cum Joannes abſolvat caput 19. Apocalypſis miſerabili morte Antichriſti, & ſui Pſeudoprophetæ, *Vivi miſſi ſunt hi duo in ſtagnum ignis ardentis ſulphure*; nec non ſtrage ſuorum *cæteri occiſi ſunt in gladio ſedentis ſuper equum, qui procedit de ore ipſius*, qui gladius videtur eſſe ſpiritus ille oris Chriſti, quo juxta Paulum interficiet Dominus Antichriſtum, quo etiam gladio, ſive ſpiritu oris ſui proſtravit quondam cohortem integram ad ipſum capiendum miſſam, *ut ergo dixit eis ego ſum, abierunt retrorſum, & ceciderunt in terram*, quippè etiam in hoc ſenſu *vivus eſt enim ſermo DEI, & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti, & pertingens usque ad diviſionem animæ &c.* Cum ſic inquam claudat caput illud, adjungit caput 20. in quo poſt narratam incarcerationem, & ſolutionem Diaboli, ſcribit hunc ſeducturum Gog, & Magog, & ingentem exercitum collecturum contra caſtra ſanctorum & *civitatem dilectam*, & quod *deſcendit ignis à DEO de cœlo, & devoravit eos*; Ergo niſi dicamus, Antichriſtum ſurrecturum ex inferno, in quem jam præcipitatus erat, & iterum moriturum igne de cœlo vibrato (ad quæ dicenda non apparet ulla congruentia) oportet dicere Gog futurum diſtinctum ab Antichriſto. Lege, quæ hac ſuper re dixi numero 11. & iterum num. 31.

2. Theſſal. 2.
Joan. 18.
ad Heb. 4.

LXVIII. Igitur, quemadmodum Antichriſtus naſcetur, ut jam dixi, aut regnare incipiet; in medio (non utique Mathemathico, ſed morali) earum regionum, quibus conſtabat antiquum Romanum Imperium: Siquidem Daniel vidit illum ſub figura cornu parvuli orti de *medio eorum*, hoc eſt de medio eorum decem cornuum, quæ habebat beſtia præfigurans Imperium Romanum, & *quæ cornua decem ipſius regni decem reges erunt*, unde videtur elici, quod de medio illorum decem regum & quaſi regum, qui poſſidebunt antiquum Imperium Romanum

Dan. 7.
Ibid. v. 24.

manum exurget Antichristus, & regnabit post eos, quia à tribus vi manifesta, ab aliis vi, authoritate, regna, *Ibid. v. 25.* & ditiones detrahet, *tres reges humiliabit*: Quemadmodum inquam hujus conditionis, & nativitatis erit Antichristus, ita Gog videtur futurus, ut sæpè dixi, princeps quidam septentrionalis, quales fuerunt Attila, Totila, Othomanus, Tamerlanus &c. Qui immenso exercitu (præcipuè composito ex gentibus septentrionalibus, quas num. 74. memini, nec non ex accurrentibus aliis natio- *Ezech. 38.* nibus, quas meminit Ezechiel) stipatus, sicut illi quoque stipati venêre; nec non sciens strages & turbulentias, quibus paulò ante jactatæ erant provinciæ sibi meridionales tempore Antichristi, & forsan non ignorans hunc jam esse de medio sublatum, credens item senatum & aulam totam Ecclesiasticam illius temporis asportasse secum magnos thesauros, quando fugit ab Antichristo & à decem illis principibus, qui diruent, & com- *Apoc. 17. 16.* burent Romam juxta Joannem, suspicans non paucas advexisse divitias eos fideles, qui vitandi ergo errores potentissimò insinuatos per tunc futuros *Matth. 24.* Pseudoprophetas, *ita ut in errorem inducantur, si fieri potest etiam electi* continuò convolabunt ad locum ubi tunc erit caput, & corpus Religionis Ca- *Ibid. v. 28.* tholicæ, quia *ubicumque fuerit corpus, illic congregabuntur, & aquilæ*, & quia ut eidem Cog objicit Ezeechiel. *Venies ad terram, quæ reversa est à gladio* (en persecutionem Antichristi) *& Ezech. 38 8.* *congregata est de populis multis ad montes Israel* (en insinuatas aquilas congregatas ubicumque fuerit corpus sanæ doctrinæ) *hæc de populis educta est, & habitabunt in ea confidenter universi*: Sciens demum totam illam gentem esse imbellem, & militiæ ignaram, quia ut illi dicit idem Propheta, *dices. Ascendam ad terram absque muro. Veniam ad quiescentes, habitantesque secure: Hi omnes habitant sine muro: Vectes, & porta non sunt eis* plenus avaritiæ, & sollicitatus vocibus Sabâ, & Dedan & negotiatorum Tharsis, & omnium Lænonum ejus, ut ibidem dicit Ezechiel, septusque innumerabilibus eis populis, ut ibidem dicitur, nec non Apocalypsis 20. His inquam furiis agitatus irruet contra illum sanctorum cœtum, contra illa castra, contra illam civitatem dilectam, *quasi tempestas* *Ezech. 38. 9.* juxta Ezechielem, & cur? *ut diripias spolia, & invadas prædam* & iterum, *Ut tollas argentum, & aurum, & auferas suppellectilem, atque substantiam, & diripias manubias infinitas*, quæ sunt verba juxta eundem Prophetam, quibus Gogo adulabuntur illi sui Lænones. Hoc, & non aliud crimen, avaritiam scilicet, & crudelitatem hujus administram, objicit illi Ezechiel toto hoc capite, & sequente; Unde non videtur, quod ille moturus sit bellum ratione religionis directe, ac formaliter, sed ratione auri, & argenti; nec refert quod à Joanne dicatur seductus à Diabolo de quo *seducet gentes, quæ sunt* *Apoc. 20.* *super quatuor Angulos terræ Gog, Magog, & congregabit eos in prælium*; quoniam sunt multi modi seducendi; Ergo ex eo, quod Joannes dicat de Diabolo *seducet*, non illico sequitur, quod seducet determinatè, ac directè in materia sæviendi contra religionem. Seductio hæc, de qua Joannes, stabit physice, ac realiter in eo, quod prædixerat Ezechiel loquens, ubi nuper de hoc Gog, *cogitabis cogitationem pessimam, & dices: Ascendam ad terram absque muro &c.* Civitas ergo *dilecta, & castra sanctorum*, in quæ venturum Gog cum suis (ubi etiam habitabitur quiete sine muro, sine porta) prædicunt Ezechiel, & Joannes, erunt cœtus ille, & congregatio fidelium, qui secuti fuerint illum Papam; & hujus senatum. *Ibid.*

§. Secundus.

LXIX. IGitur ille Gog futurus videtur Tartarus, aut Moscovita, aut ex aliqua illarum gentium septentrionalium. Tum quia gentes illæ numero, & qualitate equorum pollent, quibus & vehuntur, & aluntur juxta illum, qui dixit. *Venit, & epoto sarmate pastus equo.* Et Gog tri- *Ezechiel 15* buit Ezechiel maximum numerum *Matt.* equo-

equorum *populi multi tecum ascensores equorum universi ;* Tum quia ille, & sui, magnam famem habebunt argenti, & auri, ut dixi ; hæc autem fames omnibus hominibus communis, specialissime grassatur in eis populis, in quibus hæc metalla non sunt frequentia, aut ratione fodinarum, quia has non habent, aut ratione mercium, quia mercaturam non curant ; Tum maximè, quia in eo, & sequente capite ter dicit Ezechiel Gog, & suarum gentium robori. *Venies de loco tuo à lateribus aquilonis tu, & populi multi tecum.* Et rursus *Ascendere te faciam de lateribus aquilonis &c.* Tartari autem Europei, Moscovitæ. Sarmatæ, & accolæ alii maris Euxini non sunt respectu Babylonis, ubi prophetabat Ezechiel in aquilone; sed in lateribus aquilonis, id est magis occidentales, atque, ut ita dicam in latere dextro aquilonis. Præterea illud *tunc*, quod dicit Christus Dominus, loquens de ultimis illis temporibus, quamvis complectatur etiam tribulationem futuram sub Antichristo, *erit enim tribulatio magna, qualis non fuit ab initio mundi usque modo ;* At non significat solam illam, sed etiam hanc eiendam per Gog & innumerabilem suum exercitum : Quoniam ibidem additur, *neque fiet* ; post tribulationem autem sub Antichristo fiet hæc alia movenda à Gog, & horribilis valde juxta Ezechielem ajentem.

Ibid. v. 19. *In die illa erit commotio magna super terram Israel* ; *Et commovebuntur à facie mea pisces maris, & volucres cœli, & bestiæ agri, & omne reptile, quod movetur super humum cunctique homines, qui sunt super faciem terræ, & subvertentur montes, & cadent sæpes, & omnis murus corruet in terram* : quando contingant, quæ his vobis significari voluit DEUS, videturne tibi futura modica tribulatio ? Hæc contingent *in die illa*, id est, quando veniat Gog qui ut ante dixi, veniet post Antichristum : Ergo post tribulationem per hunc inducendam erit vehementissima alia tribulatio, quamvis brevissima, & instar fulminis, quia propter electos adhuc residuos, & Antichristo superstites *breviabuntur dies illi :* Ergo illud *tunc* Christi Domini non significat solam tribulationem Antichristianam, sed etiam Gogæam : & ratio est, sicut sol magis calefacit nos per se loquendo in Leone, quam in cancro, licet ibi jam sit nobis magis obliquus, & distans, quam hic, & magis calefacit hora secunda, ac tertia post meridiem, quam in ipso meridie, licet jam magis distans, & obliquus; nempè quia calor, quem in utroque casu emittit, inveniet terram jam calefactam & Atmospheram quoquè. Ita quamquam tribulatio Gogæa entitativè, ac secundum se futura sit minor, quam Antichristiana; quia tamen cadet supra cœtum, & senatum Ecclesiæ, supra illosque fideles, qui instar aquilarum volarunt, ut ei sese adjungerent, & hi omnes quasi exangues, & enerves futuri sunt ob proximè antecedentem persecutionem Antichristi, & hoc sublato putabunt se liberos ab omni hostili incursu ; Idcirco videntes hi, se de novo invadi ab hoste novo, tribulatio inducenda per Gog erit tribulatio gigantæa, quia ut dicit Job. *Concidit me vulnere super vulnus, irruit in me quasi Gigas.* Vulnus inflictum supra vulnus est vulnus à gigante inflictum, id est sævum nimis, atrox, & crudele. Aliæ tribulationes, quæ tunc erunt post Gogæam propter cœlorum, & elementorum perturbationes, non videntur comprehendi sub illo *tunc*, quia ipse Dominus videtur illas discernere ab hac inquiens. *Statim autem post tribulationem dierum illorum sol obscurabitur &c.*

Matth. 24.

Job. 16.

Matth. 24.

LXX. In truculentas illas, & numerosissimas gentes boreales, nec non in socias, quibus constabit exercitus Gog, conglobabit DEus clades, quibus jam olim assuetus est inimicos suos ulcisci 1. immittit illis spiritum discordiæ *gladius uniuscujusquè in fratrem suum dirigetur* : sic quondam ingruente in Philistæos Jonata cum armigero suo. *Versus fuerat gladius uniuscujusquè ad proximum suum.* Sic etiam tempore Gedeonis punivit madianitas : *Immisitque Dominus gladium in omni-*

Ezech. 38.

1. Reg. 14.

Judic. 7.

omnibus castris, & mutua se cæde truncabant. Non meliore carnifice cadunt inimici DEI, quam inimico alio DEI.2. Contaminabit illos peste. *Et judicabo eum peste, & sanguine*: sic tempore Davidis propter hujus vanam animi elationem: 2. Reg.24. *Immisit Dominus pestilentiam in Israel de mane usque ad tempus constitutum, & mortui sunt ex populo à Dan usque ad Bersabee septuaginta millia virorum.* 3. Contundet DEUS illum exercitum. *Imbre vehementi, & lapidibus immensis*, ut ibidem minatur. Josue.10. Sic tempore Josue prostavit quinque regum exercitum. *Dominus misit super eos lapides magnos de cœlo usque ad Azeca, & mortui sunt multo plures lapidibus grandinis, quam quos gladio percusserant filii Israel* 4. absumet etiam DEUS igne, ac sulphure copias illas Gogæas. *Ignem, & sulphur pluam, & super exercitum ejus, & super populos multos, qui sunt cum eo.* Et hoc supplicium Joannes quoque memorat Apoc. 20. sumendum de illis. *Descendit ignis à DEO de cœlo, & devoravit eos*, nempe quos aliæ pœnæ non occiderant. Hac olim vindicta documentum honestatis dedit in illis quatuor civitatibus. Gen. 19. *Dominus pluit super Sodomam, & Gomorram sulphur, & ignem Domino de cœlo.* Hæ quatuor suppliciorum species manent gentes illas boreales secuturas Gogum, & irrupturas in regionem, ad quam tanquam ad asylum confugient reliquiæ Christianitatis superstites Antichristo. Conglobabit autem DEUS super infelicia ea capita hæc supplicia simul, quorum singula extirparunt; quondam populos integros, quia in ea colluvie Apoc.20. hominum ope diabolica, ut dicit Joannes, confluentium undique & sequentium Gog, regnabunt vitia, propter quæ his suppliciis affecit DEUS olim populos antiquos, vel potius ut mortales residui usque ad tunc jam imminentem diem indicii, discant timere, & glorificare DEum. Post recensita enim hæc quatuor genera pœnarum, subjungit DEus. Ezech 38. *Et magnificabor, & sanctificabor, & notus ero in oculis multarum gentium, & scient, quia Gog Dominus.*

LXXI. Deleto sacrilego illo exercitu, quatuor memorabilia contingent juxta Ezechielem. *Primum* sicut inter gentes politicas esse solet notus, & nominatus locus, in quo facinorosorum cadavera exponuntur ad terrorem, atque exemplum aliorum; ita Gog ipse sepelietur ab hominibus in loco publico (cujus signa dat ibi) noto, & nominato, malo, utiq; nomine. *Dabo Gog* Ezech. 39. *locum nominatum sepulchrum in Israel, Vallem viatorum ad orientem maris, quæ obstupescere faciet prætereuntes &c. secundum*: Quod *sepelient eos*, nempe occisos inclitos Gogi, *domus Israel, ut mundent terram septem mensibus* Emphatico modus dicendi multitudinem cadaverum. *Tertium*, quod *post menses autem septem quærere incipient.* Cum autem tempus hoc sufficiens jam sit, ut cadavera illa innumerabilia, & heterogenea tum hominum, tum equorum tabe dissoluta, & putrefacta inficiant aërem, videtur etiam emphatica locutio ad significandum occupationem vivorum in spoliis legendis exercitus illius destructi, quæ tot erunt, ut occupati vivi in eis colligendis, non nisi post septem menses meminerint sepelire illa cadavera, ut *mundent terram*, ne aërem corrumpat ille fœtor. *Quarum*, quod Israelitæ succendẽt *igni septem annis* arma, & bellicum apparatum illius exercitus, ita ut toto illo tempore non egeant aliis lignis ad usus domesticos. Hoc etiam, sicut illud de septem mensibus, videtur, non intelligendum ad litteram, sed per exagesim, ad significandum multitudinem annorum relictorum, & magnitudinem bellici apparatus, quẽ habebat ille exercitus. Tum quia hic idem Propheta dicit ad Gog nomine DEI. *In novissimo annorum venies*, & rursus ibidem. *In novissimis diebus eris*; non est autem novissimus annorum ille, post quem restant septem saltem alii anni; neq; sunt dies novissimi illi post quos supersunt adhuc 2555. dies. Tum quia hyperbolicus modus loquendi, qui significat, non quod sonant verba, sed solum aliquid speciale ter magnum in subjecta materia, est satis frequens in scriptura, ut multis exemplis ostendi Decade 1. num. 77. & seqq. v. gr. *Dominus regnabit in æternum, & ultra*, qua phrasi utuntur Moyses, & Micheas, & quæ tantum

tùm ſingnificat, interminabile regnum DEI, cum repugnet eſſe *ultra* æternitatem. Item. *Ut poſſideas civitates ingentes, & ad cœlum usque muratas,* Deut. 9. hoc eſt altiſſimis munitas mœnibus, quia muri non aſſurgebant certè ad perigæum Lunæ. Item: *Sunt autem, & alia multa, quæ fecit JESUS, quæ ſi ſcribantur per ſingula, nec ipſum, arbitror, mundum capere poſſe eos, qui ſcribendi ſunt, libros*, Joan. 21. id eſt opus eſſet multis voluminibus. Vide alia ibi.

LXXII. Non eſt ergo multum, quod Ezechiel ſignificandi cauſa cum ſpiritu, & energia, tria, quæ dixi, ter utatur hyperbole illa *ſeptem*, & dicat *ſeptem annos, ſeptem menſes, poſt ſeptem menſes*, maximè cum ſeptenarius numerus familiaris ſit ad explicandum multitudinem, ut ex ſcriptura probavi Decade 4. numero 106. & ſeqq. Tum etiam quia ut notavi, & utriusquè litteraturæ exemplis firmavi Decade 3. numero 30. frequens eſt uſus actus ſecundi pro actu primo, hoc eſt uti verbis ſonantibus *rem eſſe*, non tamen id ſignificantibus, ſed dignitatem, & meritum, *ut ſit*, v. g. Æneyd. 4. *Duris genuit te cautibus horrens, Caucaſus: hyrcanæquè admorunt ubera tygres*, ubi audis *genuit*, & *admorunt*, quæ verba non ſignificant remita fuiſſe; ſed æneam adeò inurbanum, & in civilem eſſe, ut dignus eſſet utriusque illius qualitatis; & hic idem Ezechiel corripiens Hyeroſolimam, inquit. *Juſtificaſti ſorores tuas*, nempè Ezech. 16. Sodomam, & Samariam *in omnibus abominationibus tuis*, hoc eſt feciſti, ut juſtæ & ſanctæ poſſint eſſe comparatione tui, & Chriſtus Dominus *viri Ninivitæ ſurgent in judicio cum generatione iſta &c.* Quia exemplo ſuo facient, ſicut etiam regina auſtri, quod vos digni ſitis condemnatione; non enim ſedebunt inter Apoſtolos ad judicandum, & condemnandum infideles. Et Eliſæus ſciens regem Syriæ 4. Reg. 8. moriturum. *Oſtendit mihi Dominus, quia morte morietur*, juſſit dici ei per Hazaelem *ſanaberis*, nempè attenta qualitate iſtius morbi, qui lethalis non eſt, ſanaberis; licet aliunde propter perfidiam illius ejusdem Hazaelis moriturus eſſet die ſequente. Et ſciens DEUS Ezechiam non moriturum tunc, ſed poſt quindecim annos, præcepit Iſaiæ, ut illi diceret. *Diſpone domui tuæ, quia morieris tu, & non vives*; nempè attenta qualitate iſtius morbi, qui ex ſe lethalis eſt, & attentâ ignorantiâ, quam habetis medicinæ ſpecificæ contra illum. Idem in præſenti. Dicit Ezechiel, fideles illos, qui tanquam aquilæ undique convolarunt, ut congregarentur in ea regione, ubi erat corpus Eccleſiæ, id eſt Eccleſiaſticus ſenatus, expenſuros illos ſeptem menſes, & illos ſeptem annos; non quia expendent in actu ſecundo tempus hoc; ſed quia ea erit multitudo occiſorum, ut eâ attentâ ſeptem menſibus opus eſſet ad eos ſepeliendos, & tanta erit copia armorum ut eâ attentâ, ſeptem, id eſt multi anni poſſent expendi in eis comburendis ad uſus domeſticos illius numeri fidelium. Nec mirum eſt, quod in locutione Prophetica utatur Ezechiel arcanis, & reconditis phraſibus. Iſai 38.

LXXIII. Aliâ plaglâ concutientur homines brevi tempore illo Gog, aut paulo ante juxtâ Ezechielem *Immittam ignem in Magog*, nempe in regionem, quam incolunt nepotes hujus, juxta ea, quæ dixi num. 65. *& in his, qui habitant in inſulis confidenter*: Et conſonare videtur Joannes dicens, quod cadente igne de cœlo. *Omnis mons & inſulæ de locis ſuis motæ ſunt*, & quod omnium conditionum homines *abſconderunt ſe in ſpeluncis & in petris montium.* Suppoſitâ autem hac commotione montium & inſularum propter crebros ignes è cœlo cadentes, & propter forſan non minus crebros ex terræ viſceribus erumpentes, naturaliter eveniet illa confuſio *ſonitus maris, & fluctuum*, quam dicit Lucas: quia ex probatis hiſtoriis novimus, quantum ſævire, & ſonare ſoleat mare, quando ignis concutit inſulas, & vicinos montes propter occulta commercia, quæ mare habet cum utrorumquè viſceribus, & explicui in Philoſoph. natur. Diſp. 3. num. 21. Ezech. 39. Apoc. 6. Luc. 21.

& seqq. naturaliter item continget, quod ibidem adjungit Lucas. *Arescentibus hominibus præ timore, & expectatione, quæ supervenient universo orbi*, & quod nuper dicebam ex Joanne: *Abscondérunt se in speluncis &c.* Tametsi enim fragor marinorum fluctuum non sit audiendus à cunctis prorsus hominibus tunc viventibus verb. gr. ab eis, qui habitabunt triginta, aut quadraginta leucis à mari (quamvis hi visuri sint signa in sole, Luna, & toto cœlo, quia signa hæc erunt in objecto cunctis hominibus patente) audiendus est à vicinis populis, & maximè ab illo grege fidelium, qui palestinam fortè adibunt, ut se agglomerent Ecclesiastico senatui, pro quibus immediate, ac directè scripsisse hæc videntur authores Canonici, ut per eos cæteri fideles moneantur; Illi fideles pleni adhuc timore, quia vix elapsi fuerant ex unguibus Antichristi, & sui vicarii, qui prohibuerat *ne quis possit emere, aut vendere, nisi, qui habet characterem aut nomen bestiæ &c.* Videntes ex una parte ingruere in suum cœtum immanem illum exercitum Gogi, & ex altera audientes horrendos fremitus maris, ignesq; subvertentes insulas, & montes, arescent utique præ timore, & abscondent se plerique *in speluncis, & in petris montium*, quoniam licet illorum multi habeant solatio sanctos libros, quorum oraculis de illis eisdem tunc præsentibus rebus, munient se contra illam perturbationem rerum; At cum unicuique dividat DEUS *mensuram fidei*, & cum scriptum sit *non enim omnium est fides*, plurimi concutientur timore, quem innuunt illa verba. *Arescentibus; Absconderunt se.*

Apoc. 13.

1. Mach. 12.

ad Rom. 12.

2. ad Thessal. 3.

LXXIV. Transactâ demum hac tempestate, eventurum videtur, quod Dominus prædixit, quoquè frequenter experimur nos ipsi post magnum aliquod periculum superatum. *Sicut enim erant in diebus antè diluvium*, inquit Christus, *comedentes, & bibentes, nubentes, & nuptui tradentes usquè ad eum diem, quo intravit Noë in Arcam, & non cognoverunt, donec venit diluvium, & tulit omnes; Ita erit, & adventus filii hominis.* Hoc enim aliquando veniet, sed non ante Antichristum, aut Gog, quippe adhuc tardabit adventus Domini: non item illis sævientibus, quia tunc non erunt homines vacando rebus illis: Ergo post utrumquè: frequenter evenit, quod Nautæ, & alii comites navigationis postquam evaserunt ex magna aliqua tempestate, redeunte impetuosè ad præcordia sanguine, quem præcedens pavor fugaverat, vel discedente illo, quem supra congesserat, dapibus, vino, joco, choreis, & cantilenis alacres vacant. Sic plurimi ex hominibus illis ultimis, & forsitan ex eis quoquè, qui senatui Ecclesiastico adhæserunt, videntes dissipatam procellam illam gentium septentrionalium cum suo Gog, inscii, velimmemores instare diem judicii, largius indulgebunt negotiis sæcularibus, corporisque voluptatibus. Id etiam insinuasse videtur Ezechiel, signanter addens. *Post menses autem septem, quærere incipient* cadavera nimirum innumerorum occisorum sequacium Gogi, innuens, quod sicut incolæ illius terræ, in qua innumerabilis exercitus est trucidatus, valdè absorpti sunt in aliis rebus, si non nisi post septem menses meminerint quærere cadavera illa ne corrumpant aërem; Ita homines post ablatum Gog, & trucidatum hujus exercitum, valdè abstracti, & illecti erunt quasi tripudiantes gaudentes, & celebrantes liberationem suam à sævis, & trucibus illis duabus bestiis, Antichristo, & Gog: Sed parum durabunt tripudia, nempè solos quadraginta quinque dies, ut infra dicam, & eveniet, quod Paulus præmonuit. *Sicut fur in nocte, ita veniet. Cum enim dixerit pax, & securitas, tunc repentinus eis superveniet interitus* ad hoc modicum tempus alludere videtur Dominus inquiens, quod post illam relaxationem similem antediluvianæ, *tunc duo erunt in agro, unus assumetur, & unus relinquetur, duæ molentes in mola &c.* Quippè cum inter ultimos eos homi-

Matth. 24.

Ezech. 39. 14.

ad 1. Thes. 5.

nes

nes futuri sint, & prædestinati & reprobi, plerosque forsan ex prædestinatis tollet de medio, nè malitia mutet intellectum eorum, & plerosquè ex reprobis relinquet, ut pabulum sint ultimi ignis, quo terraqueus globus conflagraturus est. Atquè ob hanc causam videtur concludere totam illam Prophetiam hac doctrina; *Ideo, & vos estote parati, quia qua nescitis hora filius hominis venturus est*, & adjungens similitudinem de malo servo dicente. *Moram facit Dominus meus venire*, & percutiente conservos, manducanteque, & bibente cum ebriosis: & urgere hoc idem videtur adjuncto capite immediatè sequente parabolâ de virginibus cum illo *tunc*; ne videntes homines illi, quod post occisos Antichristum, & Gog, adhuc non venit Christus, adhuc durat hic mundus, adhuc transeunt octo, decem, viginti, triginta dies, & quod post prædicatum Evangelium *in universo orbe in testimonium omnibus gentibus* adhuc non venit consummatio, & quod post tribulationem dierum illorum paulo antè præteritorum adhuc non apparet *signum filii hominis in cœlo*: ne inquam incipiant singuli dicere: *Moram facit Dominus meus venire*, & habenas laxent appetitibus, quasi illud *tunc veniet consummatio*, & illud *statim autem post tribulationem dierum illorum*, dicta sint cum præcisione mathematica, & non cum ea latitudine, quam admittit humanus, & vulgaris modus loquendi, sicut dicta sunt à Marco pleraque illa *statim*, *protinus*, quæ decies aut undecies ponit in sua primo capite sui Evangelii: & sicut dicuntur multa alia similia in aliis scripturis: Igitur cum illi quadraginta quinque dies, quos dixi, & suo loco probabo, mediaturos inter Gog de medio sublatum, & adventum Domini, sint tempus brevissimum respectu sæculorum, quibus hic mundus duravit, idcirco consummatio mundi, & visio signi Christi futuræ post illos dies ab interitu Gog, *tunc*, & *statim* futuræ sunt moraliter loquendo; sicuti quia hic globus incomparabiliter excreditur à globo stellato, punctum censetur, & dicitur, si comparetur cum illo, quanquam à parte rei non sit unicum punctum, sed magnam habeat extensionem.

Ibidem. *Ibidem.* *Marc. 1.*

§. Tertius.

LXXV. HInc primo quemadmodum vetus testamentum nusquam alibi dat tam expressam notitiam passionis, & mortis Christi, quam apud Isaiam, & Danielem, nec notitiam Antichristi, nisi apud Danielem; Ita notitiam Gog non alibi dat, nisi per Ezechielem. 2 cum idem Dominus, qui dicit *tunc veniet consummatio*, nec non *statim post tribulationem dierum illorum* adjunxerit ibidem parabolas duas super *moram*, quam faciebat, tum Dominus servi illius, tum sponsus illarum virginum, geminatâ hac commemoratione *moræ* videtur exponere illud *tunc*, & illud *statim*, & videtur docere illa, futura esse moralia, & non Mathematica; Alii autem soli 45. dies durationis mundi hujus, qui sex millia saltem annorum duraverat, sunt moraliter *statim*, & *tunc*: Ut quid enim producit parabolam de Domino, & sponso moram facientibus; si ipse quem *Dominus*, & *sponsus* significant, venturus erat in instanti immediatè subsequente ad illa, quibus adjungit adverbia dicta? Accedit, quod ut probavi Decade 1. n. 8. solet scriptura negare id, quòd quamvis sit, parum tamen est in genere suo, v. g. Joannes; *neque manducans, neque bibens*, cum aliquid simpliciter manducaret, ac biberet ut Marcus testatur. Item *quartadecima die hodie expectantes jejuni permanetis, nil accipientes*, cum aliquid simpliciter accepissent, quoniam absquè miraculo non possent vivere quatuordecim diebus absquè omni prorsus cibo tot illi nautæ, & socii; *Eramus verò*, inquit Lucas, *universæ animæ in navi ducentæ septuaginta sex*. Et ibidem numero 40. Ostendi quoquè, solere scripturam non curare numeros parvos, sivè ut ajunt *fractos*, v. g. de Noë scribitur. *Cum quingentorum esset* anno-

Isai. 53. *Dan. 9.* *Ezech. 38. & 39.* *Matth. 11.* *Marc. 1.* *Actor. 27.* *Gen. 5.*

annorum genuit, & certè juxtâ calculum Augustini, tunc non habebat, nisi quadringentos & octoginta annos. Et Abraham dixit: *Putasnè centenario nascetur filius?* Cum non haberet tunc, nisi nonaginta novem, & demum Decade 2. numero 9. ostendi, solere scripturam parva parvi pendere, & negare, quod brevi durat tempore, verb. gr. Salomon vocat se *unigenitum coram matre sua*: Et certum est præcessisse ipsi filium natum ex adulterio, & die septima mortuum. Ergo ulerior illa conservatio hujus mundi per 45. dies solos post tot sæcula quibus duravit, non adversatur illi *tunc*, aut illi *statim*.

Aug. 25. de Civ. c. 14.

Prov. 4.

LXXVI. Hinc 3. quamvis ingruente illa procella Gogæa plurimi turbandi sunt, ut paulo antè dicebam; sed non omnes; multi namquè memores Propheriarum Ezechielis, & Joannis, eisque muniti, scient fulmen illud innoxiè transiturum, eiquè dicent, quod ipsi dicit DEUS per Ezechielem: *Tu ergo ille es, de quo locutus sum in diebus antiquis in manu servorum meorum Prophetarum Israël, qui Prophetaverunt in diebus illorum temporum* (horum Prophetarum libri exstabant fortè tempore Ezechielis: Modo non exstant, & ipse, est primus, qui apud nos loquitur de Gog. Sunt itaquè libri hi è numero illorum, qui amissi sunt, quorum aliquos notavi Decade 5. numero 48. ubi præter librum Henoch quem citat S. Judas, & præter epistolam Pauli, ad Laodicenses, quam ipse citat, alii octo libri sacri amissi sunt, v. g. liber bellorum Domini, liber justorum descriptiones Jeremiæ &c.) & his aliisquè verbis firmabunt erudientque imbecilles: At quod alluisse videtur Gabriel quando loquens de ultimis illis temporibus occasione Antiochi, de quo tunc erat sermo, quiquè Antichristi, atquè Gog futurus erat typus, inquit. *Qui autem docti fuerint, fulgebunt, quasi splendor firmamenti; Et qui ad justitiam erudiunt multos, quasi stellæ &c.* Hinc 4. quod Joannes immediate post scriptam cladem totius exercitus Gogæi, dicat. *Et Diabolus, qui seducebat eos, missus est in stagnum ignis, & sulphuris, ubi & bestia, & Pseudoprophetæ cruciabuntur die, ac nocte*: Non probat, quod homines non amplius peccaturi sint in illis quadraginta quinque diebus, qui supererunt usque ad diem judicii. Tum quia ut homines peccent non est simpliciter necessarium, quod seducantur à Diabolo, cum unusquisque tentetur *à concupiscentia sua abstractus, & illectus*, tum quia Joannes loquitur de magno Diabolo, restabunt multi autem alii Diaboli subalterni sufficientes ad seducendum plurimos ex illis ultimis hominibus. 5. Responsio Christi Domini apud Matthæum, & apud Lucam partim est de destructione Hyerosolimæ, atquè templi, partim autem de destructione mundi, ut notarunt Augustinus, Hieronym. Beda, & Maldonado.

ad Colos. 4.

Dan. 12.

LXXVII. Existimantes enim Apostoli eundem futurum supremum diem, & templi, & mundi, quæsierunt à Christo 2dùm Matthæum (Petrus, Jacobus, Joannes, & Andreas nominatim, ut advertit Marcus) *dic nobis quando hæc erunt? & quod signum adventus tui, & consummationis sæculi?* ad quæ simul respondet Dominus in eisdem capitibus trium Evangelistarum; Tum quia simul quæsita fuerant. Tum quia res, & calamitates in utroque casu eventuræ valdè simileserant. Et destructio Hyerosolimæ futura erat typus, ac imago destructionis mundi, & quasi hujus prognosticon, estque solenne in scriptura transire derepente à re veteris testamenti ad rem novi; quando illa est typus hujus, ut bene observat Sanctius, & est etiam antiquum in scriptura enunciare de figura id quod est proprium figurati atquè viceversa, ut exemplis firmo Decade 5. n. 36. & seqq. igitur tres classes rerum prædicit Christus in eis capitibus per eos tres Evangelistas. Prima est earum rerum, quæ communes sunt utrique destructioni, & templi, & mundi. 2. earum, quæ futuræ erant propriæ destructionis tem-

templi. 3. earum, quæ destructionis mundi propriæ erant futuræ. Communia utrique casui sunt. *Multi enim venient in nomine meo dicentes ego sum Christus: Et multos seducent;* Item. *Multi Pseudoprophetæ surgent, & seducent multos.* Item, *refrigescet charitas multorum.* Item, *Væ prægnantibus, & nutrientibus in illis diebus.* Et similia, quæ licet paulo ante finem mundi maximè, ac præcipue verificanda sint propter sævitiam Antichristi, & propter diabolicas artes vicarii sui, de quo scribit Joannes, *fecit terram, & habitantes in ea adorare bestiam primam;* nempè Antichristum, qui fingens se esse Christum verum hujus erit maximus adversarius; Ast verificata etiam fuere paulo ante excidium Hyerosolimitanum, ut constat ex Samaliele mentionem faciente in Concilio, de quodam Theoda, & de quodam Juda, & constat etiam ex tribuno Romano mentionem etiam faciente de alio impostore Ægyptiano. Et refriguit charitas, ut insinuat Paulus.

Matth. 24.
Apoc. 13.
Actor. 5. 36. Ibid. 21. ad Heb. 6. & 10. & 12.

LXXVIII. Ad destructionem verò urbis, & templi Hyerosolimitani alludunt magis proprie illa. *Cum videritis abominationem desolationis, quæ dicta est à Daniele Propheta*, ut supra explicui numero septimo & illud *cum autem videritis circumdari ab exercitu Hierusalem*, & illud *antè hæc omnia injicient vobis manus suas, & persequentur tradentes in synagogas, & custodias.* Sivè ut dicit marcus. *Vapulabitis.* Item. *Antè reges, & præsides stabitis propter me.* Id enim contigit Stephano, Petro, Joañi & Paulo, nec non multis illis ad quos scribit Paulus, *Magnum certamen sustinuistis passionum: Et in altero quidem opprobriis & tribulationibus spectaculum facti, in altero autem socii taliter conversantium effecti; nam & vinctis compassi estis, & rapinam honorum vestrorum cum gaudio suscepistis &c.* Sic alloquitur hæbreos illos, qui à prima charitate non nil deciderant, atq; ideo exordiritur. *Rememoramini autem pristinos dies, in quibus illuminati, magnum &c.* Denicq; ad illa tempora ultima spectare videtur illud. *Prædicabitur hoc Evangelium regni in universo orbe*, quod maximè fiet per Henoch, & Eliam, & per Apostolicos viros eorum sequaces; & illud. *Erit enim tunc tribulatio magna, qualis non fuit ab initio mundi usquè modo, neque fiet* Licet enim tribulatio magna fuerit, quando Hyerosolima subversa fuit, alia tamen multo major fiet: Videlicet quando Antichristus, & Gog grassabuntur; & illud *propter electos breviabuntur dies illi* (hoc est decrevit DEUS, nè futuri sint suprà tres annos, & dimidium, sicut etiam *septuaginta hebdomades abbreviatæ sunt super populum tuum &c.* ut Gabriel dixit Danieli, id est, statuit DEus, ne adventus Messiæ differatur ultra septuaginta hebdomades) & illud *statim autem post tribulationem dierum illorum sol obscurabitur &c*, Et illud Lucæ *erunt signa in sole, & luna, & stellis, & in terris pressura gentium præ confusione sonitus maris, & fluctuum, arescentibus hominibus præ* timore. Hæc sanè non evenerunt in excidio Hierosolymitano; Et illud *tunc tradent vos in tribulationem & occident vos, & eritis odio omnibus gentibus propter nomen meum.* Hæc inquam ad ultima tempora spectare videntur.

Luc. 21.
Actor. 6. 7. 5. & 12. & 14. & 15. & 16.
ad Hebr. 10.
Dan. 9.
Luc. 21.
Apoc. 13.

LXXIX. Quia cum maxima pars illorum hominum secuta sit Antichristum, quippè de hujus vicario dicit Joannes, *faciet omnes pupillos, & magnos, & divites, & pauperes, & liberos, & servos habere characterem in dextera manu sua*: Et cum Antichristus, utpote, cui datũ erit *os loquens magna, & blasphemias* sivè ut dictum fuit Danieli. *Sermones contra excelsum loquetur*, jactaturus sit, quod ipse sit verus Christus, & quod Christus hactenus adoratus figmentũ, & fabula sit, & propterea sedebit *ostendens se tanquam sit DEus*, propter quod ipse Dominus Jesus prævenit illos homines inquiens. *Tunc si quis vobis dixerit. Ecce hic est Christus aut illic nolite credere*, cum reliquis, quæ ibi adungit; propter quod etiam objurgans Judæos, & ex alto alloquens ipsorum prolem, futuram in ultimis temporibus, inquit: *Ego veni in nomine Patris mei, & non accipitis me* (hoc ad Judæos tunc præsentes) *si alius venerit in nomine suo illum accipietis*, hoc ad descendentes ex illis secundum carnem, aut secundũ spi-

Ibid.
Dan. 7.
2. Thessal. 2.
Matth. 24.
Joan. 5.

spiritum, & cum Antichristus mortales seducturus sit, inquiens se esse illum, cum quo juxta Joañem regnaturi sunt sancti *mille annis*, & cum tota hæc tragædia duratura sit, non unâ, vel alterâ die, sed tribus continuis annis cum dimidio, quoniam toto illo tempore non destruet eum Dominus JEsus *spiritu oris sui*, sicut spiritu oris sui cohortem integram quondam postravit, & sicut
Apoc. 13. Petrus oris sui spiritu interfecit par illud conjugum, cum hæc inquam ita sint, pauci illi, qui veri JEsu Christi tenaces fuerint, tribulationem illam, quam dicit Dominus per Matthæum
Marc. 13. patientur ab illis, *quorum non sunt scripta nomina in libro vitæ agni, qui occisus est ab origine mundi*, qui tunc Antichristi partes sequentur. Et notat Marcus, quod perduellionem hanc patrabunt consanguinei ipsi. *Tradet autem frater fratrem in mortem & pater filium, & consurgent filii in parentes, & morte afficient eos. Et eritis odio omnibus propter nomen meum* nempè quia, ut alibi citat Dominus ex Michea *inimici hominis domestici*
Mich. 7. *ejus.*

LXXX. Ex quibus omnibus infertur, quod dicebam n. 77. videlicet, quod in eis tribus capitibus eorum trium Evangelistarum dat Christus signa tribulationum cõmunium utriq; excidio, templi scilicet, ac mundi: & tribulationum propriarum in excidio Hierosolymitano: & tribulationum propriarũ in excidio mundi. Sed Dices. Post data hæc signa subjungit imediate Christus loquens cum suis discipulis tunc præ-
Luc. 21. sentibus. *His autem fieri incipientibus respicite: & levate capita vestra quoniam appropinquat redemptio vestra*: Ergo discipuli illi visuri erant ea signa; at non erant visuri signa immediate præcedentia finem mundi, quippè non erant tunc victuri, siquidem omnes illi multis abhinc sæculis mortui sunt; ergo ea non sunt signa præcessura fini mundi, sed fini templi: nego primam consequentiam, quia cum Christus claudat apud Marcum totam prophetiam verbis illis, *quod autem vobis dico, omnibus dico, vigilate*:
Marc. 13. Inde est, quod licet Apostoli non victuri essent usq; ad tempus signorum destructionis mundi, sapienter dicuntur à Christo illa signa pro illis fidelibus, qui tunc victuri sunt. Valeret objectio, si Apostolis *solis*, & pro illis *solis*, ea dicerentur; at neq; illis solis, neq; pro illis solis dicuntur, sed *omnibus*; ergo dicuntur eis, qui paulo antè finem mundi, atq; in ultimis eis perturbationibus vivent, ergo eis qui signa illa cernentes possunt sibi cavere ab ea fæce impostorum, & attollere caput, atque corroborari odore vicinæ salutis. Nego item minorẽ sumbsumptam, quoniam sanctæ animæ Apostolorum tametsi Deo fruentes in cœlo, scient procul dubio, quæ contingere incipient in Ecclesia militante. Ergo scientes incipere jam signa prædicta à suo Magistro, novo gaudio accidentali perfundentur quoniã appropinquat redemptio sua, hoc est reunitio cum suis priscis corporibus, fidisq; sociis antiquæ peregrinationis: quam reunionem, cum naturaliter appetant animæ separatæ, utpotè substantiæ incompletæ, licet absque ullo angore sint separatæ à corporibus, quamdiu DEus vult, ob plenam resignationem in divinam voluntatem, hac de causa reunitio hæc potest vocari redemptio illarum ab statu utiquè incompletionis, atq; separationis ab amico antiquo, & fido; alias cum redemptio illarum strictè talis, id est à peccato facta fuerit per mortem Christi, & huic morti non præcesserint illa signa, planum est Christum non loqui de propinquitate strictæ illius Redemptionis.

CAPUT VI.

De muliere amicta sole Ecclesiam præmonstrante.

LXXXI. EXplicatis utcumq; aliis symbolis, & hyerogliphicis, quibus Joannes, & Daniel loquuntur de hostibus invasuris Ecclesiã in ultimis temporibus, ipsius Ecclesiæ hyerogliphicum intueri, & expendere oportet. Sicut non dubito, speciem illã, sivè imaginem mulieris sole vestitæ, quæ Joanni obversabatur aliquo ex *Apoc.* multis eis modis, quos supra explicui cap. 2. significasse in sensu allegorico Beatissimam Virginem Mariam: Ita est mihi valdè probabilis sententia illorum Theologorum, qui censent hyerogliphicum illud significasse in sensu litte-

litterali Ecclesiam, ut in illis ultimis calamitosis annis mundi futuram. Quoniam ipsa natura rerum, quas tunc eventuras novimus ex scriptura, satis ostendit, tunc verificanda de Ecclesia omnia, quæ per metaphoram elegantẽ dicit Joañes de hac muliere amicta sole. Porrò quando dico *Ecclesiam*, non intelligo quemlibet cœtum hominum ratione, vel prætextu rei sacræ convenientium, in quo sensu loquebatur scriba ille, qui sedabat Ephesios, & locutus *Actor. 19.* etiam fuit Lucas tunc inquiens: *Cum hæc dixisset dimisit Ecclesiam*; sed intelligo determinate solam Ecclesiam Christianam, & Catholicam Romanam; neq; hanc intelligo quoad omnia penitus sua membra, quia unum ex his, quæ de illa muliere scribit Joannes, est, *fugit in solitudinem*, difficile autem creditu est, quod omnes Catholici ad unũ, viri, fœminæ pueri senes, ægroti, invalidi, fugiant in solitudinem. Intelligo itaq; Ecclesiam, hoc est Senatum Ecclesiasticum cum suo capite, nempe cœtum, sivè congregationem multorum Episcoporum, & Cardinalium (nequè enim omnes omnino deserturi sunt greges suos in eis periculosis temporibus) cum summo pontifice, qui cœtus, seu senatus tunc repræsentabit totam Ecclesiam, & in quo tunc consistet corpus Eccclesiæ, & ad quem tunc convolabunt multi fideles, tanquam *Luc. 17.* aquilæ generosæ ad corpus.

LXXXII. Igitur dicit Joannes. *Signum magnum apparuit in cœlo.* Dicit signum, quippe illud, quod cernebat oculis corporis, imaginationis, aut mentis, juxta ea, quæ dixi capite 2. non erat à parte rei mulier corpore fœmineo, & anima rationali constans; sed signum, figura, emblema, hyeroglyphicum, sivè imago mulieris, lege quæ ibi dixi num. 20. *magnum* non ratione quantitatis molis quasi species illa mulieris adeo procera, & vasta esset, ut globo solari, qui supra centies major est globo terraqueo, tanquam veste uteretur, sed ratione magnarum rerum, quas imago illa, circumdata solari luce, non vero substantia ipsa corporis solaris, præfigurabat. Apparuit *in cœlo*, non utique Empyreo, Christallino, aut stellato, quos solos tres cœlos agnovi supra Disput. 1. num. 65. sed in aero, de quo non semel dicit scriptura in sensu magis largo, *Volucres cœli, nubes cœli*, & sic solvitur nodus, quo Ribera stringitur: nempè quomodo Draco, id est Diabolus po- *Lib. in 12. Apoc.* terat esse in cœlo, ut partui mulieris insidiaretur, & cum Michaele præliaretur? Inprimis poterat esse in cœlo aëreo. Deindè non est necessarium, quod hæc contingerent physice à parte rei, ut Joannis visio verificaretur: potuit namque contingere aliquo ex multis eis modis, quos ibi protuli. & quorum immunitatem à falsitate, etiamsi res, quæ dicuntur visæ, non contingerent physicè, ac realiter, explicui parabolârum, & Apologorum exemplo. Rursus illud *in cœlo* potest significare, *in congregatione fidelium*, hoc est in Ecclesia (Senatus profecto Ecclesiasticus in Ecclesia est) siquidem, ut merito advertit Gregorius *sæpe in sacro eloquio regnum cœlorum præ-* *Homil. 12. in* *sentis temporis Ecclesia dicitur.* *Evang.*

LXXXIII. Dicitur 2. *mulier*; potest hic significari Ecclesia non quoad omnia penitus sua membra, ut etiam dixi, quoniam fideles multi non fugient in desertum, cum de hac muliebri figura dicatur fugisse; sed in medio persecutionis Draconis erunt alii, quia nolent, alii quia non poterunt fugere ratione sexus, ætatis, valetudinis, & impedimentorum, quæ nunquam desunt. Resistentes alii, alii miserè succumbentes, quandoquidem ibi dicit Jonannes, quod *iratus est* *Apoc. 13.* *Draco in mulierem, & abiit facere prælium cum reliquis de semine ejus, qui custodiunt mandata Dei, & habent testimonium Jesu Christi*, id est cum bonis Catholicis, qui sparsi remanebunt per totum orbem; atq; hac de causa dicit, quod stetit *supra arenam maris*, quasi vocaturus marinum monstrum, quod ibi depingit, nempè Antichristum: hoc autem medium fuit draconi valde efficax ad suum finem persequendi Ecclesiam, quoniam, ut ibi dicitur de marina bellua, hoc est de Antichristo, ut supra ostendi n. 45. *datum est illi bellum facere cum sanctis, & vincere eos:*

Dan. 7. Et mox *adoraverunt eam omnes, qui inhabitant terram quorum non sunt scripta nomina in libro vitæ agni.* Et pridem dixerat Daniel de Antichristo eodem per cornu parvum præfigurato. *Ecce cornu illud faciebat bellum adversus sanctos, & prævalebat eis.* Continget enim tunc, quod modo etiam contingit, & propter eandem rationem quam Augustinus scribit. *Deus autem melius esse judicavit miscere quosdam non perseveraturos certo numero sanctorum suorum: Ut quibus non expedit in hujus vitæ tentatione securitas, non possint esse securi.* Sivè ut prius dixerat. *Unde constat magnam esse gratiam, quod plurimi liberantur, & quid sibi deberetur in eis, qui non liberantur, agnoscunt: Ut qui gloriantur non in suis meritis, quæ paria vident esse damnatis; sed in Domino glorientur.* Muliebre itaque emblema illud non significat Ecclesiam, quoad omnia penitus individua humana quibus constat (non quia reprobi, nequeant esse membra Ecclesiæ militantis; sed quia non omnes illi fideles fugient in deserta loca) sed tantum quoad primaria capita: Nimirum quoad paucos illos homines, qui, curam habebunt cum Papa regendi Ecclesiam, fovendi, & alendi tanquam matres spirituales homines alios, territos eorum temporum calamitatibus, & conservandi Ecclesiasticum regimen: Quod ne aboleatur cum Hierarchia Ecclesiastica, confugient illi ad dissita loca (en discessionem, quam forsan innuit Paulus hoc est discessionem Ecclesiæ à Roma) declinaturi quoquè ipsi rabiem, & furorem illorum decem principum, qui urbem Romanam flammis delebunt; sicut olim, ut sæpè dixi, senatores Romani confugerũt ad capitolium, ut fama conservaretur senatus, & reipublicæ, quando post prælium allienſe hac illac dispersi sunt Romani, donec exul camillus fugavit gallos. Id non tollet, quod multi alii fideles sequantur cœtum illum, & senatum Ecclesiasticum, quia in hoc etiam sensu verificabitur, ut jam dixi, quod de ultimis temporibus prædixit Dominus. *Ubicumque fuerit corpus* (nempè Ecclesiæ, quæ corpus Christi dicitur) *illic congregabuntur, & aquilæ*; quatenus generosi multi fideles, spretis terrenis omnibus, & ad sublimia erecti, volabunt instar aquilarum ad vivendum aut moriendum cum illo corpore mystico Christi.

Lib. de dono perseu. c. 8.

Idem. de prad. cap. 8.

2. ad Thessal. c. 2.

Apoc. 17. 16.

LXXXIV. Porrò congregatio illa præsulum, & senatorum Ecclesiæ cum suo capite significata fuit Joanni. & per hunc nobis, sub hieroglyphico mulieris. Tum, ut sine violentia caderet metaphora, quæ posteâ adjungitur *peperit, fugit*, quæ Dan. 7. sunt proprietates mulierum. Tum quia si Dominus ipse non dedignatus est assimilare se ipsum aquilæ respectu Ecclesiæ Hæbreæ, *sicut aquila provocans ad volandum pullos suos*, imo, Matth. 23. & gallinæ: *Quemadmodum gallina congregat pullos suos, &c.* Quid mirum quod mulieri assimilet senatum dictum. Tum quia licet genus fœmineum appingatur interdum viris in scriptura dedecoris causa: verb. gr. *Filiæ discurrerunt super murum, &c.* Ubi Gen. 49. Jacob filios suos invidentes quasi mulierculas Josepho, & hunc unum solum ipsi (octo saltem) invadentes (atquè ideò *super murum*, hoc est ex loco securo, nec non *habentes jacula*, hoc est benè armati sua ipsorum multitudine) vocat *filias*; Ast multoties adscribitur eisdem amoris, atquè custodiæ gratia, ut latè probo Decade 4. numero 127. verb. gr. *Haggæus nuntius* Hag. *Domini de nuntiis Domini* hebraicè ponitur terminatio fœminina, quasi dicamus, *de nuntiabus Domini.* Item, Ezech. 13. *verba Ecclesiastæ filii David*, hoc est, *verba concionatricis.* Similiter Isaias alloquens populum Hierosolymitanum, & corroborans regem Ezechiam dejectum animo propter cujusdam Rabsacis minas, inquit. *Despexit te, Isa. 37. & subsannavit te virgo filia Sion, post caput movit filia Hierusalem.* Ecce semel, & iterum adscribit illi populo nomen fœmineum. Similiter Jeremias in suis Threnis populum eundem non semel vocat amoris, & teneritudinis causa *virginem & filiam*; Ergò, quod congregatio præsulum, & se-

& senatorum Ecclesiæ objiciatur Joañi sub specie muliebri non est dedecus. Et quidem satis vulgaris est locutio hæc. *Mater Ecclesia*, insolens autem hæc *Pater Ecclesia*. Ratio autem ob quam species illa non dedecet est. Cum Patres familias speciali teneritudine prosequi soleant filias suas, & uxores, specialiq; vigilantia custodire illas, ut ostendat DEUS specialem curam, benevolentiam, & vigilantiam, quam habebit erga cœtus aliquos virorum, solet loqui de illis, aut cum illis, tanquam de, aut cum virgine filia. Initio ergo visionis videtur DEUS polliceri specialem benevolentiam, & providentiam (quam posteâ magis in particulari explicat) erga afflictum illum senatum Ecclesiæ, cujus senatores experientur, quæ olim subierunt Hæbrei in persecutione Antiochi, qui vulgo censetur typus Antichristi: *Egentes, angustiati, afflicti, quibus dignus non erat mundus in solitudinibus errantes, in montibus, & speluncis, & cavernis terræ*: Atquè idcirco sicut olim Synagogam vocabat virginem filiam per prophetas antiquos, sic Joanni objecit Ecclesiam Christianam, id est senatum dictum Ecclesiasticum sub specie mulieris adultioris jam ætatis, & prætiosioribus cœli gemmis ornatæ. Certè Antichristus implacabile habebit odiũ contra JESUM Christum, & de illis decem principibus, qui ei præcedent affirmat Joannes: *cum agno pugnabunt.* Ergo & hi, & ille implacabili insectabuntur odio senatum illum Ecclesiasticum, & suum caput, vicarium JESU Christi, ut Christianitatis capite rescisso, & alio in locum illius non suffecto legitime religio Christiana pereat. Senatus ille Ecclesiam repræsentans non cedet illis, aut illi, quia promissum est: *Portæ inferi non prævalebunt adversus eam*: Non resistet armis temporalibus, quia hæc permissa erunt tunc hostibus solis: Non habitabit quiete cum his, & in medio horum, ut satis constat. Ergo fugiet (sicut Christus, & Apostoli non semel declinarunt hostes) donec veniret tempus suum, atquè speciali providentia, & amore DEI conservabitur in terris. Repete, quæ dixi, & insinuavi supra num. 36. & infra 142.

ad Heb. 11.

Apoc. 17.

Matth. 16.

LXXXV. Dicitur 3. *Amicta sole.* Quoniam senatus ille audiens erit præcepto Pauli, semel, & iterum utentis eadem Metaphora. *Induimini Dominum JESUM Christum*, quia tunc maxime necesse erit, quod *carnis curam* nè faciant. & rursus *Christum induistis*: Et iterum. *Expoliantes vos veterem hominem cum actibus suis, & induentes novum eum, qui &c.* Ergo Ecclesiam esse indutam, vestitam, amictam Christo, qui toties vocatur *Sol* in scriptura, non est phrasis in scriptura inusitata, aut non est tortura verborum: Ergo absquè violentia dici poterit de ultima illa Ecclesia, quod erit amicta sole justitiæ, & consequenter aptè potuit proponi Joanni sub imagine mulieris amictæ sole materiali. Dicitur 4. *Luna sub pedibus ejus.* Tum quia cum Ecclesia ex gratia, & favore DEI, propter assistentiamque spiritus sancti sit *columna, & firmamentum veritatis*, Lunam mysticè calcat, quæ symbolum est mutabilitatis: *Stultus sicut luna mutatur*, habetque pro tessera, & charactere, errores fugare, disjicere, & conculcare: Cumque Luna sicut stultorum, ita errorum sit imago propter longè plures errores physicos, quos in suo cursu habet supra alia sydera errantia, siquidem nullus alius Planeta habet singulis mensibus errores, quos habet Luna, & nullus alius transilit per tot gradus terminos, sivè tropicos solis, quippè illos transilit per 5. gradus huc, & per alios 5. illuc, quæ confidentia in transgrediendo terminos majorum, solet esse etiam proprietas stultorum. *Stultus transilit, & confidit*: Hac de causa jure apparuit Joanni Ecclesia illa sub figura habente Lunam sub pedibus suis. Tum quia Luna est notissimum symbolum sectæ Mahumetanæ. Ecclesia autem semper contempsit, ac quasi conculcavit hanc immundam sectam, quia errores alios triumphavit armis rationis, aut patientiæ: Hunc verò

ad Rom. 13.

ad Gal. 3.

ad Col. 3.

Hieron. Apolog. ad Panmach.

1. ad Tim. 3.

Eccl. 27.

Prov. 14.

verò repulit tanquam prorsus indignum rationalium, & porcorum proprium. Unde sub pedibus habet illum tanquam rem vilem, & prorsus indignam. Dicitur 4. *In capite ejus coronæ stellarum duodecim.* Hoc hieroglyphicum applicatum duodecim Apostolis, & explicatum invenies apud Rivera. Ubi adverte Christum Dominum apparuisse Joanni sub specie habentis in *dextera sua stellas septem*, quia ipse regebat septem illas Ecclesias, seu septem illos Angelos, id est Episcopos, ad quos scribi jubebat; Ecclesiam vero apparuisse sub specie habentis *in capite* duodecim stellas, quia Ecclesia non rexit Apostolos; sed ab his respective, unoquoque in suo ordine, regebatur; quod si objeceris tertium decimum Paulum, respondeo, voluisse DEUM significare Joanni Apostolos, quos ipse, dum in carne mortali, & apud homines erat, elegit.

Apoc. 12. v. 1.

Apoc. 1.

LXXXVI. Dicitur 5. *In utero habens, clamabat parturiens, & cruciabatur ut pariat.* Hîc sunt tres metaphoræ, prima habentis in *utero*, hoc bene cadit in eum, qui multa, & gravia habet, quæ dicat, nec leviore desiderio urgetur dicendi, sic Eliu ajebat. *Plenus sum enim sermonibus, & coarctat me spiritus uteri mei. En venter meus, quasi mustum absque spiraculo, quod lagunculas novas disrumpit. Loquar, & respirabo paululum.* Ergo metaphora habendi in utero, cadit ab antiquo, in eum, qui habet multa, & gravia, quæ dicat; Atqui supremus ille senatus Ecclesiasticus abjectis omnibus aliis curis, & videns potentissimos hostes imminentes religioni; nempè decem illos confederatos principes, qui Romam subvertent, *hi unum consilium habent.* Et mox. *Hi odient fornicariam, & desolatam facient illam &c.* & dolens, quod *singularis ferus depastus est eam*, nil aliud curabit, nisi dicere, clamare, urgere, prædicare gravissimas doctrinas religionis, & morum, aliis, qui cadent, ut resurgant, aliis ut Evangelicam doctrinam amplectantur loco illorum, qui huic renuntiabunt. Et tunc summus pontifex cum venerando illo cœtu, opportunè importunè arguet, obsecrabit, increpabit in omni patientia, & doctrina, quia tunc maximè erit tempus, quando populi sanam doctrinam non sustinebunt, sed coacervabunt sibi Magistros purientes auribus &c. Ergo Ecclesia illa, hoc est ille pontifex, cum illo senatu, meritò proponitur sub metaphora habentis in utero. Secunda metaphora est, subeuntis partûs dolores. Benè quoquè aptatur id senatui dicto; quoniam vulgare est in scriptura, explicare magnas angustias sub metaphora parturientis: *Quasi parturiens dolebunt.* Item apud Jeremiam *quasi femina dolores parturientis*, & passim alibi. Atqui senatus ille in summa erit angustia propter immanes illas persecutiones, & propter vehemens desiderium, magna ex parte frustratum, conservandi in hominibus Evangelicas doctrinas. Si enim sacerdos Mathatias cum vidisset quendam Judæum apostatantem tempore Antiochi *doluit & contremuerunt renes ejus.* Si Phinees videns quendam Zambri ducem *de cognatione, & tribu Simeonis* ingredientem ad scortum Madianitidem zelo DEI correptus, perfodit utrumquè, ut DEUS ipse dixit Moysi. *Zelo meo commotus est contra eos.* Si Jeremias integra illa quatuor Lamentationum capita edidit propter desolationem Hierosolymitanam factam à Rege Ægypti post infælix prælium Josiæ, ut insinuat scriptura: Aut factam à Caldæis post captivitatem Sedeciæ, ut communis est persuasio. Si inquam hæc, & alia similia satis nota, ita sunt; quibus torquebitur cruciatibus supremus ille pontifex & sacerdotalis senatus in ultimo eo mundi quadriennio, & paulo antè, quando cernat, & audiat, tot Christianos renuntiare Christo, & nomen dare Antichristo hujus præcursoribus, & lateronibus? Videbit enim suo tempore fieri, quod

Job. 32.

Apoc. 17.

Ps. 79.

1. Mach. 1.

Num. 25.

2. Reg. 21.

quod jam olim scriptum erat de bestia exaltata per Draconem, scilicet de Antichristo per Diabolum exal-
Apoc. 13. tato, DEO permittente. *Est datum illi bellum facere cum sanctis, & vincere eos* (nimirum quoad vitam temporalem eos, qui in æternum futuri sunt sancti, & quoad vitam animæ eos, qui ad tempus dumtaxat erant sancti) *& data est illi potestas in omnem tribum, & populum, & linguam, & gentem, & adoraverunt eam omnes, qui habitant terram, quorum non sunt &c.* En mortem animæ illorum sanctorum, qui ad tempus solummodo
1. Mach. 2. erant sancti, non clamabit, non cruciabitur sanctus ille senatus sciens, videns, audiens hæc? dicet sanè cum illo Mathatia, *væ mihi, ut quid natus sum videre contritionem populi mei, &c* Tertia metaphora est mulieris parientis. Et hæc convenit ei senatui, convenit enim prædicantibus Christum cum magno zelo, &
ad Gal. 4. difficultate; sic Paulus ad recidivos galatas scribens ait. *Filioli mei, quos iterum parturio, donec formetur Christus in vobis.* Sic ipse Dominus dignatur nomine Matris suæ eum, qui
Matth. 12. Patris voluntatem fecerit; *Ipse meus frater, & soror, & Mater est*, ubi Gre-
Homil. 3. in Evang. gorius, Mater efficitur prædicando. *Quasi enim parit Dominum, quem corde audientis infuderit, & Mater ejus prædicando efficitur.*

LXXXVII. Dicitur sexto, *visum est aliud signum in cœlo.* Hæc visio potuit esse aliqua ex tribus illis modis quos dixi capite 2. vel potuit spectrum illud repræsentans magnum Diabolum, esse physice, ac realiter in cœlo aëreo: Aut in aliquo loco ex illis, ad quæ extenditur Ecclesia, quia hæc duo vocari solent in scriptura cœlum, vel potuit esse inter fidos, & amantes DEI servos: Nam hos
Lib. de Orat. Dom. etiam honorat Cyprianus nomine cœli, intelligens de illis petitionem. *Fiat voluntas tua, sicut in cœlo*, id est, in tuis fidelibus, *& in terra*, id est in eis, qui adhuc portant imaginem hominis terreni. Quam expositionem commendat Augustinus. *Lib. de Dono perf. cap 3.* Hoc signum fuit *Draco magnus* (de hoc disputavi jam supra numero 46. & 53.) & *rufus*: Propter sævitiam, & sanguinolentam inclinationem, quia ut de rufis dicit antiquum proverbium *sub hac pelle non est sanguis, sine felle*, & inter malæ indolis indicia non fuit oblitus ille ponere *crine ruber*, & consonat priscum hispanicum axioma, *de este pelo ni gato, ni perro.* De Diabolo bene dicitur rufus, quia ut suis filiis exprobatum audimus à Domino *ille homicida erat ab initio.* Hic Draco appa-
Joan. 8. ruit Joanni *habens capita septem, & cornua decem, &c.* utraque expositi numero 49. apparuit autem Diabolus terribili utraque specie armatus in capite, quia ex calliditate ipsius tanquam ex capite Draconis prodibunt decem illi principes, de quibus egi numero 50. In regionibus componentibus olim Romanum imperium, qui viam sternent Antichristo, nam *cum agno pugnabunt*, in-
Apoc. 17. ter quos nascitur est Antichristus juxta Danielem; *Ecce cornu aliud par-*
Dan. 7. *vulum ortum est de medio eorum*: Qui Diaboli vestigia sequentes, *potestatem tanquam reges una hora* (hoc est simul, vel per tempus brevissimum) *accipient.* Qui partim authoritate, partim vi spoliati suis dominiis ab Antichristo, *virtutem, & potestatem suam bestiæ* (nempè Diabolo, qui ut dixi numero 53. est bestia, de qua
Apoc. 17. loquitur Joannes in eo capite) *tradent*: Nimirum tradentes illam filio primario Diaboli, qui odio implacabili persequentes urbem capitalem Romani Imperii, in quo ipsi regna-
Ibidem. bunt, *desolatam facient illam, & nudam, & carnes ejus manducabunt, & ipsam igni concremabunt.* Quoniam in hoc etiam sensu valere solet Pro-
Ose. 13. pheticum illud. *Perditio tua Israel.* Et ideo nequam ille, tametsi alias Propheta, loquens de victoriis Romanorum supra gentes Orientales, subjunxit, *& ad extremum* (videtur loqui de ultimis temporibus mundi)

Num. 24. *etiam ipsi peribunt.* Antiquum est enim justitiæ divinæ, quod ex gente ipsa, quæ ruinam meretur, ruina nascatur, sic de gente Caldæa prædixit Abacuc: Abac. 1. *Ex semetipsa judicium, & onus ejus egredietur.*

LXXXVIII. Prodibunt itaque ex calliditate, tanquam ex cerebro Diaboli, dicti decem principes, qui spoliabunt, & subvertent Romam, quæ quondam erat ebria Apoc. 17. *de sanguine sanctorum, & de sanguine martyrum JESU*, propter immensam copiam sacri sanguinis, quem impiè effudit, & quem terra illa Gen. 4. *aperiens os suum suscepit*, de manu Romanorum Carnificum: Et quæ forsan erit quoquè ebria sub finem mundi de sanguine eorundem. Quatenus huic fidens, laxet plus solito habenas vitiorum. Hoc erit esse ebriam in alio sensu *de sanguine sanctorum, & de sanguine martyrum JESU*, nempè ex confidentia in sanguine, reliquiis, corporibus, & aliis sacris pignoribus, audere ad enormia scelera patranda. Et dicetur illi, quod Romæ legis antiquæ, id est, Hierosolymæ dictum fuit per Jeremiam. Jerem. 7. *Hæc dicit Dominus exercituum DEUS Israel; Nolite confidere in verbis mendacii dicentes, templum Domini, templum Domini, templum Domini est.* Et certè ibi duntaxat erat tunc templum Domini; Quia verò in hoc fidentes audebant scelera, ideo verba illa vocat verba mendacii. Sed objicies, qua veritate dicuntur decem illi principes prodituros ex calliditate Diabolica, cum de se ipsa testetur æterna sapientia: Prov. 8. *Per me reges regnant & legum conditores justa decernunt.* Respondetur, hæc duo esse à DEO; sed æquivocè, ac in diverso sensu, distributionequè accommoda. Decernere justa undequaquè, semper est à DEO, ut authore, & causa per se; siquidem est absolute bonum, & scimus, quod Jac. 1. *omne datum optimum, & omne donum perfectum desursum est.* Reges autem regnare est quoquè à DEO, ut authore, quando ibi non subrepit ullum peccatum; cæterum cum interdum subrepat, aut etiam palam committatur, ideo interdum *reges regnare* est à DEO, & per DEUM, purè permissivè: hoc modo regnabunt infelices illi decem principes, qui merebunt præfigurari decem carbonibus magni Diaboli: Objicies 2. Augustinum dicentem, *quid enim si numero isto denario universitas Regum significata est, post quos ille* (videlicet Antichristus) *venturus est.* Unde sanctus Doctor non judicat decem cornua, quæ apparuerunt Danieli in bestia præfigurante Romanum Imperium (& apparuerunt Joanni in bestia præfigurante Antichristum, & in præfigurante Diabolum gestantem supra se Romam & in præfigurante Diabolum persequentem senatum Ecclesiasticum Romanum) significare numerum definitum *decem*, sed indefinitum; fateor ita solere contingere in aliis locis scripturæ v. gr. *Mutasti mercedem meam decem vicibus* id est multis. Item. *En decies confudisti me*, id est, sæpè; At cum Daniel loquens de his decem cornibus, seu principibus, dicat. *Tria de cornibus primis evulsa sunt à facie ejus.* Hoc est Antichristi: Loqui videtur de singulari, ac definito denario, Atquè ideò Hieronymus concludit, *Ergo dicamus, quod omnes scriptores Ecclesiastici tradiderunt: In consummatione mundi, quando regnum destruendum est Romanorum, decem futuros reges, qui orbem Romanum inter se dividant, & undecimum surrecturum esse regem parvulum &c.*

LXXXIX. Ubi observa duo. Unum est. Cum septem capita coronata, sive septem reges, non apparuerint Danieli in bestia prænuntiâ Imperii Romani, sed soli Joanni in tribus bestiis præfigurantibus Antichristum, nec non Diabolum, tum gestantem urbem Romanam, tum persequentem Ecclesiasticum Senatum Romanum; decem nihilominus cornua, sivè decem principes dicti apparuerunt Danieli, & Joanni in

in quatuor insinuatis occasionibus, ut probavi numero 50. nempè quia omnes hi, secus omnes illi prodituri erant in, & ex regionibus componentibus priscum imperium Romanorum, de quo præcipuè tunc agebatur cum Danieli & de quo postea præcipue agebat Joannes; sed ratio à priori est, quia voluit DEUS revelare Joanni & non Danieli Sacramentum illorum septem regum quos nominavi numero 49. & 52. Alterum est, cum in bellua marina prænuntiante Antichristum, viderit Joannes decem conua coronata, & septem capita sine coronis, propter rationem, quam dedi numero 50. in Dracone significante Diabolum persequentem Ecclesiam vidit rem inverso ordine, nimirum capita cum coronis & cornua absq; illis; Videlicet quia septem illi viri significati eis septem capitibus verè, ac realiter fuerunt reges coronati, ut dixi locis nuper citatis; alii verò decem non videntur futuri ex ordine regio, sed Dynastæ, sivè potentatus, ut ajunt, quoniam de illis dictum fuit Joanni. *Potestatem tanquam reges unà horà accipient.* Nequè dicas 1. vocem *tanquam* interdum significare realitatem, & non meram similitudinem, ut in voce synonima novimus, *vidimus gloriam ejus gloriam quasi unigeniti à Patre.* Ubi certè non significatur mera similitudo, sed realitas. Est verum. Ast cum in casu præsente, signanter, ac determinatè super ponantur diademata capitibus Draconis, & non cornibus: Fundamentum habemus ex hac contradictione ad suspicandum capita, utpote habentia tesseram, & characterem Majestatis, significare reges absolutè tales; secus cornua, & consequenter ad opinandum Antichristum nasciturum de medio cornuum juxta Danielem, & non de medio capitum & in suo principio futurum cornu parvulum juxtà eundem Prophetam & non nasciturum ex ordine regio, sed ad summum ex ordine dynastarum. Nequè dicas 2. Angelum eundem, qui Joanni dixit illud *tanquam* dixisse immediatè ante. *Decem cornua, quæ vidisti, decem reges sunt.* Etenim subjungit protinus sensum, in quo reges erunt, nempe quia *potestatem tanquam reges &c.* Est autem vulgare in scriptura dare rebus nomen, non illius, quod sunt, sed illius, quod esse apparent, ut multis exemplis ostendi Decade 3. numero 92 verb. gr. *Stellæ cadent de cœlo. Luna non dabit lumen suum. Duo luminaria magna &c.* Siquidem luna nec est luminare *magnum* in se ipsa, sed omnium minimum nec lumen illud est *suum*, cum corpus opacum sit. Et in hoc etiam sensu potest intelligi, quod alio loco ait Joannes de his cornibus. *Super cornua ejus decem diademata.* Quoniam Dynastæ quoquè insigniri solent corona, ut ajunt ducali, & potestatem *tanquam reges* habent ut experimur in multis Dynastis *Europæ.*

Apoc. 13.

Ibidem. c. 17

Joan. 1.

Matth. 13.

Gen. 1.

Apoc. 13.

§. Secundus.

XC. Dicitur 7. de hoc Dracone *cauda ejus trahebat tertiam partem stellarum cœli, & misit eas in terram*; Et hoc: Vel quia spectrum illud significabat eum, qui olim tertiam, hoc est, notabiliter magnam partem Angelorum secum præcipitavit è cœlo, *caudâ suâ*, nempè exemplo, & persuasionibus suis, dignis, quæ caudæ potius, quã capitis, aut manuũ, opus essent (nisi fortè hoc opus tribuitur caudæ, ut insistatur eidem metaphoræ Draconis, cujus magnum robur solet inesse nervo, seu spinæ, qua formatur cauda) & consequenter spectrum illud significabat, non quemlibet, sed magnum ipsum Diabolum. Vel quia voluit DEUS significare plurimos, qui tanquam stellæ fulgebant in cœlo Ecclesiæ, justo DEI judicio seducendos esse suggestionibus caudinis Diaboli, & ex cœlo puro Ecclesiasticæ doctrinæ ruituros in terram plenam immunditie, ut tunc etiam verificetur: *Qui nutriebantur in croceis amplexati sunt ster-*

Thren. 3.

ſtercora, & illis etiam dicatur quod ſub typo regis Tyri dictum fuit ſuo Patri. *In deliciis Paradyſi DEI fuiſti, in medio lapidum ignitorum ambulaſti;* Et mox. *In terram projeci te.* Si enim ad illam ſacrilegam vocem Jeroboami. *Nolite ultra aſcendere in Jeruſalem. Ecce dii tui Iſrael, qui te eduxerunt de terra Ægypti:* Decem tribus, hoc eſt decem partes Regni Hæbreorum, terga verterunt Hyeroſolimæ, ubi altare templum, & verus cultus DEI regnabat atquè ad ineptias ſe converterunt; Quid mirum quod ad ſacrilegas ſuggeſtiones Diaboli, & examinis Pſeudoprophetarum, quibus tunc mundus ſcatebit plurimæ animæ quondam Deo devotæ intra clauſtra, & extra clauſtra, vertant dorſum ſenatui, & Epiſcopo Romano, apud quem vera doctrina fidei, & morum, atquè ad fabulas ſe convertant? Libavit Germania, & magna pars Europæ ſeptentrionalis hunc calicem iræ DEI tempore Lutheri, Calvini, & ſimilium. Poſſunt ergo hæc duo disjunctivè, aut enim copulativè ſignificari eis verbis. *Cauda ſua trahebat &c.* Siquidem quibuslibet, qui non ſunt electi *in ipſo ante mundi conſtitutionem* jure dicitur, *ſi exaltatus fueris, ut aquila, & ſi inter ſidera poſueris nidum tuum, inde detrahante, dicit Dominus.*

Ezech. 14. *3. Reg. 12.* *ad Epheſ. 1.* *Abdim 1.*

CXI. Dicitur octavo, quod *ſtetit antè mulierem, quæ erat paritura* (explicui numero 86. hanc metaphoram bene cadere in ſenatum illum Eccleſiaſticum repræſentantem Eccleſiam,) *ut cum peperiſſet, filium ejus devoraret.* Imprimis, qui dignatur vocare *Matrem ſuam* illum, qui facit voluntatem DEI, ut ibi oſtendi ex Gregorio, & ex Evangelio, non dedignatur vocare ſe filium illius ejusdem: Eſt enim mutua hæc relatio licet ſit disquiparantiæ, ut ajunt; atqui ſacer ille ultimus Senatus Eccleſiaſticus cum ſuo capite faciet voluntatem DEI, quia in eo ſolo, aut ſaltem primariè conſervabitur *una ſancta; Catholica, Apoſtolica* Eccleſia: Siquidem in illis ultimis temporibus *admirata eſt univerſa terra poſt beſtiam* (nempè Antichriſtum) *& adoraverunt Draconem;* & rurſus. *Fa. ibidem. ciet omnes puſillos, & magnos, & divites, & pauperes, & liberos, & ſervos habere characterem &c.* Ergo Chriſtus, qui eſt filius, quem paritura erat mulier illa, non dedignabitur vocare ſe filium ſenatus illius, recognoſce, quæ dixi eo numero 86. Deinde quod Diabolus devoret rem ſacram, quando excitatione aliarum ſpecierum, & imaginationum, tollit eam de mente audientium, eſt metaphora, quâ utitur ipſe Dominus, inquiens de ſeminibus Evangelicis, *quædam ceciderunt ſecus viam, & venerunt volucres cœli, & comederunt ea.* Exponensque poſteâ parabolam ait, *omnis, qui audit verbum regni, & non intelligit, venit malus & rapit, quod ſeminatum eſt*) ecce autem Diabolicam diſtrahendi mentem humanam ad alia, & ingerendi imaginationes diverſas, quibus verbum auditum deletur de mente, & in oblivionem abit) *in corde ejus, hic eſt, qui ſecus vim ſeminatus eſt.* Ergò volucres cœli comedere, & Diabolum devorare ſeminatum verbum DEI, ſtat phyſicè à partè rei in eo quod rapiat, abigat, arceat illud de mente hominum per intromiſſionem aliarum ſpecierum, & imaginationum, tunc ſic. *Matt. 13.*

Apoc. 13.

CXII. Ultima illa Eccleſia, nempè Papa cum ſuo Senatu, videns imminentem, imo etiam graſſantem peſtem contra primarios articulos, quos de JEſu Chriſto credimus, v. g. contra hujus Divinitatem, contra Incarnationem Verbi, in quæ maximè invehetur Antichriſtus cum ſuis (atquè ideircò prædixiſſe videtur Joannes, *omnis ſpiritus, qui ſolvit Jeſum*, hoc eſt, qui hypoſtaticam negat unionem, *ex DEO non eſt: Et hic eſt Antichriſtus*: quam ſen- 1. Joan. tentiam, ut ſibi maximè adverſantem auſus eſt expungere Neſtorius, ut illi exprobat Cyrillus) videns inquam hoc Eccleſia illa, magnum aliquem, & extraordinarium faciet conatum in prædicando, docendo, & firman-

firmando in mentibus hominum, & consequenter juxta illum numerum 86. in pariendo JEsum Christum quoad Incarnationem Verbi, sive hypostaticam unionem Verbi cum illa individua humanitate, cujus unionis negatio est juxta Joannem caracter Antichristi: Omnis enim Paterfamilias tenetur extinguere ignem in ea parte domus, quæ ardet, & omnis Præfectus Arcis tenetur novis laboribus firmare muros, qua parte majore impetu adoritur hostis: Diabolus expectabit publicationem illorum Canonum, seu Decretorum; seu doctrinam, quæ tanto conatu edet illa Ecclesia circa personam JEsu Christi, ut hunc devoret (hoc est, ut hunc *rapiat* juxta paulò ante datam explicationem de volucribus comedentibus, quod seminatum est) hoc est, ut hunc amoveat à mente hominum illorum, ingerendo, & ingeminando illorum phantasiæ crebras imaginationes diversas & contrarias, excitandóque in illis dubia, formidines, suspiciones circa veritatem horum articulorum. Et in hac rapina Christi à cordibus illis, videtur stare illud, *ut cum peperisset filium ejus, devoraret.* In eo nimirum sensu, in quo volucres dicuntur ab ipso Christo comedisse seminatum secus viam.

XCIII. Prævalebit nihilominus Consilium Dei, & licet à mente illius ultimæ generationis exulet Christus, id non eveniet ex eo, quòd diabolus devoraret eum, quia mulier, seu Ecclesia illa *peperit filium masculum, qui Recturus erat omnes gentes in virga ferrea.* Psalm. 2. : Ecce loquitur de JEsu Christo, cui à Patre hoc datum est. Edet itaque illa Ecclesia ultimam, validam, & potentem vocem, quâmvis jam moribunda in terris, super veritate Incarnationis verbi, atque Divinitatis JEsu Christi, sicut hic etiam morti proximus clamavit *voce magna*, Matth. 27. & sicut primæ voces nascentis Ecclesiæ fuerunt, tum per caput suum visibile *tu es Christus Filius Dei vivi.* Tum per seipsam Niceæ congregatam, quod ille idem Filius consubstantialis Patri incarnatus est de Spiritu sancto ex Maria Virgine & *homo factus est.* Ita hæ erunt ultimæ, validæ, atque potentes, & publicæ voces contra eum, qui solvet JEsum quia sic solvens *Antichristus est* juxta Joannem; verumtamen quia ex arcano judicio Dei futurum est id, quod ex Apocalypsi protuli num. 91. videlicet: *Adoraverunt Draconem*; Item, *faciet omnes pusillos & magnos &c.* Quodque ante primam destructionem mundi fuit, nempe, quod prædicane Noe pœnitentiam ab admodum paucis ea vox audiretur: Ideo parturiente ultima illa Ecclesia per tam diros cruciatus & angustias JEsum Christum Dominum nostrum, hic non permanebit in terris hoc est non credetur ab infelice illa generatione hominum, qui adoraturi sunt Draconem, & Caracterem Antichristi sumpturi; sed volabit ad cœlum, quia tota illa prædicatio non habebit fructum in terris, sed in cœlo, ubi pius labor remuneratur, tametsi effectum non sortiatur, sicut remuneratus fuit gladius Abrahæ, tametsi filii cervicem non rescinderit, *quia* Genes. 22. *feciſti hanc rem, & non pepercisti filio tuo unigenito*, atque idcireo addit Joannes loquens de partu mulieris, *raptus est filius ejus ad Deum, & ad thronum ejus*, id est non apparuit, non fuit visus effectus tam difficilis partus, quippe totus fructus & præmium fuit apud solum Deum acceptantem partum ipsius mulieris, sive illius ultimæ Ecclesiæ, in ordine ad remunerationem, & hæc divina acceptatio explicari potest per illam metaphoram *raptus ad Deum*, sicut Angelus quidam simili metaphora explicavit acceptationem illam Cornelio. Actor. 10. *Orationes tuæ, & eleemosinæ tuæ ascenderunt in memoriam in conspectu Dei:* Et sicut idem Joannes explicat eandem Divinam acceptationem non absimili phrasi, *ascendit fumus incensorum de orationibus Sanctorum de manu Angeli coram Deo*, hoc est orationes Sanctorum corroboratæ Angelico suffragio supplente humanos defectus, vel adjiciente recomendationem suam, acceptæ fuerunt á Deo; sicut etiam Raphael partim supplendo humanos defectus, partim adjiciendo suas preces in orationibus alijsq; piis operibus Tobiæ, Tob. 12. *quando orabas cum lachrymis, & sepeliebas mortuos &c.* Potuit dicere: *Ego obtuli orationem tuam Domino.*

XCIV. Ille itaque raptus ad Deum & ad thronum ejus potest commodè

intelligi, sicut illud *ascendit*, & illud *ascenderunt in conspectu Dei*, quod totum re-
Luc. 10. solvitur in eam doctrinam Christi; *Si ibi fuerit filius pacis, requiesceat super illum pax vestra; sin autem ad vos revertetur* quasi dicat: Non propterea desinet acceptari à Deo vestrum studium, in ordine ad remunerandum; sed quia valde mirum & violentum erit contra rationalitatem, quod senatu illo Ecclesiastico prædicante, adeò acerrimè articulos prædictos circa Christum, ultimæ illæ gentes non credant, quinimò draconem adorent, & suscipiant caracterem Anti-Christi; hac de causa non dixit Joannes, quòd Filius ejus *ascendit*, aut quod reversus est ad Matrem, ut de pace dicebat Christus; sed quod *raptus* est ad Deum, quo aspero verbo insinuat incredibilem violentiam contra rationalitatem ipsam in eo, quod fructus partus illius Ecclesiastici totus esset apud solum Deum, quin aliquid apud homines illos maneret. Elegantia quippe verborum est, quod horum ipsorum qualitate, seu materialitate explicetur res, quam verba illa exprimunt. Cujus elegantiæ peritissimus inter sanctos Authores est Isaias, ut ferè totus suus liber indicat, nec non Moyses in libro Jobi, & Paulus in Epistola ad Hebræos; inter
Æneid. 9. sæculares autem Virgilius v. g. *Brontesq; Steropesque, & nudus membra Pyragmon*: quibus magis incultis verbis poterit ex-
Idem 3. plicari barbaries inculta Cyclopum! & alibi: *Sic oculos, sic ille manus, sic ora gerebat.* Quis dubitaret loqui hîc fæminam de Puero! non ergo est magna disparitas quoad rem significatam, sed tantum quoad modum significandi illam, inter *raptus*, & *ascendit*, sive *revertetur*. Neque objicias fore, ut Draco devorasset filium Mulieris, sive JEsum Christum tanto conatu prædicatum ab illa ultima Ecclesia, si verum est, quod dixi: Nimirum prædicationem futuram fore absque fructu in hominibus ultimis, siquidem, ut dixi num. 91. in hoc stat, quod volucres comedant seminatum semen. Non urget: dupliciter námque evenire potest, quòd Evangelicum Verbum seminatum tollatur de mente hominum, & in oblivionem mittatur. 1. propter crebros illapsus imaginationum, & specierum adversarum, ut ibi dicebam, provenientium à diabolo; Et in hoc stat, quod hic comedat, seu devoret seminatum. 2do. propter specialissimam, & extraordinariam permissionem Dei negantis (ex arcanis, & justis judiciis) auxilia efficacia, quando aliàs causæ externæ, quæ suo modo movent ad bonum, potentissimæ sunt in suo genere v. g. quòd Pharao non dimitteret Hebræos visis tot prodigiis factis per Moysen; quod Judæi non crederent JEsu Christo, visis tot miraculis &c. Quando hoc contingit, non comeditur, aut devoratur a Dracone quoad efficaciam, sed quoad sufficientiam fructus prædicationis, & partus Ecclesiastici, sed rapitur ad Deum, quia tunc elevatis in cœlum oculis reverenter exclamandum. O *altitudo divitiarum sapientiæ, & scientiæ Dei! quàm incomprehensibilia sunt judicia ejus, & investigabiles viæ ejus? quis enim cognovit sensum Domini? aut quis Consiliarius ejus fuit?* Et sic exclamamus in utroque isto Casu insinuato. Tunc sic.

XCV. In ulimis eis hominibus continget sanè illud primum, sed multò magis eminebit hoc secundum (unde illud non habebit locum ad præsentiá hujus, sicut strepitus ranarum non supponit quando tonant, & fulgurant nubes. Vide, quæ dixi Decade 4ta. num. 1mo. & seqq.) quippe res prorsus mirabilis erit, quòd ad præsentiam tantæ, ac tam validæ culturæ extrinsecæ, qualem ultima illa Ecclesia ministrabit ultimis eis mortalibus, inscrutabilia Dei judicia, investigabilésque viæ, non opitulentur illis interna subministratione eorum auxilorum, quibus si existerent, illos flectendos prænoscit Deus (sicut nec Pharaoni, nec Judæis, sufficienter aliàs adjutis, opitulatus est; quinimo illum *induravit*, & hos *excæcavit*) sed potiùs ita illos induret, & excæcet, ut ferè omnes adorent draconem, & Antichristi characterem suscipiant: non ergo fiet devoratus à dracone, sed raptus ad Deum filius Mulieris, neque comestus erit à volucribus fructus illius ultimi illius ultimi Ecclesiastici partus, sed remittendus ad inscrutabilia judicia Dei, & investigabiles vias ejus: Denique hunc

hunc eundem raptum filii Mulieris præfigurantis ultimam Ecclesiam prædixisse videtur Daniel, quando loquens de temporibus vicinis judicio universali, *Daniel. 7.* inquit: *Ecce cum nubibus cœli, quasi Filius hominis veniebat* (hoc quasi ponitur à Daniele, sicut à Joanne illud alterum *quasi unigeniti à Patre*, & ambo ponuntur explicationis gratiâ, non verò ad significandam meram similitudinem, sive apparentiâ (*& usque ad antiquum dierum pervenit, & in conspectu ejus obtulerunt eum, & dedit ei potestatem, & honorem & regnum.* Hæc vox *in conspectu ejus obtulerunt eum*, videtur significare idem, quod illa Joannis: *Rapus est filius ejus ad Deum, & ad Thronum ejus*, & ambæ significant ultimum illum partum Ecclesiæ, hoc est ultimam prædicationem, sive vocem, non habituram fructum inter homines, quia omnes illi adorabunt Draconem & suscipient caracterem Anichristi (in his universalitatibus intellige semper tantùm partem longè majorem juxta primam regulam, quam dedi & probavi Decade 1.) Atque ideò rapiendum, seu offerendum fore soli Deo. Additur autem, quòd *dedit ei potestatem, & honorem, & regnum*, quoniam licet ab initio hæc omnia habuerit JEsus Christus, qui non est mentitus, quando di- *Luc. 10.* xit, *omnia mihi tradita sunt à Patre meo*; Verumtamen cùm id non apparuerit palam omnibus gentibus: apparituram tamen sit in die judicij, de quo ibi loquitur Daniel: Hac de causâ dicit hic, quòd tunc antiquus dierum *Dedit ei potestatem, & honorem, & regnum.* Frequens quippe est in Scriptura dicere, *rem tunc esse*, quando licet multò antè fuerit, tunc manifestatur, & omnibus palam fit rem illam esse, ut ostendi Decade 4. num. 16. & seqq. v. g. *nunc cognovi, quòd timeas Deum*: Cùm multò antè cognoverit ille Angelus, quòd Abraham timebat Deum, & sic exposui ibi cum Augustino verba illa Pauli, quibus *Aug. l. 83. quæst. 69. 1. ad Cor. 15.* gloriabantur Ariani, *Cùm autem ei omnia subjecta fuerint, tunc, & ipse Filius subjectus erit ei* (secundùm humanitatem) *qui illi subjecit omnia*, ubi sanctus Doctor; *Non quasi modo non ita sit, sed tunc manifestum erit secundùm locutionem superiùs tractatam*, de quo postea Disput. 4. num. 97. Et similiter est frequens in Scriptura negare id, quod licet physicè sit, non appareat, seu non publicè constat esse; ut ut ibidem ostendi num. 22. v. g. De Melchisedech scribit Paulus. *Sine Pa-* *Ad Hebr. 7.* *tre, sine Matre, sine genealogia &c.* Quia licet hæc omnia haberet, non constabant publicè.

XCVI. Dicitur 9. quòd *Mulier fugit in solitudinem*, (fortè in Palæstinam, ut ibi sub cœlo moriatur Ecclesia militans, ubi nata est: Et inde ascendat, unde suus Sponsus ascendit) De hac fuga Ecclesiastici senatus ex urbe Roma in loca dissita satis egi Num. 36. & n. 84. Mulier itaque illa fugit in solitudinem, quia ultima Ecclesia videns, quod ferè totum illud genus humanum adorat draconem, & suscipit caracterem Anti- christi dicet Propheticum illud: *Cura-* *Jerem. 51* *vimus Babylonem, & non est sanata, derelinquamus eam, & eamus unusquisque in terram suam*, & forsan venerandus ille cætus, edicet prius, quod prius quoque dicit Propheta ibidem: *Fugite de medio Babylonis, & salvet unusquisque animam suam.* Cui edicto consonat alterum illud Joan- *Apocal. 18* nis: *Audivi aliam vocem de cœlo dicentem: Exite de illa populus meus, ut ne participes sitis delictorum ejus, & de plagis ejus non accipiatis.* Et merito, quia sub finem Capitis immediatè antecedentis jam præmiserat decem illos principes, *qui odient fornicariam, & desolatam facient illam, & nudam, & carnes ejus manducabunt*, (hoc est, divitiis illam spoliabunt) *& ipsam igni concremabunt.* Unde mox sequitur vox potentis illius Angeli exclamantis: *Ceci-* *Ibidem.* *dit Babylon magna, & facta est habitatio dæmoniorum &c.* Harum calamitatum partim jam præsentium, partim jam tunc imminentium conscia illa Ecclesia, neque auscultans, sed dolens vanas voces populi, & Pseudo Prophetarum dicentium fotsitan tunc, quod olim dicebant similes alii de Ezechiele: *In tempora lon-* *Ezech. 12.* *ga iste prophetat.* Fugiet in locum destinatum à Deo, ut conservetur (donec veniat ultimus dies) forma senatus Hierarchiæ, atque Regiminis Ecclesiastici; Atque ut fideles sparsi per mundum, quorum nomina scripta sunt in libro agni, habeant asilum contra crebros tunc emersuros errores.

XCVII. Dicitur 10. quòd Mulier *habebat locum paratum à Deo, ut ibi pascant eam diebus mille ducentis sexaginta,* (nempe tribus annis, & dimidio, quod est tempus præfinitum absolutæ Monarchiæ Antichristi) sicut Eliseus habuit locum paratum à Deo, ubi securus versabatur, quando Rex Syriæ prændere ipsum volebat: *Domine aperi oculos hujus, ut videat, & aperuit Dominus oculos pueri, & vidit: Et ecce mons plenus equorum, & currum igneorum in circuitu Elisæi.* 4. Reg. 6. Sic erit locus pro hac prima fuga Ecclesiæ ad aliquod tempus paratus à Deo fugitivæ illi Ecclesiæ, ne hoc penitus aboleatur in terris ab Antichristo, & sui similibus ante finem mundi. Et sicut tempore Jezabel paravit locum centum Prophetis, ubi pascerentur ab Abdia, qui pavit eos *pane & aqua.* 3. Reg. 18. Ita providebit fugitivo illi Papæ, & suis senatoribus, nonsolum alimenta temporalia, etiam urgente edicto Vicarii Antichristi, *ne quis possit emere, aut vendere, nisi qui habet caracterem, &c.* Apoc. 13. sed etiam alimenta spiritualia, quæ consistent in fervente continua prædicatione Henoch & Elia, de quibus postea n. 115. qui illo eodem tempore exercebant suum ministerium, *prophetabunt diebus mille ducentis sexaginta amicti saccis:* Ibid. c. 11. nec non in fructibus hujus prædicationis: *Non enim in solo pane & aqua vivit homo, sed in omni verbo, quod procedit &c.* Quoniam licet fere totum genus humanum discessurum sit à Christo ad Antichristum jux- 3. Reg. 19 ta scripturas, quas toties produxi; Verumtamen faciet divina Clementia, quod fecit sæviente Jezabele: *Derelinquam mihi in Israel septem millia virorum,* Ad Rom. 3. *quorum genua non sunt incurvata ante Baal.* Nec non quod fecit in rebellione populi Judaici à JEsu Christo, de qua scribit Isai. 10. Paulus citans Isaiam: *Si fuerit numerus filiorum Israel tanquam arena maris, reliquiæ salvæ fient.* Vide Augustinum: Et postea addit Apostolus: *Quod quærebat Is-* lib. de prædest. c. 16. *rael, heu non est consecutus: Electio autem* Ad Rom. 11. *consecuta est, cæteri excæcati sunt.* Similiter in illa ultima quasi universali apostasia à Christo, electio consequitur; cæteri excæcabuntur. Atque idcirco Joannes prædicens universalem hanc Apostasiam *adoraverunt eam* (scilicet be- Apoc. 13. stiam, quæ typus erat Antichristi) *omnes qui inhabitant terram,* accuratè subjungit, *quorum non sunt scripta nomina in libro agni.* Sufficienter insinuans aliquos fore, quorum nomina ibi scripta sunt.

XCVIII. Dicitur 11. Prælium Draconis cum Michaele, & finis quem prælium habuit: Totum hoc negotium exposui supra Num. 46. & seqq. Dicitur 12. quòd Draco projectus in terram *persecutus est mulierem,* & quod huic datæ sunt *alæ duæ aquilæ magnæ,* ut volaret in desertum, ubi alenda *per tempus, & tempora, & dimidium temporis,* hoc est, per tres annos, & dimidium, (quibus absolutè regnabit Antichristus) sive per mille ducentos sexaginta dies, ut paulo ante dicitur ibidem, qui numerus dierum, mensium, & annorum licet non sibi correspondeat exactè, nil refert, quippe, ut ostendi Decade 1, n. 40. scriptura solet non curare numeros parvos, sivè, ut ajunt fractos, e. g. Cum constet, quod David *in Hebron regnavit super Judam septem annis, & sex mensibus.* Author libri tertii Regum capite 2. prætermittit hos menses, & solùm scribit: *In Hebron regnavit septem annis.* Et cum Noe, quando genuit Sem non habuerit, nisi quadringentos, & octoginta annos juxta calculum exactum Augustini, absolutè dicit Moyses: *Cùm quingentorum esset annorum, genuit &c.* Unde meritò observat alibi S. Doctor: *Scriptura solet tempora ita nuncupare, ut quod de summa perfectionis numeri paulum excrescit, aut infra est, non computetur;* Ne igitur te moretur tantilla diversitas, quæ est inter numeros prædictos dierum, mensium, & annorum; Victus itaque magnus Diabolus in eo prælio, sive in ea acerrima disputatione cum Michaele, quam dixi num. 47. & acceptâ illâ repulsâ à divino Ttibunali, *habens iram magnam,* sicut, qui mordet chartas, & muros capite suatit propter amissas in ludo pecunias, sciens, quòd non ideò pecunias recuperabit: sciens iterum, *quod modicum tempus habet;* nam ex signis, quæ videbit, & ex collatione illorum cum scripturis deprehendet, non distare multum mundi, & hominum finem, *persecutus est Mulierem,* id est, Ecclesiam illam, sivè senatum illum Ecclesiasticum ultimum; non ex spe delendi illum, sed ex pervicacia sicut

sicut contendebat pastor, quæ ibi citavi *& victum frustra contendere Tyrsim*; sed Senatus ille speciali providentiâ cœlitùs adjutus (quod significari videtur eis verbis: *Datæ sunt Mulieri alæ duæ aquilæ magnæ ut volaret*, quia cæteris volucribus velocior est aquila; unde in exemplum velocitatis adducitur à Jeremia: *Velociores iverunt persecutores nostri aquilis.* & sublimior quoque, unde alius ponit illam pro exemplo celsitudinis, *si exaltatus fueris ut aquila.* Et propterea senatui illi sublimitate animi & velocitate tunc indigente non dabuntur alæ columbæ, quas desiderabat David: *Quis dabit mihi pennas sicut columbæ*: Quia tunc non erunt dies blanditiarum, sed calamitatis, & miseriæ) adjutus inquam sacer ille cætus speciali providentia, fugiet iterum in locum alium, qui desertus dicitur. Unde videtur, quòd Mulier illa, & Ecclesia per illam significata fugiet bis. Primò, quando eveniant, quæ dixi num. 96. & rursus, quando illi Principes nequam indagent locum, ad quem confugerat Papa cum suis Senatoribus, in quo Casu fuga erit magis velox, & miraculosa, quia inimici plures erunt, & magis solliciti capiendi prædam: quapropter in primo Casu non dicit Joannes datas fuisse alas Mulieri, dicit verò in 2.; Ergo casus videntur diversi, & fugæ diversæ, & verba exprimentia hanc fugam, de qua modò, non sunt mera repetitio ejusdem fugæ dictæ à Joanne vers. 6. Cap. hujus 12. & loca deserta, paratáque à Deo sine difficultate possunt esse diversa.

Thren. 4.

Abdias v. 4.

Psalm. 54.

XCIX. Tempus verò licet diversis verbis significatum, est idem propter specialem rationem: si enim illi mille ducenti sexaginta dies, quos dicit primò, & hoc *tempus, & tempora, & dimidium temporis*, quæ dicit modò, forent tempora diversa, sequeretur, quòd à fuga Ecclesiastici Senatus, quæ paulò ante initium Antichristi continget, usq; ad finem mundi, transituri essent anni septem, nempe dies illi, & tempora hæc, quia utrobique significantur tres anni cum dimidio, cum levi differentia: At totum tempus Monarchiæ Antichristi non est duraturum nisi tres annos, & dimidium, ut crebrò dicit Scriptura v. g. *Data est ei potestas facere menses quadraginta duos.* Item: *Tradentur in manu ejus usque ad tempus, & tempora, & dimidium temporis.* Item: *Civitatem sanctam calcabunt mensibus quadraginta duobus.* En semper tres ferè annos cum dimidio. Item de cornu parvo assurgente in medio illorum decem, & præfigurante Antichristum, dixit Danieli prædictus Angelus: *Tradentur in manu ejus usque ad tempus, & tempora, & dimidium temporis*; Mox autem: *Et judicium sedit, ut auferatur potentia, & conteratur, & dispereat usque in finem.* Ergo ab Antichristo destructo usque ad finem mundi restabunt juxta contrariam opinionem alii tres anni, & dimidium; sed hoc non cohæret cum illo, *statim* asserto per Christum, quando dixit: *statim autem post tribulationem dierum illorum* (scilicet Antichristi, & Pseudoprophetarum, de quibus immediatè antè locutus fuerat) *Sol obscurabitur & luna &c. & tunc parebit signum Filii hominis in cœlo, & tunc plangent omnes Tribus terræ, & videbunt Filium hominis &c.* quæ sunt res comitantes finem mundi. Anni sanè tres cum dimidio non sunt 40. dies, aut quinquaginta, quos infrà dicam, ita ut possint vocari *statim*; Ergo illi mille ducenti sexaginta dies, quos prius dixerat Joannes, & hoc *tempus, & tempora, & dimidium temporis*, quæ modo dicit, non sunt tempora diversa, sed tempus idem diversimodè explicatum. Accedit, quòd totum tempus, quod ponit Daniel *à tempore cum ablatum fuerit juge sacrificium* (Ecce quod initio fuæ Monarchiæ universalis faciet Antichristus, conari nimirum in totalem abolitionem præsentiæ realis JEsu Christi in terris, quæ in sola Eucharistia est) *& posita fuerit abominatio in desolationem* (nempe in signum, & portentum, intelligendum forsan à fidelibus tunc victuris, proximæ jam desolationis mundi, loco Eucharistiæ eriget in altaribus imaginem suam, quippè suo Vicario *datum est, ut daret spiritum imagini bestiæ: & ut loquatur imago bestiæ: Et faciat, ut quicunque non adoraverint imaginem bestiæ, occidantur*) sunt dies 1290.: & usque ad adventum Christi, & regnum Dei paulò plures. *Beatus*, inquit, *qui expectat, & pervenit* usque

Apocal. 13. lib. cap. 11.

Daniel. 8.

Matth. 24.

Daniel. 12.

Apocal. 13

Daniel. 12.

usque ad dies 1335. sed anni septem habent multò plures dies; ergo ab initio Monarchiæ Antichristi, usque ad adventum Christi non erunt anni septem; ergo diversa illa verba, quibus Joannes explicat tempus, quo fugitiva illa Mulier, sive Ecclesia, aletur in deserto, non significant tempora diversa, sed unum, & idem, tametsi fugæ sint diversæ, & loca etiam.

§. III.

C. Igitur Mulier, seu Ecclesia illa ultima, hoc est Papa cum suo Cœtu, & Senatu Ecclesiastico, bis fugiet, ut dicebam. 1. Quando videat se sine fructu desiderato parturire IEsum Christum in ultimis eis hominibus apostatantibus ferè omnibus à Christo, ut dixi num. 96. Et videat insuper decem illos Principes, Prodromos Antichristi, & quos hic sibi subijciet, destruere, spoliare, & comburere Romam: *odient fornicariam! &c.* *Ib. cap. 17.*

2. Quando victus diabolus à Michaele, desperatus, & furoris plenus invadet Senatum illum in loco, ad quem confugerat ex Urbe Roma, & ex quo loco iterum fugiet Papa cum eo Senatu, miraculosa, vel saltem specialissima Dei providentia protectus, ut significare videntur illa verba: *Datæ sunt Mulieri duæ alæ aquilæ magnæ, ut volaret*: Hæc invasio seu persecutio diabolica poterit esse duplex: una externa per emissarios suos manu armata tendentes ad extinguendum Reliquias illas, & scintillas Christianitatis. Altera interna per semetipsum suggerendo illis (quia licet Sancti adhuc erunt in statu viæ) pravas imaginationes, *ita ut in errorem inducantur, si fieri potest etiam Electi.* Contra invasionem illam, & persecutionem externam erit externum quoque subsidium significatum per concessionem alarum illarum; sicut etiam externè auxiliatus est Deus Ecclesiæ Hebreæ per divisionem maris rubri, quando fugiebat ex Ægypto. Contra persecutionem internam Draconis erit subsidium internum, quod Ecclesiæ Hebreæ subministravit quoque Deus. *Ducam eam in solitudinem, & loquar ad cor ejus, & dabo ei vinitores ejus ex eodem loco, & vallem Achor ad aperiendam spem, & canet ibi juxta dies juventutis suæ, & juxta dies ascensionis suæ de terra Ægypti &c.* Sic videtur Deus gesturus se cum ultima Ecclesia Christiana, ducendo illam miraculosè ex prima ad secundam solitudinem, ubi fervor renovabitur primitivæ Ecclesiæ, & recens quondam eductæ ex servitute Paganismi: *Canet ibi juxta dies juventutis suæ,* quando obrutis mari Ægyptiis dixit cum Moyse: *Cantemus Domino gloriosè &c.* Idem canet Ecclesia in fuga secunda. *Matth. 24.* *Osee 2.*

CI. Neque in hoc secundo loco deserto, sinet Draco quiescere illam Ecclesiam, ac propterea addit Joannes: *Misit serpens ex ore suo post Mulierem aquam, tanquam flumen, ut eam faceret trahi à flumine.* Hîc sunt variæ Metaphoræ. 1. *Flumen*, & significat multitudinem populorum, quia Joannes ipse de ultimis etiam illis temporibus loquens ait, se audisse è quodam Angelo. *Aquæ, quas vidisti, ubi meretrix sedet, populi sunt, & gentes, & linguæ*: Multitudinem inquam impetuosam, qualia flumina esse solent, juxta illud: *Fluminis impetus lætificat &c.* 2. *ex ore suo*: & significat, quod instigatione, ac doctrinâ, & suasione diabolicâ coibunt illi populi ad quærendum, capiendum, & trucidandum illum Senatum Ecclesiasticum. 3. ut raheretur à *Flumine*, cùm potiùs videatur, quòd flumen impetu suo propellere, protrudere, & ulteriùs rapere Mulierem debuisset juxta illud: *Præcipitosque trahit secum sylvas*; sed cùm homines nequam avocentur, & revocentur per diabolum, sicut aquæ per fluxum, & refluxum maris, & sicut aër per respirationem nostram, & sicut fulgura per nutum Divinum, *nunquid mittes fulgura, & ibunt, & reverentia dicent tibi, adsumus*: Hac de causa Draco misit flumen tanquam hamum ad capiendum Mulierem, namubi primum flumen assecutum fuisset illam, resorberet Draco, & attraheret ad se flumen, & cum eo prædam Mulieris, scriptum est enim *rapere parat perem dum attrahit eum*; Harum Metaphorarum sensus videtur esse: Diabolum videntem primam illam Ministrorum suorum manum non potuisse prendere Senatum eum Ecclesiasticum, utpote speciali Dei auxilio adjutum ad fugien-

fugiendum, instigaturum, & missurum per illos decem Principes novum exercitum magis instructum ad prendendum illum, ita ut eum senatum possit haberet apud se; hoc est inter manus suorum, & hos, qui novum hoc scelus patrâssent magis intimos, & magis intra se haberet; sic Saul inhians sanguini Davidis, & sciens, primos suos lictores non in-
1. Reg. 19. jecisse manus in eum: *Misit & alios nuncios. Et rursum misit Saul tertios nuncios.* Sic Ochozias audiens, quòd primus quinquagenarius cum suis, quem miserat ad capiendum Eliam, devoratus fue-
4. Reg. 1. rat igne cœlesti: Rursum *misit Principem quinquagenarium alterum, & quinquaginta cum eo.* Et rursus alium cum alijs quinquaginta; mirum itaque non erit, quòd Draco inhibitus à Deo, ne per se solum, & immediatè sæviat in Senatum illum, & duntaxat permissus sævire per suos ministros, videns, quòd primi missi redierunt re infectâ, eò quia Senatus ille velocitate aquilinâ fugisset sub protectione Dei ad alium locum, mittat de novo alios ad illum capiendum in eo alio loco, ad quem confugerat.

Videm. CII. Dicitur 12. quod *aperuit terra os suum, & absorbuit flumen, quod misit Draco de ore suo.* Etenim si, ut nuper dicebam, cœlestis ignis devoravit duos illos quinquagenarios, & duos illos quinquagenos militum, quos misit Ochozias ad capiendum Eliam. *Descendit itaque ignis de cœlo, & devoravit eum, & quinquaginta, qui erant cum eo.* Si rebellantes
Num. 16. illos contra Moysem, & Aaron devoravit terra. *Dirupta est terra sub pedibus eorum, & aperiens os suum, devoravit illos cum tabernaculis suis.* Si exercitum totum Ægyptiorum persequentium Ec-
Sapien. 10. clesiam Hebræam absorbuit mare; *Inimicos autem illorum demersit in mare*: Si exercitum missum à Rege Syriæ ad capiendum Elisæum percussit Deus cæcitate.
4. Reg. 6. *Percussitque eos Dominus, ne viderent*; Si inquam cum Ecclesia Hæbrea habuit Deus hanc providentiam, non erit multum Omnipotenti facere, quòd terra devoret exercitum, seu manum illorum militum, quos Draco instigabit & urgebit, ut infectentur, & capiant fugitivum illum ultimum Senatum Ecclesiasticum, repræsentatum per dictam Mulierem, & repræsentantem Ecclesiam totam Catholicam illius ultimi temporis. David à quadam anu dolorem simulante imploratus: *Quærunt extinguere scintillam, quæ relicta est*: Juravit, inquiens: *Vivit* 2. Reg. 14
Dominus, quia non cadet de capillis filii tui super terram. Non ergo erit mirum, quòd videns JEsus Christus flumen illud militum emissum ex ore, seu instigatione Draconis ad extinguendum eam Christianitatis scintillam, quæ relicta tunc erit ex cunctis mortalibus, qui ferè omnes apostatabunt ab ipso Christo Domino, jubeat tetram devorare illud, ne cadat de capillis capitum illorum venerabilium super terram. Adjuvabit ergo terra fugitivam illam Ecclesiam devorando eos, qui illam cogent ad fugam secundam.

CIII. Dicitur tandem, quòd iratus Draco in Mulierem *abiit facere prælium cum reliquis de semine ejus, qui custodiunt mandata Dei, & habent testimonium JEsu Christi.* Prælium autem fuit cum aliis fidelibus per Urbem sparsis, qui fugitivum illum Senatum sacrum sequi non potuerunt: & fuit per excitationem Antichristi; nam tunc dicit, quòd Draco *stetit supra arenam maris*, & quòd ipse Joannes vidit *de mari bestiam ascendentem*, quam typum esse Antichristi dixi supra n. 51. Undæ prædictæ duæ fugæ Senatus illius Ecclesiastici non erunt propter persecutionem Antichristi, qui venturus est immediatè post utramque; sed propter persecutionem illorum decem Principum, qui Romam evertent, spoliabunt, & comburent; quia cum futuri sint inimici agni, inimici quoque erunt Vicarii agni. *Hi cum agno pugnabunt &c.* igitur
Apocal. 17. videns diabolus conatus suos prendendi, & trucidandi Papam illum cum ejus Senatoribus semel, & iterum irritos fuisse, detorquebit suum furorem per dictam Antichristi excitationem, non contra Christianos utcunque, sed contra Catholicos Romanos, *cum reliquis de semine ejus*, & non contra hos omnes, sed contra illos, *qui custodiunt mandata Dei, & habent testimonium* (bonum utiq; & approbationis) *JEsu Christi.* Hi multi adhuc erunt sparsi per totum orbem terrarum, respectu vero improborum sequacium decem illorum Principum oppugna-

oppugnatur orum agnum, & expugnandorum ab Antichristo protinus emersuro de medio ipsorum (sicut de medio ligni nascitur tinea, quæ lignum corro-
Isai. 17. dit) paucissimi erunt, quia abundante iniquitate, *refrigescet charitas multorum*, quapropter verificabitur tunc de Catholicis Deo obedientibus, quòd de ipsorum typo, & umbra scripsit Isaias: *Relinquetur in eo, sicut racemus, & sicut excussio oleæ duarum, vel trium olivarum in summitate rami, sive quatuor, aut quinque in cacumimibus ejus, fructus ejus*: quibus definitis numeris satis explicat indefinitè paucitatem fidelium superstitum: Et de Ecclesia Catholica verificabitur, quod de sua figura, id est, de Hierosolymitana, prædixit ille Propheta. *Derelinquetur Filia Sion, ut umbraculum in vinea, & sicut tugurium in cucumerario, & sicut Civitas, quæ*
Idem. c. 1. *vastatur*. Afflictúsque ille Senatus dicet: *Nisi Dominus exercituum reliquisset nobis semen, quasi Sodoma fuissemus, & quasi Gomorra similes essemus*. Hac de causa, & quia residui illi Catholici, qui custodient mandata Dei, hac, & illac sparsi erunt per totum mundum absque commercio inter se, aut practicâ notitiâ aliorum de aliis, dicebam, quòd *Ecclesia* supponet tunc pro illo casu Senatorum cum suo Capite, & quòd de hoc solo cœtu possunt commodè intelligi, quæ Joannes dicit de Muliere præfigurante ultimam Ecclesiam. Contra illos ergo de semine legitimo Mulieris, sive Matris Ecclesiæ, excitabit Draco sævam procellam Antichristi. Sic olim Gabaonitæ nequeuntes ulcisci se de Saule jè vivis erepto, detorserunt iram suam contra eos, qui erant de semine Saulis.
2. Reg. 21. *Dentur nobis septem viri de filiis ejus, ut crucifigamus eos Domino*. Et postea: *Crucifixerunt eos in monte coram Domino*. Sic diabolus inhibitus à Deo, ne Jobum violaret, *in eum ne extendas manum tuam*,
Job. 1. semen illius invasit: *Repentè ventus vehemens irruit à Regione deserti, & concussit quatuor angulos domûs, quæ corruens oppressit liberos tuos, & mortui sunt*. Sic demum ad finem mundi complebitur, quod mundi initio dixit Deus eidem serpenti
Genes. 3. in multiplici sensu: *Inimicitias ponam inter te, & Mulierem, & semen tuum, & semen illius*.

CIV. His positis, argumentor sic; Tametsi expositio hucusque data totius hujus hieroglyphici Mulieris amictæ sole, non sit certa constans, & inconcussa; est tamen satis consentanea scripturis inter disputandum datis, & multis aliis, quas tacitas prætervi, in quibus Spiritus sanctus prædicebat per suos Prophetas, ultima tempora, ultimásque calamitates Ecclesiæ Hæbreæ Hierosolymitanæ, quæ typus erat, & figura Ecclesiæ Catholicæ Romanæ. Ergo data expositio hujus totius symboli probabilis est, quamvis non certa: Ergo Mulier illa amicta sole cum cæteris, quæ de illa scribit Joannes, probabiliter præfigurabat Matrem Ecclesiam Catholicam, ut futuram in ultimis temporibus mundi, sed non Ecclesiam, quoad omnia & singula ipsius membra, v. g. quoad viros, & fœminas, quoad senes & pueros, quoad Ecclesiasticos & sæculares, quoad civiles & agrestes, quoad sanos & ægrotos: quia creditu est difficile, quod omnibus & singulis conveniant omnia & singula, quæ dicuntur de illa Muliere, & quia hi dispersi per totum globum terraqueum absque commercio & notitia inter se, non formabunt unum cœtum, unamve communitatem quoad specificas eas actiones & passiones humanas, quæ prædicuntur de illa Muliere; & quia Joannes apertè distinguit inter Mulierem, & eos, qui sunt de semine illius, quos illa fugiente Draco persecutus fuit. Ergo dicendum videtur, quòd Mulier per Joannem significata est Ecclesia restricta ad senatum Præsulum, & Capitum Ecclesiæ: sed hæc sine suo Capite electo jam autem eligendo post illas morulas temporis, quas secum fert humana conditio, non est absolutè, ac simpliciter Ecclesia, quam Christus instituit: Ergò Mulier illa præfigurabat Cœtum, Congregationem, ac senatum Præsulum, & subalternorum Capitum Ecclesiæ, futurorum in ultimis eis temporibus, *cum suo supremo Capite Episcopo Romano*: Ergò huic Senatui cum hoc Capite probabiliter evenient omnia, quæ sub typo dictæ Mulieris prædixit Joannes.

Ca-

CAPUT VII.

Coordinatio eorum, quæ hactenus sunt dicta, & Systema ultimi Quadriennij.

CV. Systema inquam, quod probabiliter videtur, erui ex scripturis prolatis in hac disputatione, & cui facem præferunt Daniel, & Joannes, scribentes juxtà sibi exposita per Angelos de decem Principibus futuris in Romano Imperio, id est, in Regionibus, quibus olim constabat Imperium hoc, item de Antichristo nascituro è medio eorum, quorum tres humiliabit, ut Danieli dixit unus ex eis assistentibus, & reliquos sibi devinciet; Item de truculenta bestia septentrionali (de qua tamen nihil dicit Daniel, sed Ezechiel & Joannes) & demum de die judicij futuro, non multum post hanc bestiam Gog divinitus occisam, ut Joannes insinuat. Verba Danielis magis præcisa, & castigata sunt: *A tempore cùm ablatum fuerit juge sacrificium*, (id est, cùm ex edicto Antichristi, aut sui Vicarii abrogatum fuerit sacrificium Missæ) *& posita fuerit abominatio in desolationem*, (hoc est publicè suffecta in locum Eucharistiæ imago illa Antichristi, quam hujus Vicarius faciet loqui ope diabolica, sicut olim loquebantur Idola, & dare responsa consulentibus, ut olim dare solebant; quam abominationem innuere videtur Christus Dominus, inquiens: *Cum ergo videritis abominationem desolationis, quæ dicta est à Daniele Propheta, stantem in loco sancto: qui legit, intelligat; Tunc qui in Judæa sunt &c.* (ut supra notavi Capite I.) *dies mille ducenti nonaginta. Beatus, qui expectat, & pervenit usque ad dies 1335.* Hi excitati præcisi, & singillatim dati numeri dierum, erunt nobis, quasi Ariadnæ filum: quoniam hinc habetur à prædicto nefario edicto usque ad Christi adventum, & usque ad Sanctorum regnum plenum, & perfectum, per reunionem sanctarum animarum cum suis corporibus, futuros dies mille trecentos triginta quinque, qui plures sunt, quam illi, quas Antichristus regnaturus est: nempe 1277. ut infra dicam, & consequenter habetur quod à morte hujus, & sui Vicarii usque ad adventum Christi, & regni Dei erunt quinquaginta circiter septem dies, hoc est numerus Jubilæi, & numerus respondens creationi mundi, ut sicut complevit *Deus die septimo opus suum, quod fecerat, & requievit die septimo ab universo opere, quod patrarat, & benedixit diei septimo, & sanctificavit illum, quia in ipso cessaverat ab omni opere suo, quod creavit Deus, ut faceret.* Ita die septimo post Jubilæum remissionis à captivitate Antichristi (turbo namque ab aquilone venturus cum Gog & Magog instar fulguris transibit, & quidem innoxiè, atque in solum senatum Ecclesiasticum irruet, ut sub finem n. 65. dicebam) cessabit Deus à conservatione hujus mundi veteris, & incipiet novus ille promissus in veteri, & in novo testamento: *Novos verò cælos, & novam terram secundùm promissa ipsius expectamus, in quibus justitia habitat*, hoc est, renovabitur hic idem mundus, ut in Philosophia naturali explicui Disp. 4. n. 5. quia juxta easdem scripturas Scoriæ, quibus est refertus, igneo flumine eluendæ sunt.

Daniel. 7. *Apoc. 20. 11.* *Dan. 12.* *Matth. 24.* *Gen. 2.* *Isa. 65. 17.* *Idem 66. 22.* *Adoc. 21.* *2. Pet. 3.*

CVI. Igitur series rerum futurarum in illis ultimis annis mundi sic coordinari posse videtur juxta Matthæum, Marcum, Lucam, Apocalypsim, & Paulum, (quod attinet ad novum testamentum) Item juxtà Ezechielem, & Danielem, qui soli ex veteri testamento loqui videntur, magis clarè de illis temporibus: Et Systema articulis sequentibus constat 1. ante ultimum quadriennium ad omnes habitatores hujus terraquei globi perveniet lux Evangelica, quia Marcus loquens de ultimis eis calamitatibus, ait: *In omnes gentes primùm oportet prædicari Evangelium*, sivè, ut dicit Matthæus, *in universo orbe in testimonium omnibus gentibus.* Imprimis hæc prædicatio non erit simplex narratio verbis, aut scriptis perveniens ad notitiam omnium gentium, sicut res aliæ humanæ solent narrari: Aliàs namque cum veritate dicet quilibet illorum hominum, quod cum fastu ajebat superbus ille Rex: *In modico suades me Christianum fieri*, sed erit prædicatio *in testimonium omnibus*; ergò quæ illos reddat inexcusabiles, si acquiescere nolint; ergò, quæ faciat Evan-

Matth. 22. *Marc. 13.* *Luc. 21.* *Apoc. 11.* *& 12. & 13. & 17. & 20.* *Actor. 26.*

gelicas veritates moraliter evidenter credibiles, evidentiâ morali respectivâ, & proportionatâ conditioni audientiũ: In resistentiam enim contra hanc evidentiam moralem stare videtur ille infidelitatis caracter, quem exprimit Dominus apud Marcum: *Ut videntes videant, & non videant, & audientes audiant, & non intelligant.* Cùm enim probare jubeamur, *quid sit beneplacitum* Deo: Et scriptum etiam sit. *Nolite omni spiritui credere, sed probate spiritus, si ex Deo sint:* Inde est, quòd non quævis annunciatio Evangelij (excepto quando Deus providentiâ speciali supplet internè, quod externè deficit) obligat homines ad credendum; alioquin notitia verè probabilis, aut etiam omninò simplex Divinæ revelationis, sufficeret ad assensum fidei Theologicæ, quod jure est ab Ecclesia reprobatum. Prædicatio itaque, de qua per suos Evangelistas Dominus loquitur, faciet omnibus gentibus evidenter credibiles Evangelicas veritates evidentiâ unicuique proportionatâ; ergo faciet illas moraliter evidenter veras. Ambas consequentias probavi Tract. de fide. Deinde, cùm numerus gentium sit septuaginta duo, juxta septuaginta duas familias, quæ dispersæ sunt in confusione linguarum, septuaginta duabus gentibus, sive populis Matricium, aut quasi Matricium linguarum diversarum, (aliquæ penitus deletæ sunt, ut antiquissima Hetrusca, cujus unum duntaxat restat verbum *Histriones*) Evangelium prædicabitur. Vide Bedam.

Marc. 4.

Ad Ephes. 5

1. Joan. 4.

Genes. 10. & 11.

Liv. lib. 7. init.

Bed. Com. in Lucam.

CVII. Sed non infertur necessariò ex verbis Christi, Evangelium fore prædicandum omnibus, & singulis individuis illis humanis: potest quippe intelligi universalitas ea, sicut illa alia: *Omne animal fuit in arca Noe*; nempe pro speciebus singulorum, non pro singulis specierum. Quamobrem Evangelium prædicandum est aliquibus, aut multis omnium gentium. De cæteris individuis humanis, qui in eo tempore non audient simpliciter, aut non audient sufficienter Evangelium, dicendum est, quod de innumeris aliis, quibus ab initio Ecclesiæ idem contigit, nempe, *quicunque sine lege peccaverunt, sine lege peribunt: & quicunque in lege peccaverunt, per legem judicabuntur.* Demum cùm ab octogesimo primo gradu versus Arcticũ polum, usque ad nonagesimum per gyrum, & à sexagesimo tertio usque ad Antarcticum per gyrum, non potuerint nostri homines hactenus penetrare, explorandi causâ sint nec ne ibi gentes: imò cum neq; angulos omnes Oceani, aut latebras Americæ, & Africæ, sed littorales ferè solas Provincias perscrutati fuerint, & frequenter detegantur novi populi, ut nostra ætate detecti fuerunt Mariani, & modò deteguntur alii versus Septentrionem horum; Inde est, quòd definire nequimus, quot ex illis 72. gentibus, seu familiis, quæ initio dispersæ sunt, per hunc mundum, prædicatum est, & quot prædicatum nondum est Evangelium.

Ad Rom. 2.

CVIII. *Secundò* post dictam prædicationem *tunc veniet consumatio*, ait Dominus. Cùm illud *Tunc* non sit capiendum Mathematicè, sed juxta latitudinem, quam secum ferunt res humanæ, ut supra probavi num. 74. & 75. & cùm consumatio non consistat in indivisibil, videtur vox illa significare, quod paulò post eam universalem prædicationem incipient postremæ dispositiones ad consumationem sæculi: Et sicut in pompa celebri dicimus: *Jam venit Rex*, non quando transit vulgaris turba solitorum præcedere, sed quando Regia domus appropinquat, & sicut Christus Dominus dixit: *Jam non sum in mundo*, non multò, sed paulò antè suam passionem: Ita non multò priùs, sed quando postrema signa destructionis mundi, quæ jam subijcio, apparere incipiant, nempe post universalem dictam prædicationem, *tunc veniet consumatio.* Ubi memineris, quod supra adverti: videlicet, Dominum dixisse hæc omnia non solùm Discipulis tunc viventibus præsentibus, & audientibus, non tamen victuris in ultimis annis mundi, sed etiam Fidelibus tunc quidem nondum natis, sed nascituris posteà, & victuris versus finem mundi, ut hæc scientes *per patientiam & consolationem Scripturarum spem habeant*, quia ut ibi præmittit Apostolus: *Quæcunque enim scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt.* Et quia de his eisdem rebus loquens Christus apud Marcum, concu-

Marci 13. concludit inquiens: *Quod autem vobis dico, omnibus dico. Vigilate*; Et quia oportebat juxta generalem providentiam Dei ultimos illos fideles præmunitos esse adversus calamitates temporales, ac spirituales, tunc insurrecturas. Vide, quæ dixi num. 58.

CIX. *Tertiò* versus ultimum illud quadriennium possidebunt decem Reges, aut quasi Reges, antiquum Imperium Romanum, ut cap. 8. exponam, id est, Regiones ab ultima Hispania usq; ad Euphratem, & ab Africa Septentrionali usque ad Rhenum: Quia ut suprà dicebam, Bestia quarta, quam Daniel vidit, præfigurabat Imperium Romanum, prout erat, quando verè erat Imperium, ut frequenter intelligitur à Theologis.

Daniel. 7. *Bestia quarta Regnum quartum erit in terra, quod majus erit omnibus Regnis &c.* ut exposuit Danieli Assistens ille: At in illa bestia quarta vidit Propheta decem illa cornua, ut ibidem dicit ipse: Ergo hæc decem cornua futura erant in Romano Imperio. At cornua illa præfigurabant decem Reges futuros. *Porrò cornua decem ipsius Regni decem Reges erunt &c.* Ergo in eo Imperio erunt decem Reges, post quos, & è medio quorum nasciturus est Antichristus, qui tres illorum humiliabit: *Alius* inquit, *consurget post eos (sive de medio eorum*, ut initio illius Capitis dicit Propheta) *& ipse potentior erit prioribus, & tres Reges humiliabit.* Sed non erant futuri initio, aut medio Imperii Romani, quippe ex nulla probabili historia constat fuisse hactenus in eo Imperio decem Principes (& quidem simul; nam hoc significare videtur illa simultas cornuum in eodem tempore, & in eodem capite illius quartæ bestiæ) è quorum medio exortus fuerit alius mediocris Princeps, qui tres illorum humiliaverit, & bellum illud indixerit Deo, & Sanctis, & in cujus manum hi traditi sunt *usque ad tempus, & tempora, & dimidium temporis* cum reliquis ibi adjunctis. Ergo videtur dicendum, Principes illos, sive Reges in ultimis temporibus futuros esse simul super Regiones, quibus priscum Romanum Imperium constabat: Eadem cornua decem eosdem Principes decem significantia, vidit Joannes in bestia significante diabolum gestantem Romam antiquam, & in altera præfigurante Antichristum. Repete, quæ hac super re scripsi num. 50 & seqq. Neque ex eo, quòd dicta cornua viderit Daniel in solo capite bestiæ, inferas decem illos Reges, aut quasi Reges futuros esse in ipsa Urbe Roma, si ex eo, quòd viderit illos in bestia præfigurante Imperium Romanum, infero ego, illos futuros fore in Regionibus Imperii Romani. Etenim loquens Propheta de bestia cornuta, loquitur consequenter ad figuram, & conditionem cæterarum bestiarum hujus conditionis; cúmque omnes illæ gestent hoc instrumentum in solo capite, & non alibi, hac de causa, & non ad significandum omnes illos regnaturos simul in capite illius Imperii, id est, Romæ, vidit omnes illos Principes, seu potiùs illorum symbola in capite bestiæ. Fateor, locum etiam proprium oculorum esse in capite, & non alibi, & tamen rotarum, quas vidit Ezechiel: *totum corpus oculis plenum in circuitu ipsarum* Ezech. 1. *quatuor*, & similiter animalia, quæ vidit Joannes erant *plena oculis antè, & retrò*; Apocal. 4. sed cùm hujusmodi hieroglyphica fuerint ex mero placito Divino, ex uno nequit formari paritas ad alterum, quia plenitudine, ac dispersione oculorum, voluit Deus significare mysterium: & licet potuerit, noluit tamen mysterium significare plenitudine, ac dispersione cornuum; sed reliquit illa in loco solito ad significandum multitudinem Principum, more etiam solito, nimirum, quòd unusquisque erit in sua Regia distincta.

CX. Hi decem Principes brevi tempore regnabunt, quia *potestatem tanquam* Ib. cap. 17. *Reges una hora accipient*; nisi fortè illæ voces *unà horà* significent, quòd omnes simul, & in eodem ferè tempore ascendent ad potestatem quasi Regiam; tametsi quoad alia non conveniant invicem, ut est valdè probabile, & ut dicam infrà, quoad conatum tamen evertendi Religionem Christianam, vel saltem Catholicam, conspirabunt simul (unde non erunt Principes Christiani: saltem Catholici non erunt) & hæc verius est discessio, quam primùm venturam prædicit Paulus, & tunc, nempe post decem hos revelandum Antichristum;

Ibidem. De illis námque dicitur. *Hi cum agno pugnabunt, & agnus vincet illos, quoniam Dominus Dominorum est, & Rex Regum,* 2. ad Thes. 2. & hanc pugnam inibunt, quia *unum consilium habent & virtutem, & potestatem suam bestiæ tradent*: Et hoc, vel quia se, & sua commendabunt diabolo, ut ipsos adjuvet; vel quia diabolus, quo ut carnifice uti solet Deus, nudabit eos potestate, ac virtute, ut illam totam in unum Antichristum conferat. Diaboli námque erat imago bestia, de qua loquitur Joannes in eo Capite, ut explicui num. 53. consequenter ad odium hoc cum Jesu Christo, implacabili odio prosequentur Aulam & Regiam Religionis JEsu Christi, nempe Romã; unde addit Joannes. *Hi odient fornicariam* (quia talis erat Roma, quando hæc scribebat Joannes, atque ut talis illi obversabatur in visione, de qua ibi. Recognosce, quæ scripsi num. 54.) *Et desolatam facient illam & nudam, & carnes ejus manducabunt, & ipsam igni concremabunt*: Et tunc erit prima fuga Ecclesiastici Senatûs, de qua re suprà egi: Imminere itaque videtur à decem illis Principibus Hierosolymæ Christianæ, hoc est Romæ, quod à Chaldæis venit suprà Romam Ecclesiæ Hæbreæ, nempe, supra Hierosolymam lege Jeremiam. Et sit Nabuchodonosorem ministrum, & instrumentum Jerosolymitanæ tragediæ, sæpè vocat Deus *servum suum*, id est, carnificem, seu ministrum justitiæ suæ, tametsi aliàs diabolicæ factionis sequacem, ita de illis decem Principibus dictum fuit Joanni. *Deus enim dedit in corda eorum, ut faciant, quod placitum est illi*: in eo scilicet sensu, in quo olim induravit cor Pharaonis; quæ enim Deus permittit duntaxat, interdum dicuntur in Scriptura malè intellecta tanquam, si Deus vellet, ac præciperet, illa, essetve Author, & causa per se illorum, ut suprà notavi; nempe quia speciali quadam ratione, & non generali duntaxat providentia permittit illa ad puniendum alia peccata priora, vel ad eliciendum bonum aliquod speciale, lege Augustinum, rem hanc disputantem.

Jerem. 52. Id. 25. & 27. & 43. Apocal. 17. S. Aug. de grat. & lib. arbit, p. 20.

§. II.

CXI. Talis futurus videtur status civilis, & politicus hujus mundi in ea parte, quam occupat Imperium Romanum: qualis autem extra eam futurus sit in eis temporibus v. g. in America, in Africa interiore, & australi, in Asia orientali, in Europa septentrionali, non constat. Possumus verò conjicere tria. Primò has alias partes mundi, quæ subjectæ sint alicui ex Regionibus quondam componentibus Imperium dictum, secuturas fortunam illius dominantis, & consequenter adhæsuras Principi ex eis decem, qui dominetur ei Regioni v. g. Americam adhæsuram Principi illi ex decem, qui Hispaniæ dominetur. 2do. Cætera antiqua Imperia, quæ Romano præcesserunt, peritura quoad qualem qualem splendorem quem tunc habebunt, & ex illo quadriennio duos solos annos utcunque duratura. Post naratam quippe occisionem, ac combustionem quartæ bestiæ, hoc est, Romani Imperij, addit Daniel, se vidisse, quòd *aliarum quoque bestiarum ablatas esse potestas, & tempora vitæ constituta essent eis usque ad tempus, & tempus.* Etenim ex priscis eis Imperijs, quorum hieroglyphica ostensa fuerunt huic Propheræ, adhuc durat cum magna potentia Persicum, licèt mulctatum non paucis Provinciis: Et ostensum fuit Danieli sub specie ursi tres ordines habentis in ore, & dentibus, quia Cyrus fundator illius Imperij cum Avunculo suo Dario adoptatus est Babylonem tribus ferocibus gentibus stipatus, Medis, Parthis, & Persis; durat utcunque Chaldaicum, licèt devolutum majore ex parte ad Persas. Durat similiter Græcum devolutum quoque ad Turcas, retinentes idem Caput Imperij, quod habebant Imperatores Græci, quibus successerunt, nempe Constantinopolim. Horum omnium splendor obnubilabitur tunc, & qualiscunque fuerit, durabit solùm *usque ad tempus, & tempus*, quæ phrasis juxta hunc Prophetam significat duos annos, siquidem loquens tn eodem Capite de Antichristo, dat illi *tempus, & tempora, & dimidium temporis.* Ubi communiter intelliguntur tres anni, & dimidium: 3tio. Videtur, quòd gentes boreales, & multæ aliæ degentes extra limites ahtiqui Imperij Romani tempore illorum decem Principum, & proximè succesturi Antichristi

christi, non se immiscebunt eis turbulentiùs, sed quòd quasi à longè eas aspicientes, quiescent, donec *in novissimo annorum & in novissimis diebus*, ut dicit Ezechiel, assurgat Gog, cui agglomerabunt se præcipuè populi septentrionales, uti dixi toto Capite 5.

CXII. Sed cùm nova systemata mundi quoad dominia temporalia rarò, vel nunquam fiant sine magnis bellis, tunc versus ultimum dictum quadriennium continget, quòd Dominus prædixit. *Matth. 24.* *Audituri enim estis prælia, & opiniones præliorum*, quoniam *consurget gens in gentem, & regnum in regnum*: Unde nascetur varietas opinionum, quam experimur, quando inter aliquas gentes ardet bellum, quia hi affirmant justitiam stare ex parte unius gentis, alij stare ex parte alterius; uni asserunt in tali prælio hos fuisse Victores, illi eos fuisse victos &c. Hæc bella, & prælia contingent, tum antequam fiat dictum systema decem Principum, & contingent, ut illud fiat, tum postquam factum fuerit, quia naturale est, quod illi invicem se mordeant, & præterea, quia, ut dixi, conspiraturi sunt contra Romam, quam capient, spoliabunt, diruent, & comburent, quod absque armorumstre pitu fieri non poterit: tum præsertim quia mox è medio illorum erumpet cornu illud parvum, id est Antichristus, *Daniel. 7.* qui decem eos Principes sedabit: tres illorum penitus delens, & cæteros sibi subjiciens: quæ sanè absque sanguine & ferro non fierent, ut supra dicebam num. 51. sed cùm hæc eventura sint versus ultimum quadriennium, addit Dominus loquens cum fidelibus tunc victuris. *Videte ne turbemini, oportet enim hæc fieri, sed nondum est finis*: scilicet quia restant adhuc quatuor anni: cùm autem pestis, & fames soleant esse filiæ bellorum, his tunc sævientibus: *Erunt pestilentiæ, & fames*, & quia tunc nondum evaginaverit suum primarium gladium Antichristus, neque hujus Vicarius post hunc venturus, fecerit quæ dixi num. 56. idcirco addit Dominus. *Hæc autem omnia initia sunt dolorum.* Demum cùm mutatio, vel saltem corruptio Religionis, soleat subsequi mutationem Principum infidelium de novo regnantium, quibus utpote habentibus manus longas populi adulari solent, & cùm decem illi Principes futuri sint inimici JEsu Christi, ut dixi num. 110. eveniet tempore illorum, quod prædictum est ultimis illis fidelibus: *Tunc tradent vos in tribulationem, & occident vos, & eritis odio omnibus gentibus propter nomen meum, & tunc scandalizabuntur multi, & invicem tradent, & odio habebunt invicem, & multi Pseudoprophetæ surgent, & seducent multos, & quoniam abundabit iniquitas, refrigescet charitas multorum*: quæ omnia ex natura ipsa rei sunt satis probabilia, posito, quòd decem illi Principes tunc dominaturi eis hominibus *cum Agno pugnabunt*, *Apoc. 17.* ut prædicit Joannes, id est, inimici erunt JEsu Christi. *Matth. 2*

CXIII: Prædictionem Magistri venerati sunt Discipuli scribentes: *Spiritus autem manifestè dicit, quia in novissimis temporibus discedent quidam à fide, attendentes spiritibus erroris, & doctrinis dæmoniorum*, Et rursus. *In novissimis temporibus instabunt tempora periculosa: Erunt homines seipsos amantes, cupidi, elati &c.* Et cùm Paulus non ignoraret, Thimotheum moriturum multò antè novissima tempora, ideò non tam ad illum, quàm ad fideles tunc victuros dirigit illud: *Et hos devita*: sicut etiam Ezechiel loquitur cum Gog post multa sæcula nascituro, & sicut Isaias, Jeremias, Ezechiel, & & alij Prophetæ loquentes, & promittentes, ut videbatur, ingentem gloriam spiritualem ad Hebræos tunc sibi præsentes, neque loquuntur cum illis individuis, nec illis promittunt (siquidem illi individui non acceperunt) sed loquuntur, & promittunt eis, qui post multos annos venturi erant in mundum. Paulo consonat Petrus inquiens: *Hoc primum scientes, quòd venient in novissimis diebus deceptione illusores juxta proprias concupiscentias ambulantes, dicentes; ubi est promissio, aut adventus ejus: Ex quo enim Patres dormierunt omnia sic perseverant*, &c. Hoc erit acerrimum telum, quo perfodere illos fideles conàbitur turba Pseudoprophetarum illorum: quando venturus est vester JEsus? ubi sunt minæ, & promissiones ipsius? Ecce mundus totus sicut fuit, ita est; Ergo ita etiam erit: sed contra has ineptias armârunt ambo Apo-

1. ad Tim. 4. *2. ad Tim. 3.* *Ezech. cap 38. & 39* *2. Petr. 3.*

stoli ultimos fideles, & de novo armat illos B. Judas dicens: *Memores estote verborum, quæ prædicta sunt ab Apostolis Domini nostri JEsu Christi, qui dicebant vobis, quoniam in novissimo tempore venient illusores secundùm desideria sua ambulantes in impietatibus.* Itaque licet corruptio doctrinæ, ac morum longe major sit futura in ultimo quadriennio, grassantibus Antichristo, & suo Vicario, juxtà scripturas supra datas; hoc non tollit, quod magna etiam futura sit ante quadriennium illud, tempore nimirum eorum decem Principum inimicorum JEsu Christi, nec non illius turbæ Pseudoprophetarum, quos meminit Christus Dominus, antequam incipiat loqui de Antichristo, nempe ante Versum 15. Capitis 24. Matthæi, & quando dicit: *Nondum est finis &c. Hæc autem omnia initia sunt dolorum*, ubi insinuare videtur, turbam eam venturam ante filium illum diaboli post cujus adventum prædixit alios impostores: *Surgent enim Pseudochristi, & Pseudo-Prophetæ &c.* Ecce statum politicum, & Religiosum, quem habebit mundus paulò ante ultimum quadriennium.

Jud. v. 18.

CXIV. *Quarto* in hac rerum perturbatione, & temporum calamitate videntur eventura, quæ dixi cap. 6. usque ad primam fugam Ecclesiastici Senatus ex urbe Roma propter persecutionem dictorum decem Principum, & urbis destructionem. *Quinto* circa initium ultimi quadriennii incipiet Monarchia universalis Antichristi, de quo egi n. 51. & sæpè alibi. Incipiet diabolica fraudulentia sui Vicarii, de quo num. 56. & seqq. nec non specialis providentia Dei erga homines tunc futuros, auxilians illis adversùs sævitiam, & fraudes amborum, de qua egi num. 57. quæ omnia durabunt tres annos cum dimidio, ut sæpe dixi: Continget pœnitentia, prædicatio, potestas, & postea suo tempore mors, resurrectio, ascensióque in cœlum, Henoch & Eliæ, quæ claris verbis dicit Joannes, & quæ ultima contingent Hierosolymæ, quia ut ibi dicit Joannes, Contingent: *Ubi, & Dominus eorum crucifixus est*, horum prædicatio durabit *diebus mille ducentis sexaginta*, nempe tribus annis cum dimidio circiter, quoniam tanto tempore durabit Tyrannis Antichristi & suorum, *civitatem sanctam calcabunt mensibus quadraginta duobus*: Filius namque illo iniquitatis diabolico odio exardens contra JEsum Christum, videns jam destructam ab illis decem Principibus suis Prædecessoribus regiam Christianæ Religionis, nempe Romam, furorem suum convertet contra Hyerosolymam venerabilem semper genti Christianæ, propter passionem ac mortem Christi in urbe illa, & sicut sui Prodromi prophanarunt illa sacra loca, quia *marmoream Veneris statuam in crucis loco* collocarunt, & *Adonidis simulacrum in loco Præsepii*, atque *Jovis in loco resurrectionis*, ita ipse toto tempore sui regni civitatem illam sanctam calcabit, prophanabitque, non inveniens aliam, in qua rabiem suam contra Christum Dominum exerceat.

Apoc. 11.

Ibidem.

CXV. Illi sancti duo Viri, qui modo tranquille degentes, nil aliud faciunt, quàm lucere contemplatione, & ardere charitate erga Deum, & propterea dicuntur *duæ olivæ, & duo candelabra in conspectu Domini terræ stantes*, quia licet Dominus sit etiam cœli, at ipsi non sunt in cœlo, sed in terra. Hi inquam duo soli (quippe de Joanne non constat, cum illud *oportet te iterum prophetare gentibus, & populis, & linguis, & Regibus multis.* Commodè intelligatur de doctrina, quam toti orbi Christiano dedit Joannes à capite immediatè subsequente, nimirum ab 11. Apocalypsis. De Moyse quoque non constat, quamvis Maldonado valde inclinet in hunc locum Henoc) invenientes Regiones, quas læpè dixi in eo statu infælici, quoniam de illa Christi vinea dici poterit, *exterminavit eam aper de sylva, & singularis ferus depastus est eam*, (nempe collegium decem illorum Principum) nec non impietas Antichristi, & sui Vicarii imbutientium quotidie majore, & majore impietate homines illos, assiduè prædicabunt, *testificantes Judæis, atque gentilibus* (nempe Christianis, qui secuti decem illos Principes, & Antichristum, relapsi sint in idololatriam) *in Deum pœnitentiam, & fidem in Dominum, nostrum JEsum Christum*; sed cùm Phrenetici eorum sit contra Medicum insurgere, homines illi ebrii, *& non à vino* invehentur atroces in eos

Apocal. 11. eos duos viros. Atque idcircò, quando eos necatos videant *corpora eorum non sinent poni in monumentis : Et inhabitantes terram gaudebunt super illos, & jucundabuntur, & munera mittent invicem, quoniam hi duo Prophetæ cruciaverunt eos.* Verumtamen sicut Judæi interdum voluerunt occidere Christum Dominum, & non potuerunt, *quia nondum venerat hora ejus*; Ita gens illa, & Antichristus, & suus Vicarius conabitur non rarò tollere eos de medio; sed territi desistent; nam *si quis voluerit eis nocere . ignis exiet de ore eorum, & devorabit inimicos eorum*, qua potestate fungentur, donec veniat hora eorum, quoniam tunc *bestia, quæ ascendit de abyssо* (scilicet Antichristus, ut dixi num. 51.) *faciet adversus eos bellum, & vincet illos, & occidet eos* : experientur itaque illi, quod olim Jeremias : *Factus sum in derisum tota die, omnes subsannant me, quia jam olim loquor vociferans iniquitatem, & vastitatem clamito, & factus est mihi sermo Domini in opprobrium, & in derisum tota die.* Eveniet his duobus nuntijs Dei quod nuntiis missis ab Ezechia per totum Israel, ut gens illa reverteretur ad Deum : nam cursores pergebant velociter, *illis irridentibus, & subsannantibus eos.* Cæterùm, sicut in hoc ipso casu, quidam viri ex Aser, & Manasse, & Zabulon acquiescentes consilio, *venerunt Jerusalem*, ita nonnulli ex ultimis eis mundi hominibus acquiescent juxta dicta num. 58. prædicationi horum duorum; alioquin cur dicitur de Henoch : *Translatus est in Paradisum, ut det gentibus pœnitentiam :* Cur de Elia. *Ecce ego mittam vobis Eliam Prophetam, antequam veniat dies Domini magnus, & horribilis, & convertet cor Patrum ad filios, & cor filiorum ad Patres eorum*; id est, inimicitias arcebit, quæ sunt inter populum Hæbreum, & populum Christianum, *quia tunc reddam populis labium electum, ut invocent omnes in nomine Domini, & serviant ei humero uno*, ut dicit Sophonias loquens de ultimis temporibus? Cur denique Christus Dominus asseverans Eliam jam venisse, id est, Joannem Baptistam, immediatè antè dixit de Elia ipso in sua persona: *Elias quidem venturus est, & restituet omnia.* Continget itaque tunc, quod ferè semper contingit, quando multis, & hetherogeneis personis proponitur Verbum Dei; videlicet plurimi dissentiunt, nonnulli assentiuntur: Sic electo Saule per Deum ad regnum, *abiit cum eo pars exercitus, quorum tetigerat Deus corda, filij verò Belial dixerunt &c.* Sic prædicante Paulo in Areopago, quidam irriserunt, quidam judicium suspenderunt, *quidam verò viri adhærentes ei, crediderunt* : lege, quæ hac super re scripsi num. 97.

Ibidem. *Ibidem.* *Jerem. 20.* *1. Paralip. 30.* *Eccles. 44.* *Malach. 4.* *Sophon. 3.* *Matth. 17.* *1. Reg. 18* *Actor. 17.*

CXVI. His bonis nuntiis conversionum hominum nonnullorum pascent etiam hi duo viri fugitivum absconditum Senatum Ecclesiasticum illius temporis, ut dicebam eo num. 97. quia non in solo pane, & aqua vivet ille venerandus Cœtus, sed in omni verbo, quod procedit ex ore Dei. Scriptum est enim, quòd sicut *aqua frigida animæ sitienti* (ardor quippe sitis videtur potius cruciare animam; quàm corpus) ita *nuntius bonus de terra longinqua* : Item si de Israelitis dicitur, quòd David *pavit eos in innocentia cordis sui*, quid mirum, quòd Senatores illi Ecclesiæ pascantur ab Henoc, & Elia *in innocentia cordis sui, & in intellectibus manuum suarum*, hoc est bonis operibus, & laboribus pro gloria Dei susceptis; Porro innocentia hæc apparebit illi Pontifici, quando ambo hi Prophetæ sese illi ostendant, & subijciant : ostendent quidem, & prædicationem cum illo conferent : quoniam si Paulus antè atque verè, locutus. *Notum enim vobis facio, Fratres Evangelium, quod evangelizatum est à me, quia non est secundum hominem, neque enim ego ab homine accepi illud, neque didici, sed per revelationem JEsu Christi*; postea hoc non obstante scribit de suo itinere post quatuordecim annos in Jerusalem : *ascendi autem secundùm revelationē* (hoc est non ex mea privata devotione, sed ex præscripto cœlesti) *& contuli cum illis Evangelium, quod prædico in gentibus, seorsum autem iis, qui videbantur aliquid esse, ne fortè in vacuum* (non utique quoad veritatem, siquidem acceperat illud à JEsu Christo, sed quoad meritum humilitatis, debitæq; subordinationis, quam Deus omnino vult observari, etiam à suis Proceribus) *currerem, aut cucurrissem* : nimirum, quia voluit Deus Doctorem gentium, dare hanc inter alias lectionem gentibus, humilitatis

Prov. 25. *Psalm. 77.* *Ad Cat. 1* *Ibidem. 2.*

tatis videlicet, subordinationis, atque reverentiæ ad ordinem Hierarchicum, quem ipse Deus instituit: si inquam Paulus sic se gessit, non est mirum, quòd Henoc, & Elias, tametsi accepturi sint per revelationem á Deo, quæ facturi, atque prædicaturi sunt; vadant nihilominus quæsitum absconditam illam Ecclesiam, communicaturi cum eo Capite visibili Ecclesiæ, quæ dicturi quoque facturi sunt, non utique, ne errent, quia confirmati in gratia, & veritate sunt, sed ut exemplum præbeant humilitatis, debitæq; reverentiæ, atque subordinationis ad Vicarium Christi, cujus fidem prædicaturi veniunt: & consequenter illi suam legationem manifestabunt cum evidentia credibilitatis, de eo, quòd ipsi sint illi duo Prophetæ multis retrò sæculis promissi à Deo, quam evidentiam Deus ipse intrinsecus fovebit in illo Papa, & suis, ut hi suscipiant, & revereantur illos, ut par est; & illi non currant in vacuum quoad meritum dictum. Hâc igitur innocentiâ suâ pascent illam Ecclesiam Henoc, & Elias.

CXVII. Pascent item aliâ; nimirum subjectione sua ad illum Pontificem; tametsi enim non spectaverint olim ad Ecclesiam Evangelicam, & consequenter immunes fuerint à specificis hujus obligationibus; verumtamen venientes non ex mortuis, sed ex vita mortali separata à vivis, ad vitam mortalem cum vivis, & credentes in JEsum Christum, quem Redemptorem & Legislatorem reverebuntur, hujus quoque legibus tenebuntur latis pro omnibus mortalibus sine exceptione, quibus sufficienter propositum fuerit Evangelium. At una ex suis legibus sine exceptione est. *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, salvus erit, qui verò non crediderit, condemnabitur*, ubi quamvis non addat, *vel non baptizatus fuerit*, alibi hoc sufficienter explicuit, quando dixit illi Principi. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei*, ubi nulla prorsus est exceptio, aut discretio inter illos, qui prius non mortui, victuri erant post sufficientem notitiam, atque promulgationem Evangelij; ergo duo illi viri redeuntes ad commercium hominum, & quasi tunc nascentes in hoc mundo; cùm semper fuerint viatores: nunquam autem comprehensores, tenebuntur baptizari, si baptizati non sint ab invicem. Sic Cornelius ille, quamvis aliàs *Religiosus, ac timens Deum cum omni domo sua, faciens elemosynas multas plebi, & deprecans Deum semper.* His non obstantibus jussus est accersere Petrum, de quo inquit Angelus: *Hic dicet tibi, quid te oporteat facere:* quod licet Angelus ipse posset dicere, noluit; sed quod Petrus diceret, nempe, ut servaretur ordo, & subordinatio, quam Deus vult inter homines; quod autem Petrus fecit post breve catechesim, fuit, jubere *eos baptizari*, etiam si super ipsos jam descenderat Spiritus sanctus, & templum Dei erant. Baptizabuntur igitur Henoc & Elias (& consequenter subditi erunt Pontifici temporis illius: & spectabunt ad Cathalogum Sanctorum novi testimenti) tametsi tot sæculis fuerint Religiosi, timentes Deum, & semper deprecantes illum. Item sacram Eucharistiam suscipient: quia utpote baptizati, Christiani erunt; & omnibus Christianis rationis capacibus dicitur: *Nisi manducaveritis carnem Filij hominis, & biberitis ejus sanguinem; non habebitis vitam in vobis*: Et verosimilius videtur, quòd Sacerdotes fiant, ut potestate sacrificandi, atque absolvendi fungentes, melius exequantur munus suum prædicandi *in Deum pœnitentiam, & fidem in Dominum nostrum JEsum Christum.*

CXVIII. Obiicies Augustinum scribentem: *In eis, qui nullum habent omnino peccatum, falsus est baptismus, qui in remissionem traditur peccatorum*: At duo illi viri, quippe qui innocentissimam agunt vitam, confirmatique sunt in gratia, nullum habent, aut habebunt peccatum; quoniam licet idem S. Doctor totus invehatur contra Cœlestium in Epistola, seu Libro ad Eutropium, & Paulum de perfectione justitiæ, ostendens neminem assecutum, vel assecuturum in hac vita mortali, ut absque omni prorsus peccato vivat; quod maximè ostendit contra Pelagium ex oratione Dominica, inquiens: *Tanquam sponsa ejus non sit quæ per universam terram, quod ab eo dictum, operata dicit. Dimitte nobis debita nostra*, addit-cens insuper Authoritatem validam S. Cy-

Marci 16.

Joan. 3.

Lib. 1. Pecc. Mer. & Rem. cap. 21.

Lib. 2. de Nat. & Grat. cap. 36.

Cypriani idem docentis; licet inquam ita doceat S. Doctor, loquitur, ut ex ipso contextu verborum colligitur de ordinaria providentia, quam Deus habere solet erga præcipuos etiam suos Sanctos; non de rarissima, singulariq; omnino, qualis est providentia, quam habuit, habet, & habebit cum his duobus solis viris viatoribus, de quibus ipse testatur. *Hi sunt duæ olivæ, & duo candelabra in conspectu Domini &c.* Et, quod Caput est, generalis ea doctrina S. Augustini debet intelligi, prout illam explicuit Tridentinum, damnans eundem errorem Pelagij, & Celestij; nimirum hominem *posse in tota vita peccata omnia etiam venialia vitare, nisi ex speciali Dei privilegio* (nota hoc) *quemadmodum de beata Virgine Maria tenet Ecclesia*; qui autem speciali hoc privilegio fruatur, & insuper certo sciat reflexè se nunquam peccavisse, aut peccaturum adhuc venialiter, non poterit dicere de se, *dimitte nobis debita nostra*, poterit autem dicere de corpore Ecclesiæ, cujus ipse est membrū, & sic poterat orare B. Virgo: poterit itē dicere de se ipso, intelligendo dimissionē pœnæ propter peccata olim commissa ante tempus, in quo frui cœpit dicto privilegio, & sic poterunt orare hi duo viri: poterit demum dicere de se ipso pro tempore quoque præsenti, si non habeat prædictam reflexam certitudinem: Ex hoc toto Discursu infertur Henòc & Eliam non posse baptizari, quia aliàs baptismus illorum esset falsus.

Apocal. 11.

Tesi. 6. Can. 22.

CXIX. Probat objectio, B. Virginem, aut commisisse aliquod peccatum, aut non fuisse baptizatam, aut baptismum fuisse in ea falsificatum. Quæ tria, quàm sint absurda, vides. Probat similiter, falsas esse formas baptismi, vel pœnitentiæ in eo, cui, quia dilexit valde multum ante Sacramentum, condonata sunt omnia peccata quoad culpam, & quoad pœnam. Igitur verba illa S. Augustini intelligenda sunt, vel de illo determinatè baptismo, *qui in remissionem traditur peccatorum*, id est, qui confertur determinatè homini peccatori; vel si S. Doctor loquitur, ut loqui videtur, de omni baptismo; intelligenda sunt ea verba de baptismo attenta ipsius institutione, atque, ut ferè semper traditur (& hoc sufficiebat intentioni suæ, scilicet parvulos infectos esse peccato originali) non verò de omni prorsus baptismo. Tum propter exemplum Beatæ Virginis, cui certè collatum fuit hoc Sacramentum, & non in remissionem peccatorum. Tum quia sensus ambarum formarum, & baptismi, & pœnitentiæ non est; *Do tibi gratiam actu, & absolutè remittentem peccatum*; sed *do tibi gratiam ex se*; ac *quoad sufficientiam remissivam peccati*, ut fusè explicui Tract. de Pœnit. Ambæ autem formæ essent veræ in eo, qui susciperet hæc Sacramenta absque ullo peccato, quod tunc remitteretur. Est tamen discrimen inter illa. Quia cùm Sacramentum Pœnitentiæ essentialiter constituatur aliqua peccati confessione, & hæc non possit esse vera, si nullum penitus fuit commissum, hac de causa, qui nunquam penitus peccavit, incapax est in eo statu suscipiendi Sacramentum pœnitentiæ. Et talis fuit Beata Virgo. Taléque videntur hi duo viri; quoniam ab eo momento, in quo translati fuerunt, nullum omnino commisisse videntur peccatum; quæ autem ante momentum illud patrārunt, cùm non fuerint patrata ab homine baptizato, non sunt materia Sacramenti Pœnitentiæ: *Cùm Ecclesia in neminem judicium exerceat, qui non prius in ipsam per baptismi januam fuerit ingressus. Quid enim mihi &c.* Et ratio hæc non urget contra susceptionem baptismi, cujus, nec materia, nec forma connectitur cum ullo peccato suscipientis semper, & absque ulla exceptione. Ergo licet B. Virgo nunquam habuerit illud, & licet hi duo viri ab instante suæ translationis, nullum commiserint; illa potuit suscipere, & hi suscipere potuerunt baptismum; ergo illa suscepit, & hi suscipient. Premit namque præter Scripturas suprà datas universalis ille Canon; *Siquis dixerit baptismum liberum* (nempe post Evangelicam legem promulgatam) *hoc est, non necessarium ad salutem. Anathema sit.* Beata Virgo, & hi duo Prophetæ, licet nati, & viventes ante promulgationem Evangelij, & durante adhuc lege antiqua reipectivè, vixerunt quoque tenore vitæ non interrupto, post hanc promulgationem. Baptizabuntur itaque hi duo, licet in-

Trid. Sess. 14. cap. 2.

Trid. Sess. 7. Can. 5.

nocentissimi, & sanctissimi, sicut etiam sanctissima Virgo baptizata fuit, & licet non actualem remissionem peccati quoad culpam, aut pœnam, duos tamen pretiosos fructus adipiscentur per baptismum, videlicet gratiam sanctificantem, & caracterem Christianitatis, quo sancti Christiani discernentur in cœlo à Sanctis non Christianis; Quemadmodum apud homines quoque torquati nobiles disernuntur à nobilibus non torquatis.

CXX. Statuto, hos duos sanctos Viros baptizandos fore, & consequenter spectaturos ad Ecclesiam Christianam, quamvis nati sint, unus in tempore solius legis naturalis, & alter tempore legis Mosaicæ (quia in hoc non attenditur tempus, in quo nascitur homo, sed illud, in quo vitæ continuato tenore vivit, & moritur, ut constat ex Beata Virgine, Apostolis, & Discipulis Domini) sequitur, illos futuros esse oves Christi, & consequenter subditos illius, cui dictum fuit *Pasce agnos meos, pasce oves meas*; ergo subditos Successores Petri, ergo subditos Episcopi Romani. Cùm igitur se habebunt, quasi eo modo, quo Paulus Prædicator, & Doctor gentium electus à Christo, ut suum portaret nomen coram Regibus, & gentibus, & filiis Israel, sese habebat cum Petro Vicario Christi, qui Petrus retenta authoritate supra Paulum tanquam supra ovẽ Christi, eùm venerabatur, citabat (*sicut & charissimus frater noster Paulus secundùm datam sibi sapientiam scripsit vobis,*) atque ut Canonica reverebatur ipsius scripta, *quæ indocti, & instabiles homines*, inquit, *depravant sicut & cæteras scripturas*, ubi inter scripturas sacras dat locum scriptis Pauli. Sic Papa ille retentâ authoritate supra hos duos Prophetas viatores; & mortalem vitam viventes, tanquam Vicarius Christi supra hujus oves, reverebitur, adorabit, & venerabitur illos tanquam insignes Sanctos: Et Henochum titulo alio speciali, nempe tanquam avum suum, siquidem ille Papa, utpote descendens ex uno filiorum Noe, à quibus *disseminatum est omne genus hominum super universam terram* descendet eo ipso ab Henoc progenitore Noe, neque hæc reciproca superioritas in diverso genere abhorret ab humana consuetudine satis frequente.

2. Petr. 3.

Gen. 9.

Ibid, 5.

CXXI. Cardinales enim, quamvis sint Electores summi Magistratûs Ecclesiæ, ex ipsiúsque Collaterali Consilio, & secundùm hanc rationem multò emineant supra Episcopos, attamen quando in horum Diœcesi sunt, nisi speciali fruantur privilegio, subjecti sunt illis quoad multa, quæ ad jurisdictionem spectant, v. g. quoad potestatem audiendi & ficiendi confessiones, quoad Casus illi reservatos, quoad observationem interdicti &c. Similiter quamquam Proceres Regni propter suam consanguinitatem, aut affinitatem cum Rege, & propter alta munera, quæ obire solent in regno, longè superiores sint simplici Magistratu Urbis privatæ, nihilominus Rex ipse vult, quòd quando habitant in ea Urbe, sint quoad multa Civilia Magistratui simplici Urbis illius Subjecti. Neque prisci Sapientes putârunt impossibilem, aut futilem esse hanc mutuam superioritatem in diversis generibus. Fabius quidem Maximus retentâ majestate paternâ supra filium Consulem, lubens, & protinus descendit ex equo ad Imperium filij, sibi notificatum per lictorem, *ab equo desiluit, citatóque gradu Patrem ad filium contendit, amplexúsque eum. Rectè in te verò tu, inquit, fili, qui agnoscis, in quos Magistratum, quantúmque geras*: Non erat igitur res ex genere suo nova, inaudita, futilis, aut ab humana consuetudine aliena, quòd agnoscentes hi duo Viri, *in quos Magistratum, quantúmque gerat* Ille summus Pontifex, ipsius dicto audientes sint, cum mortalem adhuc, & viatorum vitam tunc agant; quamvis aliàs propter tot alios titulos sint venerabiles, & in aliis rationibus, sive generibus, superiores sint illo Pontifice. Huic ergo subditi erunt. Neque frigidè inferas fore, ut hic posset illos excommunicare, prohibere prædicationé &c. Quoniam licet posset potestate antecedente, sed non potestate consequente ad præsentem providentiam, qua Deus confirmavit illos in gratia & efficaciter prædestinavit ad munus illud, & consequenter noluit permittere in eo Papa istas, & similes actiones.

§. III.

§. III.

CXXII. Continget 6. circa initium illius quadriennii insignis ea clades, quam susceperturus est Antichristus, de qua egi supra, illius reparatio per diabolicas artes: Universalis acclamatio populorum, & post hæc adventus illius Pseudoprophetæ, qui quasi Vicarius erit Antichristi quoad spiritualia occisura animas, cùm ille curis regni occupatus nequeat consistere semper in eodem loco. Hæc omnia disputavi num. 61. Conditionem autem, & scelera illius pseudoprophetæ explicui num. *56.* & seqq. Antichristi verò num. 51. Continget 7. quod currente jam ultimo quadriennio, & reparata ea insigni clade, quam Antichristus suscipiet, & debellatis decem illis Principibus, & cooperante illo Pseudopropheta, & plerisque mortalium adorantibus diabolum, & Antichristum *adoraverunt Draconem, qui dedit potestatem bestiæ, & adoraverunt bestiam*, quamvis omnes habituri sint subsidia, quæ dixi num. 57. & seqq. Aperiet hic *os suum in blasphemias ad Deum blasphemare nomen ejus, & tabernaculum ejus*, (nempe sacrosanctam JEsu Christi humanitatem, in quo JEsu Christo *sunt omnes thesauri sapientiæ, & scientiæ absconditi*, & in quo *inhabitat omnis plenitudo Divinitatis corporaliter*, & contra quem habebit privatum, & diabolicum odium) *& eos, qui in cælo habitant.* Acerrimi sequaces hujus odii, & blasphemiarum erunt Judæi tunc superstites, ut dicit Paulus scribens: *Eò quod charitatem veritatis non receperunt, ut salvi fierent, ideo mittet illis Deus operationem erroris, ut credant mendacio, ut judicentur omnes, qui non crediderunt veritati.* Et Judæis dixerat Christus: *Ego veni in nomine Patris mei, & non accipitis me, si alius venerit in nomine suo, illum accipietis.* Videns autem, quod neque Christum, neque eos, qui in cœlo sunt, potest offendere plus quàm verbis, detorquebit opera contra eos, qui sunt in terris, quoniam erit *datum illi bellum facere cum Sanctis, & vincere illos*, ut dicit Joannes, *& Sanctos Altissimi conteret*, ut prædixit Daniel. Vide num. 83. Prodibunt tunc duo scelerata edicta, unum à Vicario Antichristi, ne quis possit emere, aut vendere &c. de quo egi num. 56. Alterum ab Antichristo, quo juge sacrificium Missæ abrogabit, ut suprà dicebam, quia licet abrogatio illa jugis sacrificij, de qua Daniel Capite 8. & 11. quater loquitur, sit quæ ab Antiocho emanavit, ut ex contextu constat, qui insignis typus Antichristi fuit, & præfigurabatur cornu illo modico, quod egressum est ex quatuor cornibus, in quæ divisa fuit Monarchia Alexandri; ast abrogatio, de qua loquitur cap. 12. *A tempore cùm ablatum fuerit juge sacrificium &c.* non potest esse alia, nisi quæ ab Antichristo emanabit, & præfigurabatur in ea, cujus Author fuit Antiochus: Ubi nota obiter, hunc Prophetam prædicere sanè, quæ facturus erat nequissimus Antiochus; non tamen, quæ hic solus facturus erat, quoniam hunc vidit cap. 8. sub figura cornu modici orituri ex uno illorum *quatuor*; quæ dixi, & prævaliturí *contra meridiem, & contra orientem, & contra fortitudinem*: Ergò Antiochum vidit, ut distinctum ab eo Tyranno, quem Capite immediatè antecedente viderat sub figura cornu parvuli orti de medio decem cornuum, & tria horum avellentis, & Tyrannidem exercentis *usque ad tempus, & tempora, & dimidium temporis.* Hic nequit esse alius, nisi Antichristus, vel assigna quis nam sit: Ergo quamvis Daniel cap. 8. & 11. loquatur de Antiocho capite septimo, & duodecimo loquitur de Antichristo.

Apoc. 13.

Ad Colos. 2.

2. ad Thess. 2.

Joan. 5.

Apocal. 13.

Daniel. 7.

CXXIII. Continget 8. infelice illo currente quadriennio, quod contigit in persecutione Antiochi, nempe multi secuti sunt sacerdotalem familiam Mathatiæ elapsam Hierosolyma, ut periculà fidem abjurandi vitarent: *Tunc descenderunt multi, quærentes judicium, & justitiam in desertum.* Sic multi Christiani vadent ad locum illum absconditum, quem parabit Deus cœtui illi Senatorum Ecclesiæ, cùm suo capite (& ad quem confugiet relictis *quæcunque habebant in civitate*) ut quærant *judicium* circa agenda, & non agenda, atque *justitiam*, hoc est, modum conservandi animas suas in justitia, & lege Christiana: Ac propterea dicebam suprà hunc etiam sensum posse inesse illis verbis Domini loquentis

1. Macha. 2.

Ibidem.

tis de eis temporibus. *Ubicunque fuerit corpus*, nempe Ecclesiæ, *illic congregabuntur & aquilæ?* Contingent 9. Vera, & stupenda miracula Henoc & Eliæ adversus fucata & illusoria, quæ de Vicario Antichristi refert Joannes, qui de illis, non verò de his, scribit: *Hi habent potestatem claudendi cœlum, ne pluat diebus prophetiæ ipsorum: Et potestatem habent super aquas convertendi eas in sanguinem, & percutere terram omni plaga quotiescunque voluerint.* Multoties quærentur ad necem, sed frustra imò magno malo inimicorum, quippe: *Siquis voluerit eis nocere, ignis exiet de ore eorum, & devorabit inimicos eorum*, ut jam dixi. Hac potestate fungentur *diebus mille ducentis sexaginta*, quod est tempus divinitus præfinitum suæ prædicationi. His diebus transactis, cessabit ea potestas, quia tunc *bestia, quæ ascendet de abyssо faciet adversùs eos bellum, & vincet illos, & occidet eos.* Cùm igitur hi duo incæpturi sint suam prædicationem quando incipiat universalis Monarchia Antichristi, cujus initio abolebit juge sacrificium Missæ, ut nuper dicebam: & cùm Monarchia ea sit duratura tres annos cum dimidio, ut toties dixi, & scripturis tribus ostendi n. 99. Si prædicatio horum non est duratura, nisi diebus mille ducentis sexaginta, sequitur quòd à fine hujus prædicationis usque ad finem Monarchiæ Antichristi, seu usque ad mortem hujus erunt septemdecim circiter dies.

Matth. 24.
Apoc. 13.
Ib. c. 11.
Ibidem.
Ibidem.
Ibidem.

CXXIV. Continget 10. in his septemdecim diebus bellum, quod contra illos movebit Antichristus, ut nuper dicebat Joannes, quod non erit bellum, quo milites congrediantur cum militibus, sed quo apparitores, & lictores Antichristi quærant illos, explorent an capi se sinant, illos capiant, & in custodiam tradant. Continget item Martyrium ipsorum. Continget, quòd *corpora eorum per tres dies, & dimidium*, insepulta jacebunt Hierosolymis. Contingent vanæ illæ reciprocæ congratulationes, quoniam *hi duo Prophetæ cruciaverunt eos, qui habitabant super terram.* Continget ipsorum resurrectio post illos tres dies, & dimidium, ad vocémque illam cœlestem *ascendite huc* cœlum conscendent ad præsentiam suorum inimicorum, quorum aliqui forsan facient, quod fecerunt illi, qui videntes, quæ fiebant in morte Christi *percutientes pectora sua revertebantur.* Continget protinus Hierosolymis terremotus horrendus, quo decima pars Hierosolymæ ruet, & septem millia hominum sepelíet. Continget, quod nuper dicebam, nempè, quod *reliqui in timorem sunt missi, & dederunt gloriam Deo cœli*, fortè non transeunter, sed cum pænitentia vera, & quæ salutaris sit, quia fortè hi minùs peccarunt, quàm illa septem millia hominum, vel quia cùm proprium sit, inscrutabilium judiciorum Dei, & investigabilium viarum ejus, in causa æquali, unum assumere, & alterum derelinquere, & hoc sine acceptatione personarum, cùm non sit iniquitas apud Deum; hac de causa, ut secundùm electionem propositum Dei firmmum maneat non ex operibus, sed ex prædestinante Deo, reliquis concedet, ut misericors Pater, tempus, & auxilia efficacia ad pœnitentiam: negabit autem utrúmque illis septem millibus, ut severus Judex.

Ibidem.
Ibidem.

CXXV. Continget 11. quod ultimo illorum septemdecim dierum, nimirùm, Dan. 12. quando impleti sint tres anni cum dimidio, seu tempus, & tempora, & dimidium temporis, juxtà Danielem, seu quadraginta duo menses juxtà Joannem, cadat in Antichristum, & suum Vicarium, fulmen illud, quod in Balthasarum temulentum cecidit *mane: numeravit Deus regnum tuum, & complevit illud*, (quia jam exercuisti Tyrannidem per tres annos cum dimidio, seu per duos supra quadraginta menses, quod erat tempus tibi concessum: *Data est ei potestas* facere menses quadraginta duo(s) *Thecel: appensus es in statera, & inventus es minùs habens*, imò iniquitatum pondere prægravis, sicut etiam Balthasar ille iniquitatibus prægravis erat; sed contentus fuit Spiritus sanctus negativum duntaxat exprimere in sententia illa, quia negativum solum sententiæ illi sufficiebat. *Phares: Divisum est regnum tuum, & datum est Medis, & Persis*: hoc loquendo de Balthasare; sed quando loquebatur idem Propheta de Antichristo dixit, auferendam esse ipsi potentiam *regnum tuum, & potestas, & magnitudo regni*

Dan. 5.
Dan. 5.
Dan. 5.
Dan. 5.

quæ est supter omne cœlum detur populo Sanctorum Altissimi: Morientur itaque ultimò illorum septemdecim dierum Antichristus, & Vicarius suus, corporêque & anima descendent in infernum, quippe *vivi missi sunt hi duo in stagnum ignis ardentis sulphure.* Apoc. 19. Antichristi mors erit, qualem suprà insinuavi ex Paulo, & Isaia. De illo enim scribit Paulus: *Quem Dominus JEsus interficiet spiritu oris sui, & destruet illustratione adventûs sui in eum*: Sicut etiam sol illustratione sui adventûs hoc est Aurorâ, fugat obscænas nocturnas aves, & tunc etiam *mucro latronis conditur.* Isaias autem prædixerat de JEsu Christo *spiritu labiorum suorum interficiet impium*, quod nomen indefinitum accipi potest determinatè pro Antichristo, qui antonamasticè impius erit, maximè accedente authoritate illa Pauli. 2. ad Thess. 2. Isa. 11.

CXXVI. Neque magna est difficultas in eo, quòd ambo hi Textus intelligantur in sensu obvio, & quem verba præseferunt: si enim Moyses spiritu oris, seu labiorum suorum, interfecit rebellem eam turbam: *Confestim igitur, ut cessavit loqui, dirupta est terra sub pedibus eorum, & aperiens os suum devoravit illos cum tabernaculis suis, & universa substantia eorum, descenderúntque in infernum.* Si Elias spiritu oris sui interfecit illos duos quinquagenarios cum cohortibus suis. *Si homo Dei sum, descendat ignis de cœlo, & devoret te, & quinquaginta tuos:* Si hic idem Elias cum suo socio tempore prædicationis habebunt potestatem occidendi inimicos spiritu oris sui, *siquis voluerit eos nocere, ignis exiet de ore eorum, & devorabit inimicos eorum.* Si qui nuntiabant captivitatem Arcæ spiritu labiorum suorum, sive verbis suis, interfecerunt Heli. *Cecidit de sella retrorsum juxta ostium, & fractis cervicibus mortuus est.* Si Petrus verbis suis protinus evexit claudum à nativitate. *In nomine JEsu Christi Nazareni surge, & ambula,* & alio spiritu labiorum suorum duos conjuges subdolos necavit. *Audiens autem Ananias hæc verba, cecidit & expiravit*: Si ipse Dominus spiritu quoque oris sui alios impios retrorsum projecit: *Ut ergo dixit eis: Ego sum, abierunt retrorsum, & ceciderunt in terram,* & spiritu etiam labiorum suorum dedit potestatem dimittendi peccata. Num. 16. 4. Reg. 1. Apoc. 11. 1. Reg. 4. Actor. 3. Ibidem. 5. Joan. 18. *Insufflavit, & dixit eis: Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis &c.* Denique si apparens in aere prope Damascum Saulo inhianti sanguini Christianorum, spiritu oris sui prostravit Saulum, ut resurgeret Paulus. *Saule, Saule quid me persequeris.* Si inquam hæc ita sunt, mirum non erit, quòd apparens Dominus JEsus in aere, & primò corruscatione, atq; illustratione adventûs sui sternens Antichristum, sicut subitò cœlesti fulgore circumdatus Saulus cecidit in terram; deinde sensibilem vocem emittens juxta idioma infelici ei notum, ipsum interficiat, & ipsius socios: Et hoc videtur Joannes insinuasse, inquiens: *Cæteri occisi sunt in gladio sedentis super equum, qui procedit de ore ipsius*, quatenus videlicet tonante Domino, & jubente contingat ille terræmotus, qui decimam partem Hierosolymæ subvertet, ac septem millia hominum occidet; quòd si Dominus non appareat in aere, potest ex aliqua hostia consecrata (non enim obtinebit Antichristus, quòd nullus prorsus Sacerdos sacrificet adhuc in abscondito loco) emittere, & illustrationem, sive fulgorem prosternentem illum nequam, & vocem occidentem illum: non ergo est magna difficultas in eo, quòd utraq; illa verba Isaiæ, ac Pauli intelligantur in sensu litterali obvio, & quem verba ipsa sonant. Idem 20. Actor. 9. Apocal. 19.

CXXVII. Quæ autem contingent in diebus immediatè subsequentibus, neces horum duorum, possunt utcunque elici ex Daniele, Ezechiele, & Joanne: quamvis Daniel, ut notavi num. 122. loquatur de Antiocho capite octavo, & undecimo, & quater meminerit ibi de ablatione jugis sacrificii, emanatura ex illius improbi edicto; ast Cap. 7. & 12. loquitur de Antichristo, & cùm in duodecimo memoret quoque oblationem jugis sacrificij, *à tempore cùm ablatum fuerit juge sacrificium &c.* Videtur ablationem hanc emanaturam, non ab Antiocho multis retrò sæculis mortuo: sed ab Antichristo, & consequenter videtur loqui de ablatione jugis sacrificij Christianorum, hoc est de abrogatione Missæ: Inprimis enim Cap. illo duodecimo dicit: *Veniet tempus, quale non fuit ab eo, ex quo gentes esse cœperunt, usque ad tempus illud.*

Hæc verba aptari nequeunt commodè, nisi illis ultimis temporibus mundi, de quibus idem, & eisdem ferè verbis dicit Christus Dominus. *Erit enim tunc tribulatio magna, qualis non fuit ab initio mundi usque modò, neque fiet.* Planum videtur, Dominum loqui de eodem tempore, de quo Daniel, seu de quo Gabriel loquebatur Danieli in eo Cap. 12. sed Christus loquitur de ultimis temporibus mundi, quia ibidem addit: *Statim autem post tribulationem dierum illorum sol obscurabitur &c.* Ergo etiam Gabriel loquitur in eo Capite duodecimo de ultimis temporibus, & consequenter de Antichristo, & de ablatione Missæ, quippe non erit aliud juge sacrificium, quod auferatur: Deinde ibidem dicit Gabriel: *Multi de his, qui dormiunt in terræ pulvere, evigilabunt, alij in vitam æternam, & alij in opprobrium.* Neque hæc verba possunt commodè cadere, nisi in ultimum tempus, quia tunc solum erit hæc resurrectio, & diversitas sortium: neque remoretur, quòd Gabriel non dicit, *omnes, qui dormiunt in terræ pulvere*, sed *multi*, jam enim ostendi suprà, morem esse Scripturæ ponere *Multi*, pro *omnes*, v. g. *Qui pro vobis, & pro multis effundetur &c.* Præterea cum ibidem quæsisset Daniel ab Angelo: *Usquequo finis horum mirabilium*, audivit Angelum jurantem per Deum, *quia in tempus, & tempora, & dimidium temporis*, videtur, quòd verba hæc Capitis duodecimi significent idem determinatum tempus, quod significabant Capite septimo, nimirum tempus Monarchiæ Antichristi; Est itaque vero simillimum, in hoc Cap. 12. esse sermonem de ultimo quadriennio mundi, atque de ablatione jugis sacrificij edicenda per Antichristum, & suum Pseudoprophetam.

Matth. 24

CXXVIII. Dicit ergo Daniel ibi, quòd *à tempore, cùm ablatum fuerit juge sacrificium, & posita fuerit abominatio in desolationem.* (hoc est, imago Antichristi, ut insinuat Joannes, suffecta sit in locum Eucharistiæ) *dies mille ducenti nonaginta*; sed Antichristus initio suæ universalis Monarchiæ (vel paulò post, quia diabolus, quo agitabitur, non sinet ipsum longas inducias dare) auferet juge sacrificium, & substituet illam abominationem. Ergo dies illi numerandi sunt ab initio physico, vel morali Monarchiæ illius; sed initio eodem incipient prædicare Henoc, & Elias, ut est credibile, quia *nescit tarda molimina sancti Spiritus gratia*, præsertim in tempore adeo periculoso. Ergo dies illi numerandi sunt ab initio dictæ Monarchiæ Antichristi, & prædicationis horum Prophetarum. Sed *hi prophetabunt diebus mille ducentis sexaginta*: Ergo ex illis mille ducentis nonaginta jam habemus mille ducentos sexaginta communes Antichristo, & eis duobus Sanctis. Sed Antichristus regnaturus est diebus mille ducentis septuaginta septem, quandoquidem regnaturus est quadraginta duobus mensibus, seu tribus annis cum dimidio, ut toties dixi ex Scriptura: Ergo regnabit septemdecim diebus post mortem illorum duorum, & consequenter diebus septemdecim erit diuturnior Monarchia Antichristi, quàm prædicatio Henoc, & Eliæ: Ex illis ergo diebus mille ducentis nonaginta, quos dicit Daniel à tempore, quo ablatum fuerit juge sacrificium, habemus expendendos mille ducentos septuaginta septem, partim prædicatione illorum Sanctorum, partim Monarchia Antichristi; restant usque ad nonginta tredecim dies. Quid in his continget?

Apoc. 13. à v. 14.

CXXIX. Respondeo huic dubio, quo incepi numerum 127. Continget 12. atrox illud bellum Gog, & Magog, de quo fusè egi Capite 5. contra Ecclesiam illam ultimam, id est, contra illum supremum Ecclesiasticum Senatum cum suo Capitè, & contra illos Fideles, qui ut dicebam num. 123. sequentur fugitivam eam Ecclesiam. quæ aquilinis alis adjuta per Deum discesserat ab exsta jam, & combusta Roma in locum sibi paratum à Deo, ut explicui Capite 6. De Gog namque dicebat Ezechiel citatus suo loco venturum *in novissimo annorum*, item *in novissimis diebus.* Et hi tredecim dies videntur esse illud modicum tempus, quo solvendum esse diabolum ad ultimum hoc bellum inferendum Ecclesiæ, prædixit Joanni Angelus quidam, & videntur esse breviatio illa, de qua Dominus inter loquendum de ultimis temporibus; *nisi breviati fuissent dies illi*

illi, & significantur illo verbo Ezechielis de hac re loquentis, *quasi tempestas*, quæ non multum durare solet; Et quanquam, ut ibi dicebam soli tredecim dies sint valde modicum tempus ad tanta molimina belli, qualia Joannes ibidem, & Ezechiel Capitibus 38. & 39. referunt, si bellum illud parandum, & inferendum esset sola arte, viribus, & industria humana; at cùm parandum, & inferendum sit arte, viribúsque diaboli *Ibidem.* *qui congregabit eos in prælium*, & quidem solutus à catena: *solvetur Satanas de carcere suo, & exibit, & seducet gentes &c.* Impossibile non erit viribus, multitudiniq; diabolorum, suo duci subordinatorum, qui probè sciet, *quod modicum tempus ha-* *Ib. cap. 12.* *bet*, excitare, movere, trahereque ex quatuor partibus mundi examina illa populorum, quos dicunt Ezechiel, & Joannes. Etenim diaboli amiserunt utique gratiam cum tota sua supellectili, sed non naturâ. Quocirca quo ad naturalia multi eorum sunt æquales, multi superiores, respectu multorum sanctorum Angelorum. Jam quantæ, ac quales sint Angelicæ vires naturales, constat ex illo, qui paucis momentis tem- *Daniel. 14.* poris *in impetu spiritus* sui transtulit per aera Haabacuc ex Judæa Babylonem, *4. Reg. 19.* apprehensum *capillo capitis sui*. Constat *Thren. 4.* ex illo, qui nocte una *percussit in castris Assyriorum centum octoginta quinque millia.* Constat ex duobus illis, à quibus Sodoma est *subversa in momento*, ut dicit Jere- *Gen. 19.* mias, quatenus nimirum *Dominus pluit super Sodomam, & Gomorrham sulphur, & ignem à Domino de cælo, & subvertit civitates has, & omnem circa Regionem universos habitatores Urbium, & cuncta terræ viventia.* Constat ex impetu, & velocitate nobis ferè inapprehensibili, qua spatio paulò majore, quam 24. horarum, circumagunt immensum corpus solare, Saturnium ab ortu in occasum singulis diebus: Cùm ergo tanta sit Angelica vis, & diaboli viribus naturalibus non sint privati & in ultimo eo tempore futuri sint soluti à catena (hoc est, permissi à Deo nunc compescente illos) materia non est admirationis, quod modico illo tempore tredecim dierum, excitent horrendam illam procellam, quam dicunt ambo illi Prophetæ, cùm præter dictas vires, proprias Angelicæ naturæ, accedat innumerabilis multitudo infelicium eorum spirituum adjuvantium Ducem suum in ultimo certamine constitutum. Reliqua de hoc bello dedi Cap. 5. ubi distingue actuale bellum, & excitationem præparationémque illius. Hæc potest incipere multò ante; sed bellum formale durabit tantum diebus 13.

§. IV.

CXXX. Transactis his tredecim diebus tantæ tribulationis, & angoris in illa afflicta Ecclesia fugitiva forsan ad Palæstinam, ut suprà dicebam num. 96. (ut verificetur etiam secundùm litteram illud Propheticum de fidelibus exeuntibus ad spolia exercitus Gog colligenda. *Egredientur habitatores de Civitatibus* *Ezech. 39.* *Israel, & succendent, & comburent arma &c.* Et consequenter transactis illis mille ducentis nonaginta diebus ab initio Mo- *Daniel. 12.* narchiæ Antichristi, seu ab ablatione jugis sacrificij, quos dicit Daniel: restant quadraginta quinque circiter dies usque ad adventum Christi, atque ad suum manifestum regnum, quia tunc ab omnibus omninò, sive volentibus, sive nolentibus, agnoscetur, quia videbunt eum constitutum esse à Deo Judicem vivorum, atque mortuorum; Etenim post dictum illum dierum numerum subjungit Daniel: *Beatus, qui expectat, & pervenit usque ad dies mille trecentos triginta quinque.* Et Joannes post narratam cladem atque damnationem Gog, immediatè subjungit: *Et vidi thronum magnum* *Apoc. 20.* *candidum* (ad significandum sinceritatem Judicij tunc peragendi, & sententiæ dandæ) *& sedentem super eum, à cujus conspectu fugit terra, & cœlum, & locus non est inventus eis.* nempe quia ad præsentiam tantæ majestatis non comparebant) *& vidi mortuos magnos, & pusillos stantes in conspectu throni, & libri aperti sunt, & alius liber apertus est, qui est vitæ, & judicati sunt mortui ex his, quæ scripta sunt in libris secundùm opera ipsorum.* Hæc omnia manifesta sunt indicia adventûs, & regni Christi, nec non resurrectionis, ac judicij universalis: ergo scribens hæc Joannes immediatè post supplicium Gog, & cum eo quasi connectens illa, videtur prædicere

dicere, quòd ea contingent, non multò post illud supplicium; sed hoc sumetur de Gog die millesimo ducentesimo nonagesimo ab initio Monarchiæ universalis Antichristi, hoc est, ab ablatione jugi sacrificij; juxta calculum nuper datum. Ergo non multùm post eum nonagesimum diem erit adventus, & manifestum regnum Christi, id est, manifestatio suæ Judiciariæ universalis potestatis. Id *non multum* videtur esse illi quadraginta quinq; circiter dies (propter solitam difficultatem, nempe *inclusivè*, aut *exclusivè*) qui erunt à 1290. usq; ad 1335. qui quadraginta quinque dies, quanquam in se non sint modicum tempus; at respectu tot sæculorum, quibus mundus duravit, & quibus Christus Dominus distulit suum adventum, cum patente potestate judiciaria, & Regia, non *multum*, sed *modicum* sunt. Transactis illis 1290. diebus addit Daniel. *Beatus, qui expectat, & pervenit usq; ad dies mille trecentos triginta quinque*: Nam qui ex ultimis illis hominibus lapsi fuerint tempore Antichristi, vel Gogi, & ex divina clementia conservati fuerint, ut resipiant, & dies illos quadraginta quinque intermedios expenderint, non quidem luxu, & morum relaxatione, ut suprà dicebam num. 74. sed expectatione, atque spe jamjam venturi Christi Regis, & Judicis: hi inquam, pervenient ad diem 1335. hoc est, ad diem Judicij, non ut rei damnandi, sed ut fortes Athletæ rémunerandi: Sensus itaque illorum verborum Danjelis videtur esse. Ab initio tyrannidis Antichristi dies 1290. nempe usque ad mortem, & damnationem Gog, qui cum venturus sit *in novissimo annorum*, & *in novissimis diebus* juxta Ezechielem, erit ultimus persecutor Ecclesiæ, quæ post illius interitum 45. dies fruetur pace tranquilla. Rursus ab eodem initio dies 1335. nimirum usque ad judicium universale. *Vidi thronum magnum &c.* & consequenter usque ad adventum, & regnum Christi; & beatus erit, qui dies intermedios expectatione, non autem luxu, & curis vitæ hujus expenderit: quæ contingent in illis intermediis 45. diebus pacis, exposui fusè num. 73. & seqq. Recognosce illa, quia hic est ius etiam locus. Versus illorum finem evenier, quod Dominus prædicit. *Sol obscurabitur*, quia vel Deus compescet suam virtutem illuminativam, sicut compescuit Babylone virtutem combustivam, vel quia commota immensa viscera illius mittent fumos, & fuligines multò plures, & majores, quam modo: unde Joanni visus fuit *niger tanquam saccus cilicinus*. Item: *Luna non dabit lumen suum*, quia cùm totum sit reflexum, deficiente lumine directo cessabit reflexum.

CXXXI. Fatalis itaque hujus mundi dies videtur esse illa trigesima quinta post millesimam trecentesimam à jugi sacrificio abrogato, id est ab impio edicto Antichristi contra sacrificium Missæ, quamvis, ut jam adverto, non deerunt probi Sacerdotes, qui clam, & in locis abditis, sive in cryptis, ut olim tempore Paganorum, offerant quotidie Deo sacrum sacrificium Missæ, saltem illi, quibus componetur supremus Ecclesiasticus Senatus, qui fugit ad locum desertum, sibi paratum à Deo, ut dicebam Capite 6. Cùm autem dies incipiat immediatè post mediam noctem, quando videlicet sol incipit appropinquare nostro orizonti, videtur, quòd vox illa Archangeli, & tuba Dei vocans mortuos ad vitam & judicium, de qua Paulus, & consequenter resurrectio universalis, adventusque Christi Domini ad judicandum vivos, & mortuos, incipient media circiter nocte. Paulus enim dicit ibi. *Dies Domini, sicut fur in nocte, ita veniet.* Et Christus Dominus connectens per illud *tunc* quo incipit Caput 25. parabolam decem Virginum cum doctrina de suo adventu ad judicium universale, dicit in ea parabola. *Media autem nocte clamor factus est. Ecce sponsus venit*, & de eadem re loquens apud Lucam ait; *Si venerit in secunda vigilia, & si in tertia vigilia venerit, & ita invenerit, beati &c.* Vigiliæ autem sunt partes nocturni temporis: & apud Marcum. *Nescitis enim, quando Dominus domûs veniat, serò, an media nocte, an galli cantu, an mane.* Omnes hæ sunt partes noctis, aut ipsis contiguæ; Unde quamvis non sciamus, attamen conijcere possumus adventum Christi Domini futurum tempore simpliciter, aut fere nocturno, ex eo, quod

quod semper ac docemur, adventum illum, docemur cum Commemoratione temporis nocturni, & nulla est difficultas in eo, quòd dicti Textus intelligantur ut sonant. Vide Disp. 4. n. 1. & seqq. Accedit Allegoria, quoniam primus Christi adventus, hoc est, nativitas fuit ad mediam noctem, & resurrectio fuit non multùm à media nocte Sabbati. Unde per Allegoriam dicit Scriptura, loquens de strage Primogenitorum Ægypti: *Cùm enim quietum silentium contineret omnia, & nox in suo cursu medium iter haberet omnipotens sermo tuus de cœlo à Regalibus sedibus durus debellator in mediam exterminij terram prosiluit*; non est ergo improbabile, sed potiùs his Scripturis consonum, quòd tempore nocturno veniat Christus Dominus ad judicandum: sed non tempore nocturno ante mediam noctem diei 34. quia tunc nondum incœpit dies naturalis 35. ergo tempore nocturno post illam mediam noctem, quia illud jam est pars diei 35. Et hæc videtur mysteriosa illa dies, de qua ait Zacharias, loquens de adventu Domini ad judicium. *In die illa non erit lux*, (quia nondum erit obortus sol) *sed frigus, & gelu*, quæ duo post mediam noctem intendi solent, *dies una, quæ nota est Domino*, quia hic solus illam scit, *non dies neque nox*, quia sol præsens non lucebit, ut nuper dicebam; *Et in tempore vesperi erit lux* quia tunc finietur judicium universale, de quo fine infrà. Demum cum Daniel ita accuratè notans diem illam 35. non loqueretur apud nostros Antipodes, sed in Chaldæa, quæ est Regio sub nostro Hæmispherio, videtur locutus de die respectu Hemisphærij nostri, erit igitur media nox, aut circiter in his nostris Regionibus, & in Antæcis, meridies verò in Antipodis, & in Periæcis nostris, quando Dominus ad judicandum venerit; meridies inquam, & media nox non cum allusione ad lucem, quia tunc nullam dabit, utpote illâ orbus, ut nuper dicebam, & nondum renovatus sol; sed cum allusione ad locum, quem habebit in cœlo.

Sapien. 18.

Zach. 14.

CXXXII. In fatali ea media nocte, vel paulò ante illam diei 34., & initio 35. mortui jam erunt omnes prorsus homines sublunares, cadentibus de cœlo, & erumpentibus de terra fluvijs igneis, de quibus egi Disp. 1. num 52. quia licet graves aliqui, & antiquissimi Patres negaverint, vel saltem dubitaverint, morituros esse omnes homines sanctos, qui in ultima periodo mundi victuri sunt (quam rem fusè disputavi Decade 1. num. 25. occasione Apostolicæ illius sententiæ: *Statutum est hominibus semel mori.*) Communis tamen omnium Theologorum sententia fert, omnes omnino illos morituros, & non conservandum seminarium hominum, sicut fuit conservatum tempore diluvij: nempe quia post hoc futuræ erant humanæ generationes impleturæ iterum globum terraqueum, secus post judicium universale, & cùm Justi illi dicere debeant humilitate verace: *Dimitte nobis debita nostra*, mors illa violenta erit Purgatorium illorum, & verba Angeli apud Danielem: *Beatus, qui expectat, & pervenit usque ad dies* 1335. non cogunt negare mortem alicujus ex illis, sed dicitur beatus, qui expectat, & pervenit usque ad illum diem, quia cum mors illorum omnium ultimorum hominum brevissimo tempore sit duratura, quia paulò post omnium mortem futura est omnium resurrectio, ideò mors illa non reputatur, & censetur, quasi non esset juxta Regulam secundam, multis Scripturis firmatam, quam dedi Decade 2. Quocirca beatus erit, qui in hoc sensu pervenit ad illam 35. diem expectans adventum Domini, & consequenter non coinquinans animam suam relaxationibus, quas insinuavi num. 74. & seqq. In illa media nocte combustus jam erit totus hic mundus inferior per diluvium ignis, sicut olim fuit inundatus per diluvium aquæ, & sicut nefandæ illæ quatuor Civitates, (quintæ pepercit Deus propter preces Loth) pluviâ igneâ fuerunt etiam in momento exustæ cum vicina Regione: quod autem mundus hic perituru sit igne, fortè quia maculæ ipsius plures, pejores, & tenaciores sunt, quam maculæ illius prioris, qui aquâ perijt, item quòd ignis ille partim erupturus sit ex viiceribus terræ, igne refertis, ut constat ex frequentia balneorum, & montium ignivomorum, partim autem irruturus sit ex igneis syderibus, sicut aquæ

Ad Hebr. 9.

Genes. 19. v. 21.

Genes. 19.

diluvij partim emerserunt ex viscéribus terræ, partim præcipitârunt è cœlo aqueo. Hæc inquam explicui Disp. 1. à num. 52. Quod autem ignis ille non sit omninò redacturus in favillam mundum, aut astra, aut æthereas Regiones, ostendi in Philosophia naturali Disp. 3.

CXXXIII. Jam vides omnia hæc de fatali illa nocte diei trigesimi quarti, & de fatali eo die 35. esse meras conjecturas cum uno, vel altero probabilitatis gradu. Non enim constat certò, Danielem dixisse diem illum 15. fore diem adventûs Christi Domini, & quamvis id constaret, cùm nesciamus, quando futurus sit ille dies 35. quia id pendet à significato illorum verborum, *à tempore, cùm ablatum fuerit juge sacrificium*, quæ scribit non alibi, sed determinatè in eodem Capite 12. idcircò in sensu composito omnium, quæ dixi, stat infallibile illud:

Matth. 13. *De die autem illo, vel hora nemo scit &c.*

Quod attinet ad Chronologiam, & numerum annorum, qui restant usque ad finem mundi, est res non solùm incerta, sed insuper est minus conjecturabilis. Fuit antiqua persuasio, mundum hunc conservandum à Deo sex millibus annorum, sicut conditus fuit sex diebus, siquidem ante Deum mille anni sunt, sicut dies hesterna, quæ præterijt, & initio septimi millenarij cessaturum Deum ab ejusdem conservatione, sicut die septima cessavit à creatione. Hæc opinio, quam suprà insinuavi obiter, præscindendo à sua veritate, falsa videtur: Primò, quia juxta calculum, quem sequitur Martyrologium Romanum, Christus Dominus natus est anno 5199. à creatione mundi, sed modò jam habemus annos 1718. à nativitate Christi. Ergo jam transierunt ultra sex millia annorum à creatione mundi. Et tamen hic durat adhuc, currente septimo millenario multo abhinc tempore. 2. Quia vel mundus accipitur pro creaturis rationalibus, quas initio condidit (& neque in septimo millenario, neque unquam in tota æternitate cessabit ab earum conservatione, quoniam Angeli, & homines boni æternum præmium suscipient, sicut etiam Angeli, & homines mali suscipient æternum supplicium) vel accipitur pro mundana materiali fabrica terræ, astrorum, & Empyrei; & neque ab horum conservatione cessabit; quippe illud cœlum novum, & terra nova, de quibus loquuntur Petrus, & Joannes, sunt hæc eadem terra, & hi ijdem cœli renovati, purgatique in fine mundi, ut suo loco dixi; & est usitatum in scriptura dicere, tunc rem fieri, sive ædificari, quando specialem aquirit in suo genere ornatum, & splendorem, aut confirmationem, aut aliam perfectionem, ut multis exemplis ostendi Decade 4. n. 36. & seqq. v. g. *In veritate comperi, quia non est personarum acceptor Deus*, ajebat Petrus in Casu Cornelij, cùm multò ante id sciviſſet, sed tunc specialem habuit confirmationem illius, quod jam sciebat. Item: *Crediderunt in eum Discipuli ejus*, nempe post casum conversionis aquæ in vinum, cùm jam ante credidissent, quando relictis omnibus, secuti sunt eum, sed tunc accepit speciale robur sua fides. Similiter; *Nonne hæc est Babylon magna? Dan. quam ego ædificavi*, cùm multò ante ipsum ædificata fuisset illa Civitas à Nemrot, aut à Semirami &c. Sed à Nabuchodonosore acceperat specialissimum ornatum ac splendorem. Creabit igitur Deus cœlos novos, & terram novam, quatenus hæc eadem multò magis perficiet, ornabit, illustrabit, ita ut juxta promissionem Isaiæ: *Erit lux lunæ, sicut lux solis, & lux solis erit septemplicata, sicut lux septem dierum*: quando? *in die, qua alligaverit Dominus vulnus populi sui, & percussuram plagæ ejus sanaverit.* Nempe quãdo sanctis animabus reunitis corporibus, *absterget Deus omnem lachrymam ab oculis eorum, & mors ultra non erit, neque luctus, neque clamor, neque dolor erit ultra.* Hæc sunt, quæ addit Joannes, quando scribit illud de cœlo novo, & de terra nova: non ergo est verum illud de cessatione à mundo conservando, incipiente septimo miienario, sicut cessatum est ab illo producendo, incipiente die Sabbati, sive die septimo.

CXXXIV. Censent alij, Evangelicam legem duraturam duobus millibus annorum: Et cùm modò habeamus 1716. à nativitate Christi, à Pentecoste autem, quando lex Evangelica cæpit prædicari publicè à Petro, habeamus 1681. circiter; ab initio verò prædicationis Christi ipsius

ipsius habeamus 1678. plùs, minúsve, facilè erit inferre conjecturaliter, quot restent anni ex hoc præsente usque ad finem mundi, juxta hanc trinam diversitatem, ex qua potest initium sumi legis Evangelicæ: Item, quod restent anni usque ad initium absolutæ Monarchiæ Antichristi, qui effræne suum Imperium incipiet tribus annis, sex mensibus; & quinquaginta septem diebus ante finem mundi, juxtà paulò ante dicta ex capite 12. Danielis: *Ab eo tempore, quo ablatum fuerit juge sacrificium &c.* En Systema ultimi quadriennii, quod probabiliter dumtaxat ratiocinando, & interdum divinando, formari potest ex eis, quæ Authores Canonici, & præsertim Ezechiel, Daniel, & Joannes docuerunt nos circa illud. Fideles, qui tunc vivant (& pro quibus præcipuè illà dictavit Spiritus sanctus, ut combinantes, quæ tunc videbunt cum scriptura, videntésque illa tot retrò sæculis fuisse prædicta, hac prædictione roborẽtur contrà minas, terrores, fallaciásque tunc grassatures) Liquidum, & germanum sensum assequentur earum scripturarum nobis tunc non victuris, sufficiebat notitia valdè obscura, quam nobis suggerunt scripturæ illæ.

CAPUT VIII.

Tres ultimæ reflexiones.

CXXXV. PRima super illos decem Principibus, Prodromos Antichristi, fugaturos Senatum Ecclesiasticum cum suo Capite, & eversuros Romam. Hi ubique in scriptura dicuntur decem, atque futuri *ex* & *in* Romano Imperio, id est, *ex* & *in* Regionibus, quibus constabat antiquum Imperium illud, ut insinuavi suprà n. 109. & modo confirmo: nam quarta infirma pars statuæ, quam vidit Nabuchodonosor, significabat Imperium Romanum, *Regnum quartum erit velut ferrum, quomodo ferrum comminuit, & domat omnia, sic comminuet, & conteret omnia hæc,* quæ intelliguntur, ut manifesta signa prisci Romani Imperii; Et in ea quarta infima parte videbantur digiti pedum, (qui digiti decem erant, quia decem esse solent) partim fictiles, partim ferrei, qui tamen ex ferro illo oriebantur, & consequenter ex Imperio Romano. Undè addidit Daniel: Regnum divisum erit, *quod tamen de plantario ferri orietur, secundùm quod vidisti ferrum mixtum testæ.* Rursus quarta bestia, quam vidit ipse Daniel, *terribilis, atque mirabilis, & fortis nimis,* præfigurabat juxta communem sensum idem Romanum Imperium: Et in ea quoque erant *cornua decem,* de quibus dictum fuit Prophetæ: *Cornua decem ipsius regni decem Reges erunt.* Utrobique itaque significabantur futuri decem Principes in regionibus, quibus componebatur Imperium Romanum; cùm hoc tamen discrimine, quod Daniel vidit illos in capite, Nabuchodonosor autem in infima parte statuæ; nempe Propheta vidit illos, ut *Reges,* hic verò ut *Ultimos.* Unde hic vidit illos in ultima parte statuæ, scilicet in pedibus, ille autem in prima, nempe in capite. Vel quia Prophetæ utpotè civi privato propositi sunt, ut digni cultu civili, nempe in capite, Nabuchodonosori utpote Regi superbo propositi fuerunt illi, qui etiam erant Reges, in pedibus, ut discerret exemplo alieno. Fateor bestiam etiam, quæ juxtà Joannem præfigurabat Antichristum, apparuisse cum decem cornibus, nec non bestiam, quæ significabat diabolum gestantem Romam antiquam, sed hoc non impedit, quod etiam utraque hæc cornua significent illos ultimos decem Principes, quia ut jam adverti capite 4. Bestia præfigurans Antichristum armabatur decem cornibus, quia Antichristus occupabit dominia, & regiones illorum decem, & solenne est regibus armari potentia, & robore regnorum, quæ acquirunt. Bestia verò, quæ significabat diabolum, habebat quoque decem cornua, quia infælices illi decem Principes *virtutem & potestatem suam bestiæ tradent,* & antiquum etiam est triumphanti ornari spoliis triumphatorum.

Daniel. 2.

Idem. c. 7.

Ib. c. 17.

Ibidem.

CXXXVI. Hi decem Principes connubia inter se miscebunt, & filiæ, aut sorores unorum nubent aliis; sed propter rationes politicas statûs, quæ nunquam desunt, (& maximè propter diversas indoles, quas habebunt) non benè

nè cohærebunt inter se. Unde pronum erit Antichristo evasuro de medio illorum omnes illos subjugare. Constat ex doctrina Danielis exponentis Mysteria statuæ, quoniam loquens de digitis pedum ait; *Commiscebantur quidem humano semine, sed non adhærebunt ibi, sicut ferrum misceri non potest testæ.* Unde Antichristus visus est tunc ruens, & præceps tanquam *abscissus lapis de monte sine manibus, & percussit statuam in pedibus ejus ferreis, & fictilibus, & comminuit eos,* quia dispares illos decem Principes, in quos tanquam in digitos pedum desinet Imperium Romanum, subjugabit, tres quidem vi, & bello, quia tres reges humiliabit, reliquos septem authoritate ac terrore. *Lapis autem, qui percusserat statuam factus est mons magnus, & implevit universam terram.* Quia de Antichristo scribit Joannes: *Data est illi potestas in omnem tribum, & populum, & linguam, & gentem.* Neque remoretur, quòd lapis ille abscissus sine manibus sit typus Christi Domini: quoniam ut multis exemplis ostendi Decade 4. n. 86. Res sanctissima solet esse typus rei pessimæ: Et res pessima, qualis est Antichristus, typus & figura rei sanctissimæ. (Esse namque figuram in una, vel in altera re singulari, non est esse figuram in omnibus) quod licet aliquando vehementer aversatus fuerit S. Hieronymus, postea tamen amplexus est. Agens namque de duabus meretricibus, quarum litem diremit Salomon, ait: *Juxtà Typicum intellectum duæ meretrices sunt Ecclesia, & Synagoga, quod autem adulteræ, & meretrices Synagoga, & Ecclesia dicantur in scripturis, nulla dubitatio est; Et hoc prima fronte videtur esse blasphemum. Ceterum &c.* Sequitur S. Eucherius scribens Loth cubantem cum duabus suis filiabus, typum fuisse Christi, & duas illas inverecundas typum fuisse duorum testamentorum. Sequitur S. Gregorius dicens: *Cujus autem David in solario deambulans typum tenet, nisi ejus, de quo scriptum est. In sole posuit tabernaculum suum. Et quid est Bersabeæ ad se perducere, nisi legem litteræ carnali populo conjunctam, spirituali sibi intellectu sociare.* Ejusdem sententiæ est Theodoricus inquiens: *Aliquando res, quæ mala videntur, ob aliquam significationem typum gerit rei bonæ, ut sicut exaltavit Moyses &c.* Denique magnus D. Augustinus docet idem, qui censens incestuosum concubitum Thamar cum suo socero fuisse figuram Mysterii, addit: *Nequaquam offendat, quod quibusdam malis operibus hominum in scripturis sanctis, quædam non mala, sed bona futura significantur.* Quamvis ergò lapis ille typus sit Christi Domini, ut communiter, & meritò censetur: Potest nihilominùs significare in sensu litterali Antichristum, qui ultimos Principes Imperii Romani, id est, digitos pedum illius statuæ, comminuet.

Daniel. l. 17.

Ib. d. c. 2.

Apoc. 17.

S. Hieron. in 45. Isa. & in 10. Osee.

Idem epist. ad Rufin.

Eucher. l. 2. in Gen. cap. 30.

Lib. 3. Mor. c. 21.

Dialog. de Impartib.

CXXXVIII. Sed quemadmodum Herodes, & Pilatus quondam inimici Christum tamen persequentes *facti sunt amici in ipsa die,* unde posteà clamabat Ecclesia ad Deum: *Convenerunt enim verè in civitate ista adversùs sanctum Puerum tuum Jesum, quem unxisti Herodes, & Pontius Pilatus.* Ità decem illi Principes tametsi non adhærebunt sibi, etiam post reciproca connubia; in uno tamen convenient, nempe in odio, & fœdere contra urbem Romam. De illis enim dixit Joanni Angelus quidam; *Hi unum consilium habebunt,* (ecce fœdus) *& virtutem,* & postea: *Hi odient fornicariam.* Vide, quæ dixi n. 54. Cùm enim hæc decem Regum conspiratio, & fœdus contra Romam, de quo fœdere, & consilio perspicuis verbis loquitur Joannes, nunquam hactenus contigerit, quippe una, vel altera calamitas, quam Roma passa est à Gothis, & aliis, non fuit consilium, decem simul Principum, Antichristo præeuntium, quando *desolatam facient illam, & nudam, & carnes ejus manducabunt, & ipsam igne concremabunt.* Quæ rerum complexio nunquam hucusque venit supra Romam: nec mirùm, nam cum illi pugnaturi sint cum agno internecinum odium habebunt cum Vicario agni, & cum aula ejus.

Luc. 23.

Ibid.

Apoc. 17.

CXXXVIII. Reflexio secunda est supra causas destructionis urbis Romæ paulò ante finem mundi hujus. Verè enim sicut olim dixit ille: *Tantæ molis erat Romanam condere gentem*: ita quoque olim alius dicet: *Tantæ molis erat Romanam vertere gentem*: Antiquæ scelera antiquæ gentis Romanæ fortiùs erunt causa pœnarum, quas licet sero, dabit

dabit tamen Roma, nam ut dicebat quidam ex ea gente. *Videt hæc, videt ille Deum, Regnator, & auſis, ſera quidem: manet ira tamen.* Frequentia occurrunt in ſacris Libris exempla Juſtitiæ Divinæ in poſteros propter enormia ſcelera Majorum, atque jam ſupra inſinuavi ea. Non pauci tranſierant anni à ſævitia Saulis contra Gabaonitas; & tamen propter illam afflixit Deus fame totum populum
2. Reg. 21. per tres annos, fecitque, ut duo illius filij, ac quinque nepotes crucifigerentur. Conſulenti enim Davidi ſuper fame, reſpondit. *Propter Saul, & domum ejus ſanguinum, quia occidit Gabaonitas*, qui acceptos illos ſeptem deſcendentes ex Saule, *crucifixerunt eos in monte coram Domino.* Multi quoque anni tranſierant à bello Amalecitarum contra Iſraelitas aſcendentes ex Ægypto uſque ad tempus Saulis, & tamen huic præcepit Deus per Samuelem: *Recenſui, quæcunque fecit Amalec Iſraeli, quomodo reſtitit ei in via, cùm aſcenderet de Egypto.* (En antiquum
1. Reg. 15 crimen ſimile ei, quo populus Romanus reſtitit quondam populo Chriſtiano, quando ex idolis aſcendebat ad Chriſtum) *Nunc ergo vade, & percute Amalec, & demolire univerſa ejus, non parcas ei, & non concupiſcas ex rebus ipſius aliquid; ſed interfice à viro uſque ad mulierem, & parvulum, atque lactentem, bovem, & ovem, camelum, & aſinum.* (Unde ſicut reprobo Saule uſus eſt Deus tanquam carnifice ad puniendum antiquiſſimum peccatum Amalecitarum adverſantium illi Eccleſiæ Dei aſcendenti ex Ægypto: ita forſan utetur peſſimis dictis decem Principibus tanquam lictoribus ad puniendum antiqua ſcelera, quibus Romani antiqui naſcentem Eccleſiam ſuffocare conabantur:
Apocal. 20. Et ſicut Saul impulſus fuit Divino præcepto, ita decem illi ex ſpecialiſſima Dei permiſſione operabuntur. *Deus enim dedit in corda eorum, ut faciant, quod placitum eſt illi*, ſcribit Joannes de illis in hac materia: & ſicut Saul plebe trucidatâ, *pepercit optimis gregibus ovium, & armentorum, & veſtibus, & arietibus, & univerſis, quæ pulchra erant, nec voluerunt diſperdere ea.* Ita illi, quæ pretioſa erunt, Romæ rapient ſibi; *nam carnes ejus manducabunt*, ut dicit Joannes: quæ autem vilia erunt, comburent, quia *ipſam igne concremabunt.*

CXXXIX. Similiter cùm Joſias tutatus fuerit Religionem ardentiſſimo zelo, & præclara illa fecerit, quæ narrat 4. Reg. 23. Scriptura, ſubjungit hæc: *Verumtamen non eſt averſus Dominus ab ira furoris ſui magni, quo iratus eſt furor ejus contra Judam propter irritationes, quibus provocaverat eum* 2. Paral 33 *Manaſſes*, qui avus erat hujus Joſiæ, & *egerat pœnitentiam valde coram Deo Patrum* 4. Reg. 24. *ſuorum*: Et tandem fulmen vibravit Deus tempore Joakim pronepotis Manaſſis. *In diebus ejus aſcendit Nabuchodonoſor &c.* Et protinus: *Factum eſt autem hoc per verbum Domini contra Judam, ut auferret eum coram ſe propter peccata Manaſſe univerſa, quæ fecit, & propter ſanguinem innoxium, quem effudit, & implevit Jeruſalem cruore innocentium: Et ob hanc rem noluit Dominus propitiari*: Cùm ergo Imperium Romanum tôt fluvios ſanguinis innoxij & ſancti effuderit, & Roma cruore innocentium Martyrum impleta fuerit, mirum, aut novum non erit, ſi nolens Deus propitiari, eam tradat illis decem Principibus (ſicut Hieruſalem tradidit Chaldæis) *qui deſolatam eam facient, & nudam, & carnes ejus manducabunt.* Non enim fallit memoria eum, qui dixit: *Nonnè hæc* Deuter. 32 *condita ſunt apud me, & ſignata in theſauris meis? Mea eſt ultio, & ego retribuam in tempore, ut labatur pes eorum. Juxta eſt dies perditionis, & adeſſe feſtinant tempora.* Et ſicut innocens ſanguis Jeroſolymitanorum, quo redundabat illa Urbs tempore Manaſſes, non cohibuit, ſed acuit gladium Divinum contra Urbem illam, quia *vox ſanguinis fratris tui clamat ad me de* Gen. 4. *terra.* Ita innocens ſanguis Martyrum, quo Roma, & ex hujus legibus, Europa, Aſia, & pars Africæ redundârunt, fortè non compeſcet; ſed potiùs exacuet glagium Divinum contra Romam. Vidit Apocal. 6. enim Joannes *ſubtus Altare animas interfectorum propter Verbum Dei, & propter teſtimonium, quod habebant. Et clamabant voce magna dicentes: Uſquequo Domine ſanctus & verus non judicas, & non vindicas ſanguinem noſtrum de his, qui habitant in terra?* Oraculum autem, quod audierunt fuit; ut requieſcerent, *donec compleantur conſervi eorum, & fratres eorum, qui interficiendi ſunt, ſicut & illi*: Cumq; horum numerus non ſit compleri incæpturus, niſi ver-

versus finem mundi, videtur, quòd plena, & condigna vindicta non sit sumenda de populo occisore illorum Martyrum, nisi versus mundi finem, quæ vindicta sit privatim sumpta de populo privatim peccatore in ea carnificina Martyrum, & non universalis illa, quâ periibit genus totum humanum: & demum, sicut eximia sanctitas Josiæ, Jeremiæ, Davidis, & aliorum non liberavit Jerosolymam à gladio, & igne Chaldeorum, ita forsitan eximia sanctitas multorum Romanorum non liberabit suos Cives ultimos ab igne, & ferro illorum de-
Ezech. 14. cem Principum. Scriptum enim est de peccatrice Regione, in qua „[Noe, & „Daniel, & Job fuerint in medio ejus: „Vivo Ego, dicit Dominus Deus, quia „filium, & filiam non liberabunt, sed „ipsi justitiâ suâ liberabunt animas suas.] Denique adhuc luit genus humanum peccatum multis abhinc sæculis commissum à primis Parentibus.

CXL. Ratio autem, propter quam post multa sæcula solet punire Deus peccata familiæ, Urbis, Regionis, aut Imperij in individuis posterioribus illius, potest esse primò, ut hominum licentia hoc etiam fræno constringatur: Nempe sciant homines, poscendas esse criminum suorum pœnas per Divinam justitiam, non solùm ab ipsis, verum etiam à suis charis pignoribus, & posteris: 2. Ut animæ illorum, si beatæ non sint, hoc novo verbere torqueantur in altera vita; notitiâ scilicet supernè acceptâ de eo, quod propter flagitia, quæ in hac vita patrârunt, dirè puniuntur super terram sui nepotes, & quod sua familia, Civitas, Regnum, aut Monarchia ferro, & flammis deletur; sin beatæ sint, eò quia pœnitentes fuerunt separatæ à corporibus, novo eo titulo adorent Divi-
Matth. 23. nam justitiam. 3. Quia posteri ipsi peccatis suis implere solent mensuram Patrum suorum juxta amaram illam ironiam Christi Domini: *Implete mensuram Patrum vestrorum:* Solent enim perficere numerum illum peccatorum, quem tolerare decrevit Deus unicuique familiæ, Urbi, Regioni, populo, ac Mo-
Amos 1. & 2. narchiæ, juxta illud, quod de octo Nationibus dicit, & repetit Amos: *Super tribus sceleribus, super quatuor non convertam*

Vide tamen, quæ his super verbis scripsi Decade 4. num. 102. Neque refert, quod peccata posterûm sint minora, aut pauciora: quoniam una gutta maris illapsa navi post multas alias, est, quæ tandem navim submergit: Et peccatum Herodis, quando vanis illis acclamationibus oblectatus fuit: *Dei voces, & non hominis*, non fuit majus, quàm homici- Act. 12.
dium executum contra Jacobum, & intentatum contra Petrum. *Occidit Jacobum fratrem Joannis gladio: Apposuit, ut apprehenderet & Petrum*; Non enim se credidit Deum, sed honorem debitum Deo non dedit; Et tamen dissimulatis Act. 12.
quoad hanc vitam prioribus alijs peccatis, tunc *confestim percussit eum Angelus* Ib. 23.
Domini, eò quòd non dedisset honorem Deo; Jam ratio quasi à priori puniendi in hac vita posteros propter peccata Majorum est, quam Isaias dedit inquiens: *Domi-* Isa. 14.
nus enim exercituum decrevit, & quis poterit infirmare, ipse Dominus ait: *Ego sum Dominus Deus tuus fortis, Zelotes visitans iniquitatem Patrum in filios in tertiam, & quartam generationem, eorum, qui oderunt me*, ut iniquitatem Ruben, qui ascendit cubile Patris sui, & maculavit stratum ejus, visitavit in totam suam sobolem, quæ Gen. 49.
hac de causa privata fuit dignitate Primogenituræ. *Non crescas*: & visitavit peccatum Heli, nimis indulgentis duo- 1. Reg. 2.
bus filijs suis. *Ut non sit senex in domo tua, & videbis* (hoc est posteri tui videbunt) Thren. 1.
æmulum tuum in templo in universis prosperis Israel &c. Firmum itaque est illud Jeremiæ: *Patres nostri peccaverunt, & non sunt, & nos iniquitates eorum portavimus*: neque Antiquos latuit puniri interdum aliquos propter aliorum peccata; notum quippe est Horatianum illud: *Quid quid delirant Reges, plectuntur Achivi.*, & rancidum satis est Proverbium. *Canis peccatum suis dependit.*

CXLI. Objicies duos gravissimos Prophetas, per quos Deus, aut negat peccata majorum redundare in caput posterorum, aut promittit hoc deinceps non futurum. Primus est Jeremias, qui loquens de tempore Evangelico: *Ecce dies venient*, dicit Dominus, & Jer. 31.
feriam domui Israel, domui Jacob fœdus novum &c. Dicit, „in diebus illis, non dicent „ultra Patres comederunt uvam acer-

bam

,,bam, & dentes filiorum obstupuerunt.

Ezech. 18. Secundus est Ezechiel inquiens: *Quid est, quod inter vos parabolam vertitis in proverbium istud in terra Israel dicentes: Patres comederunt uvam acerbam, & dentes filiorum obstupescunt.* Ergò scripturæ, quas nuper protuli, aut non significant generationes posteriores puniendas fore propter priorum crimina, aut minæ illæ revocatæ sunt per hæc duo decreta notificata nobis ab utroque hoc Propheta. Respondeo 1. amboș Prophetas loqui, juxta communem Theologiam apud Vasquez de pœnis spiritualibus, & suprà animas Cadentibus: doceréque homines, ne putant se damnandos in altera vita propter peccata suorum majorum cum unusquisque judicandus sit, *ut referat unusquisque propria corporis prout gessit.* Propria inquam, non aliena, *prout gessit*, non prout gesserunt illi Majores. Et David rationem dat loquens cum Deo, *quia tu reddes unicuique juxta opera sua*, non juxta opera suorum Majorum, excepto peccato originali, propter quod excluduntur à cœlo, qui sub illo moriuntur, eò quia inest unicuique proprium. At quì pœnæ, quas recensui, & extinctio familiarium, everſióque urbium, sunt pœnæ temporales, & quæ hujus vitæ terminos non transgrediuntur quoad pœnam primariam animarum; Ergò non fuerunt revocatæ per hos duos Prophetas. Profecto si Ezechiel loqueretur de pœnis temporalibus facillimum responsum poterant ei dare Hæbrei: *quid est, quod inter nos parabolam vertimus in proverbium?* quod lex nobis data est per Moysem dicit, Videlicet Deum visitare iniquitatem Patrum in filios, & nepotes; sed promptæ huic & veræ responsioni non se objiciebat Propheta: Ergò quia non loquebatur de pœnis temporalibus. Respondeo 2. cum Maldonado, & Sanctio, utrumque Prophetam loqui de pœna etiam temporali in subjecta tamen materia, de qua tunc erat sermo, nempe duram eam Babylonicam Captivitatem non duraturam propter peccata Majorum, sed propter tunc viventium Judæorum culpas; unde ne se innocentes crederent, & servitutem illam tribuerent culpis suorum Parentum, sed suis propriis, & personalibus. 3. Scripturæ, quas dedi suprà num. 139. reor, quod sint universales, non tamen Metaphysicè, sed juxtà legem, & providentiam ordinariam, quatenus atrocia delicta Majorum solet Deus plerumque punire in filiis, & nepotibus pœnis temporalibus, sed non semper: videlicet quando hi non imitantur Patres suos: quinimmo honestis suis moribus corrigunt errata Majorũ, & mensurâ horum non implent; atqui non constat, quod Romani in ultimis temporibus viventes correcturi sint errata illa atrocia suorum Majorum, nempe lanienas illas Christianorum, & barbaram effusionem tanti innocentis sanguinis à Tago, usque ad Eufratem, & à littore Africano, usque ad Rhenum; quinimmo comprehendendi videntur in illa prophetia universali. *Admirata est universa terra post bestiam, & adoraverunt draconem.* Item; *Faciet omnes pusillos, & magnos, & divites, & pauperes, & liberos, & servos habere caracterem &c.* Ergò meritò verendum est, ne de illa carnificina Martyrum, cui dediti fuerunt antiqui Romani, dicat Deus: *Nonne hæc condita sunt apud me, & signata,* (per tot nimirum sæcula) *in thesauris meis? mea est ultio, & ego retribuam in tempore &c.*

P. Vasq. 12. disp. 135. cap. 1. & 2.

2. ad Corinth. 5.

Psalm. 61.

Apoc. 13.

Deuth. 23.

Sanchez in Jerem. 31.

CXLII. Tertia reflexio est supra illud, quod dixi numero 96. & sæpè alibi, nimirum futurum fore, ut fugiat ex urbe Roma Ecclesia illa ultima, id est, cætus sive Senatus Ecclesiasticus supremus cum suo Capite: In quo uno parvo cætu fidelium (respectu universalitatis hominum) & in quo senatu cum Capite suo conservabitur tunc & usque ad fatalem illam noctem diei 34. de qua num. 132. *Una, Sancta, Catholica, Apostolica Ecclesia,* (contra quam portæ inferi non sunt prævalituræ) eò quod fideles alii sparsi per totum orbem tetrarum, quamvis non pauci, pauciſſimi tamen erunt, & quasi rari nantes in gurgite vasto, respectu aliorum hominum apostatarum à fide, sequentium decem illos suos Principes, qui pugnabunt *cum agno.* Et hæc generalis apostasia videtur procul dubio esse discessio illa, quæ præcedere debet Antichristo juxta illud: *Nequis vos seducat ullo modo, quoniam nisi venerit discessio*

Apoc. 17.

2. Tess. 2.

sio primum. (En pronosticum citò tunc venturi Antichristi) *& revelatus fuerit homo peccati* (quia per sæcula multa obscurum, & occultum fuit quisnam futurus sit ille Antichristus) *filius perditionis, qui adversatur, & extollitur,* (præsens pro futuro, & sæpè alibi transmutantur tempora in scriptura) *suprà omne, quod dicitur Deus &c.* Neque contra est, quod supra insinuavi, videlicet discessionem Senatus Ecclesiastici ab urbe Roma, & fugam in locum præparatum à Deo, videri esse discessionem, quam prædixit Paulus. Etenim hæc discessio coincidit cum illa, quia ideò Papa cum suo Senatu, & cætu aliquorum aliorum fidelium, discedet Roma, & dicet, quod ibi protuli ex Jeremia: „Curavimus Ba- *Jerem. 51.* „bylonem, & non est sanata, derelin- „quamus eam, & eamus unusquisque „in terram suam. Quia videbit generalem illam apostasiam Imperii Romani propter pessimos illos decem Principes, qui pugnabunt *cum agno*, & inter quos dividendæ sunt regiones componentes quondam imperium illud, & qui venient ad spoliandum, destruendum, & comburendum Romam; quocirca ultimus ille summus Sacerdos meritò exclama- *Machab. 5.* bit cum antiquo Sacerdote: „Væ mihi, „ut quid natus sum videre contritionem „populi mei, & contritionem civitatis „sanctæ, & sedere illic, cum datur in ma- „nibus inimicorum? sancta in manu ex- „traneorum facta sunt, templum ejus si- „cut homo ignobilis, vasa gloriæ ejus. &c. Quæ omnia cum cæteris ibi adjunctis meritò replicabit Papa ultimus, aut ex ultimis, loquens de Roma, & hujus templis, sicut Mathathias loquebatur de Jerosolyma, & ejus templo.

CXLIII. Igitur quemadmodum hic bonus Senex videns procellam, quæ ab Antiocho veniebat contra Jerosolymam: *Ibidem.* *Exclamavit voce magna in civitate dicens, omnis, qui zelum habet legis, statuens testamentum* (hoc est, confirmans testamentum, seu non deficiens à testamento multis retrò sæculis statutum, juxtà regulam, quam firmavi Decade 4. n. 118. nempe quod scriptura solet ponere positivum pro negativo, id est dicere illud fieri, quod non destruitur) „Exeat post „me, & fugit ipse, & filii ejus in montes, „& reliquerunt quæcunque habebant in „civitate. Ita facturus videtur ille summus Pontifex, & in regione longinqua cum sequacibus suis, & cum illis aliis fidelibus, qui ad ipsum quotidie congregabuntur, sicut ubi fuerit corpus illic congregantur, & aquilæ, formabit (in secunda tamen fuga, de qua num. 100.) illam civitatem dilectam, & illa castra Sanctorum juxtà Joannem, sive illam *terram absque muro*, & in qua *vectes & portæ* non erunt juxtà Ezechielem (quippe totus ille cætus seu populus erit inermis, & togatus) in qua irruet ex septentrio- *Ezech.* ne Gog, juxta utrumque Propheram: Hæc fuga non vertetur dedecori, ut sæpe dixi, illi Papæ; quippe nec desinet esse pastor, nec evadit Mercenarius, pastor, qui grassantes lupos videns fugit, ut aliquas saltem oves conservet, quando non potest omnes: nec, qui ideò fugit, ut obediat illi voci directæ ad Apostolos, & per hos, ad Episcopos Apostolorum Successores. *Cùm autem persequen-* *Matth.* *tur vos in civitate ista, fugite in aliam.* Ut enim eleganter ait Chrisostomus: *Chri-* *Hom.* *stum fugiendo non negat, qui ideò fugit, ut* *neget;* Et cum optimus legis interpres sit Legislator ipse, & post eum sui primi Ministri, non evadent Mercinarii Episcopi illi ultimi fugientes cum suo Episcopo à facie draconis, sicut neque Chri- *Matth.* stus Legislator versus est in Mercenarium, quando fugit primum in Ægyptum, secundo, quando cives sui voluerunt eum præcipitare è monte. 3. *Luc.* Quando abscondit se, & exivit de templo, volentibus Judæis lapidare ipsum, nempe in his tribus casibus *nondum venerat hora ejus.*

CXLIV. Similiter Paulus non se æstimabat Mercenarium, quando scripsit: „Damasci præpositus gentis Aretæ Re- *2. Ad Cor.* „gis custodiebat civitatem Damascenorum, ut me comprehenderet, & per „fenestram in sporta dimissus sum per murum, & sic effugi manus ejus. Nec discipuli Christi reprehensi sunt, quando propter persecutionem excitatam post mortem Stephani „omnes dispersi sunt *Act.* „per regiones Judææ & Samariæ. Idem dico de S. Athanasio, ut ipse probat in libro hac super re; Idem de multis primorum illorum Pontificum Sanctorum, qui

qui tempore persecutionum interdum fugiebant, interdum latitabant. Miratur Plutarchus, ut supra notavi, magnanimitatem Romanorum; eò quòd Varronem temerarium Consulem, ob cujus stultitiam Caranensem cladem acceperant, obviam ad portas Senatus, populúsque progressi exceperint: imò & collaudaverint: „[quòd tantâ acceptâ cla„de non desperaverit de Republica, sed „servari adhuc existimans posse leges, „Civésque, ad defungendum Magistra„tum advenisset;] Laudem merebitur fugitivus ille Senatus Ecclesiasticus cum sun Capite; eò quia fidens Verbo Dei: *Portæ inferi non prævalebunt adversus eam*; non sit desperaturus post tot, & tantas clades inferendas Religioni per decem illos Principes, qui cum *Agno pugnabunt*, neo non per illam universalem apostasiam à Religione; quin potiùs speraturus sit, posse adhuc conservari leges, & Cives, atque domesticos Dei, & consequenter laudem merebitur, eò quod ad reliquias Christianorum colligendas, & conservandas, partim verbis, partim epistolis, fugiat cum suo Capite in Regionem aliam, ita ut per infrequentiam Senatorum non deficiat Ecclesiasticus supremus Senatus sicut non deficiet supremus Ecclesiæ Magistratus, nempe summus Pontifex Romanus.

Plutarch. in Fab.

CXLV. En Systema, quòd initio hujus Disputationis promisi, coordinationémque eventuum futurorum in ultimo quadriennio mundi, probabiliter duntaxat erutam ex Canonicis Authoribus, qui obscurè valde quoad nos, sed clarè omninò quoad ultimos fideles in fine mundi victuros, vaticinati sunt his super rebus. Ubi jam notaveris, quòd exercitè inter asserendum, quæ asserui, & signatè conceptis verbis semel, & iterum dixi: nimirum: Has nostras assertiones de rebus illis futuris esse meras conjecturas, tametsi haud improbabiles: quinimmò aliqua suffultas probabilitate, fundatâ in Scripturis, quas per totam Disputationem sparsi. De cætero; *Quis est vir sapiens, qui intelligat hoc, & ad quem verbum oris Domini fiat?* Vanum est affectare certitudines circa res, quas certò scimus, non sciri certò à nobis.

Joan. 9.

*
* *

DISPUTATIO QUARTA.
De Ultima Nocte, & Die Mundi.

CAPUT I.
De Resurrectione, & suis Circumstantijs.

TRansactâ fatali eâ nocte diei trigesimæ quartæ supra milleſimâ trecenteſimam ab impio edicto contra juge sacrificium Missæ, in qua nocte, ut dixi Disp. 3. num. 131. & seqq. nec non Disp. 1. num. 52. & seqq. totus hic globus terraqueus ignibus supernis, & infernis inundabitur (non enim datur necessitas extrahendi à propria sua significatione, & detorquendi in sensum allegoricum Scripturas, ignem hunc prædicentes; sicut nulla est necessitas accipiendi in sensibus allegoricis Scripturas loquentes de aquis, quæ tempore Noe inundárunt hunc mundum; maximè cùm S. Petrus toties repetat ignem, ardorem, calorem, exustionem impendentia huic mundo) inundabitur, inquam, ad sui purificationem, sicut metalla igne etiam purificantur, atque ad cito futuram renovationem juxta contestes duos Apostolos, nec non ad mortem omnium viventium sublunarium; jámque illucescente (non ratione lucis, ut dicebam num. illo 130. & seqq. sed ratione propinquitatis solis respectu nostri Orizontis Orientalis) die magis fatali 35. ad quam qui pervenerit in senio dato num. eo 132. beatus declaratur à Gabriele Ministro electo ad declarandum tum Danieli, tum Zachariæ, tum B. Virgini Mariæ magna mysteria spectantia ad genus humanum.

Id. ib. v. 13

Apoc. 21.

Dan. 12.

2. Pet. 3.

Tunc, inquam, futura videtur omnium hominum, qui unquam fuerunt, & nondum resurrexerunt, resurrectio ex morte: Cùm enim resurrectio Christi Domini sit causa exemplaris nostræ resurrectionis, ut sentiunt omnes Theologi apud Suarez propter Apostolicam doctrinam: *Reformabit corpus humilitatis nostræ configuratum corpori claritatis suæ.* Item, *Sicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Christo omnes vivificabuntur, unusquisque autem in suo ordine.* Et cùm Dominus resurrexerit post mediam noctem præcedentem Dominicæ, *quâ horâ voluit, quæ nulli mortalium cognita est*, inquit Hieronymus: Consentaneum videtur, quamvis non omnino necessarium, quod universalis hominum resurrectio contingat post mediam noctem illius diei 34. & incipiente jam 35. hoc est, pergente sole à Meridiano Antipodum nostrorum, & Periecorum, ad Orizontem Orientalem nostrum, & nostrorum Antecorum; Et tunc adipiscetur S. Job statum, quem de se ipso prædixit: *In novissimo die de terra surrecturus sum*, & tunc faciet Christus, quod semel, & iterum promisit; *Resuscitabo eum*, nempe ad vitam cœlestem, *in novissimo die*, in quo malos etiam resuscitabit, sed ad mortem. Tametsi enim illa dies trigesimus quintus videatur non spectare ad sæculũ præsens, eò quòd ante ipsum jam sint mortui omnes homines combustus sit hic globus terraqueus: spectat nihilominus ad hoc sæculum, & novissimus est hujus dies. Quia ante illum adhuc est lis pendens, ut ita dicam, adhuc non est lata ultima definitiva sententia generalis super rebus hujus sæculi, seu hujus generationis hominum. Et tunc feretur hæc sententia, ac simul executioni mandabitur, & consequenter dies ille 35. erit novissimus dierum. Quia ad initium illius diei alluśit fortè, qui dixit: „[In matutino interficiebam „omnes peccatores terræ, ut disperde„rem de civitate Domini omnes ope„rantes iniquitatem:] Cùm enim David non haberet dominium super totum orbem terræ, neque peccatores omnes adhuc suæ urbis Hierosolymitanæ disperderet, videtur non locutus nomine suo proprio, sed alluśisse ad illam universalem sententiam contra omnes prorsus peccatores obstinatos: *Discedite à me maledicti in ignem æternum*, quæ mane illo feretur. Tunc finiet absolutè, & simpliciter hoc sæculum: quippe tunc *ibunt hi in supplicium æternum, justi autem in vitam æternam*, & fiet renovatio mundi in æternum, ut dicam infra, duraturi.

II. Hæc resurrectio, quamdiu fiet? quomodo fiet? quo ministerio fiet? ubi fiet? Respondeo 1. Resurrectio *omnium, quicunque nati sunt, hominum, atque nascentur, & mortui sunt, atque morientur*, ut loquitur S. Augustinus, durabit tempus, quod Paulus prædixit: *In momento, in ictu oculi: in novissima tuba*, (*canet enim tuba,*) *& mortui resurgent incorrupti*: Quamvis enim tot millionum, & millionum hominum materias primigenias, hac illac sparsas colligere, conglutinare, & coordinare in figuram humanam, quoad externam, & internam œconomiam membrorum (hucusque perveniet ministerium Angelicum, quia ad hoc sunt pares, & numero, & virtute, cùm artifices humani passim coordinent in humanam figuram quoad externam œconomiam membrorum, partes statuæ, & colorum) item producere in ipsis formas carnium, ossium &c. Item producere unionem eandem individuam substantialem ejusdem individuæ animæ rationalis cum illis individuis partibus materiæ: quamvis, inquam, hoc esset negotium longissimum, si viribus humanis faciendum esset; at cùm faciendum sit omnipotente virtute Dei, & Angelorum ministerio, in momento, in ictu oculi, hoc est in brevissimo tempore fieri potest. Cœlum Empyreum, innumerabilis Angelorum multitudo, globus terrestris, aquæ occupantes immensum spatium à superficie hujus ilsq; ad Empyreum, quanta res est! Et tamen simul, & uno quasi impetu suæ Omnipotentiæ fecit hæc omnia Deus initio mundi, ut dixi Disp. 1. n. 34. & seqq. Exemplóque solis utcunque explicui, qui tot ab hinc sæculis absque dispendio suæ virtutis simul in eodem momento producit incessanter sursum, deorsum, dextrorsum, sinistrorsum &c. innumeras lineas, sive radios lucis, & in singulis radijs innumeros gradus lucis caloris, &

P. Suarez Disp. 50. de vit. Chr. Sect. 5. Ad Phil. 3. 1. ad Cor. 15.

S. Hier. ep. 150. quæ est ad Hedibiam.

Job. 19.

Joan. 6.

Psalm. 100

& specierum visualium : sicut non fuit multum Omnipotenti illa omnia facere in primo mundi momento, ita nec multum erit eidem, facere in novissimo dierum, illa, quæ dixi.

III. Verumtamen cùm credibile sit, Paulum non scripsisse illa verba, *in momento, in ictu oculi*, juxta præcisionem Mathematicam, aut cum attentione ad sententiam Zenonis, componentis Continuum ex punctis indivisibilibus ; sed scripsisse illa juxta communem modum loquendi, in sensúque morali, & humano (siquidem in ictu etiam oculi elabuntur etiam plurima momenta, sive instantia juxta utramque sententiam circa compositionem Continui) hac de causa datur locus, ut qui dixit : *In momento, in ictu oculi*, dixerit postea : *Mortui, qui in Christo sunt : resurgent primi* (seu *primùm* juxta Textum Græcum) *deinde nos, qui vivimus, qui relinquimur* (loquitur de se, non ut tali, individuo singulari, sed ut uno ex multitudine Sanctorum, juxta principium ; quod multis exemplis stabilivi Decade 1. num. 57. videlicet solere Scripturam adscribere aliquibus, quod non illis in se ipsis, sed suo cætui, familiæ, aut similibus convenit, v. g. *Quem occidistas inter templum, & Altare*, cùm illi individui homines, quos Dominus tunc corripiebat, nondum essent nati, quando ille Zacharias occisus fuit) *simul rapiemur cum illis in nubibus obviam Christo in aera*, quibus verbis insinuare videtur sententiam Oecumenij, Theophilacti, & aliorum, docentium priùs suscitandos Prædestinatos, deinde Reprobos. Et hoc dicunt propter hæc verba Apostoli, & propter illa alia : [In Christo omnes vivificabuntur, „unusquisque autem in suo ordine, „primitiæ Christus, deinde ij, qui sunt „Christi, qui in adventu ejus credide„runt, deinde finis,] quatenus Reprobi extrahendi sint è sepulchris in fine, & quasi ultimæ fæces generis humani ; Sed communiter adversantur Theologi opinioni huic : Et meritò, tum quia illud *in suo ordine* non significat ordinem temporis, sed meritorum, ac demeritorum, prout ibidem explicat idem Apostolus. *Quomodo resurgunt mortui, qualive corpore veniant.* Ubi adductâ paritate seminis, quod prius moritur, & postea surgit cum corpore, quod Deus illi dat, respondet : *Alia claritas solis, alia claritas lunæ, & alia claritas stellarum, stella enim à stella differt in claritate*, & concludit : *Sic & resurrectio mortuorum.* Illud itaque *in suo ordine* significat distributionem accommodam respectu dotum, & qualitatum gloriæ, quibus corpora ornata resurgent : Ut enim acutè observat P. Suarez, totus est Apostolus in toto eo capite usque ad versum 50. in bonorum resurrectione explicanda, & suadenda contra illos, qui ajebant, & inter Corinthios disseminabant, *quoniam resurrectio mortuorum non est* ; Et sic erigeret spem Fidelium, animúmque firmaret ad bene vivendum, unde in tota ea parte Capitis ante versum 50., & antequam sunt ista verba objecta, nihil dicit de resurrectione Reproborum, quia hæc non veniebat ad rem, quam tunc agebat. Ne autem Corinthij fraudarentur omninò hujus resurrectionis notitiâ, illam dat Apostolus à versu illo 50. Ecce mysterium vobis dico : *Omnes quidem resurgemus, sed non omnes immutabimur*, quasi dicat : Multa vos docui super Justorum resurrectione, ut vestrum torporem excitarem ; sed scitote aliam quoque futuram resurrectionem, nimirum, quâ homo resurget, sed quâ non immutabitur acquirendo claritatem solis, aut lunæ, aut stellarum, aut ullam aliam cœlestem. Unde non omnes immutabimur, quin plurimi ex nostro genere humano relinquentur in miseria humanæ conditionis. Illud autem, *deinde finis*, non est, cur significet Reprobos ultimo loco, tanquam fæces depromendos esse è terra ; sed tantùm significat deinde ferendam sententiam finalem definitivam, & publicam, quâ finietur hoc sæculum, & causa omnium penitus hominum hujus generationis decidetur.

IV. Illa autem verba alia *resurgent primi, deinde nos, qui vivimus &c.* non contraponunt Prædestinatis Rreprobos, quasi illi priùs surrecturi sint, & postea hi ; nam qui significantur illis verbis *nos qui vivimus, qui relinquimur*, non sunt Reprobi ; alias cum adjungat : *Simul rapiemur cum illis in nubibus obviam Christo in aera*

Snarez de vit. Christi Disput. 50. Sect. 9.

1. ad Thes. 4.

Matth. 23.

1. Ad Cor. 15.

aera, sequeretur, Reprobos rapiendos simul cum Prædestinatis in aera obviam Christo Domino, cùm potiùs infixi terræ restare debeant; imò sequeretur, illos cum Domino futuros semper: quoniam eodem verborum tenore adjungit: *Et sic semper cum Domino erimus.* Deinde cùm in eo ordine se ipsum agnoscat, & repetat Apostolus: *Qui vivimus, qui residui sumus, qui relinquimur*, sequetur, Apostolum agnoscere seipsum in ordine Reproborum, & cum his univocatum in signo & charactere reprobationis, videlicet in non resurrectione cum Prædestinatis, sed post illos; At sequela est absurda; ergo qui significantur illis verbis *Deinde nos qui vivimus &c.* non sunt Reprobi. Fateor, quòd agnoscit se Apostolus in cœtu, seu ordine illorum Sanctorum, qui tunc temporis nondum erunt cum Christo, cùm dicat: *Mortui, qui in Christo sunt, resurgent primi, deinde nos, qui vivimus*, non tamen in ordine eo quoad hoc, quod est, *non esse cum Christo*, cùm ipse tunc temporis certissimè futurus sit cum Christo, sed quoad hoc, quod est esse ex illis, qui Prædestinati sunt, quique semper cum Domino futuri sunt. De illis ultimis Justis duo verificabuntur. Unum, quòd tunc nondum erunt cum Christo: Alterum, quòd fideles sint, atque prædestinati, ut semper cum Domino sint. Paulus univocat se cum illis, *nos qui vivimus, qui residui sumus &c.* non quo ad primum, sed quoad secundum, univocatio quippe non semper est quoad omnia, atque in specie, sed passim est quoad aliqua tantùm, ac servatis servandis; sensus itaque litteralis, & planus videtur esse. *Nolumus autem vos ignorare fratres de dormientibus* (hoc est de vestris cognatis, amicis, & commilitonibus, qui in pace in idipsum dormiunt, & requiescunt) *ut non contristemini, sicut & cæteri, qui spem non habent:* quasi illi, quia multis retrò sæculis mortui jacuerunt, in adventu Domini futuri sint pejoris conditionis, quàm illi nostri Fratres, Concives, & Collegæ, ac Comprædestinati, qui victuri sunt usque ad finem mundi: Absit, quippe non solùm resurgent illi, quorum animæ jam tunc erunt cum JESU; verùm insuper continget, quòd *nos, qui vivimus, qui residui sumus in adventum Domini.* (Id est, nostri illi Collegæ, Concives, ac socij residui usque ad Domini adventum juxta Regulam, quam citavi num. antecedente) *non præveniemus eos;* quinimo contestamur vobis nomine Dei, quòd *Mortui, qui in Christo sunt, resurgent primi.*

V. Cùm enim in uno ictu oculorum, & in quovis brevissimo tempore ab hominibus discernibili, dentur physicè, ac realiter innumera instantia, alia priora alijs (& hoc in qualibet sententia super compositione Continui) datur consequenter capacitas, ut de illis etiam, quæ fiunt in ictu oculi, id est, in brevissimo tempore, verificetur, quòd unum verè, ac realiter est tempore prius, quàm alterum, non minùs quàm de eis, quæ existunt in eodem instanti physicè indivisibili, verificatur passim, quòd unum est prius naturâ, quàm alterum, & consequenter etiamsi omnium mortuorum resurrectio futura sit in ictu oculi, seu in momento, loquendo humano modo, datur capacitas, ut uni resurgant physicè, ac realiter prius, quàm alteri: Mortui autem antiqui, qui in fine mundi cum Christo erunt, digni sunt hoc privilegio, hoc favore speciali, ut ipsi resurgant prius physicè, ac realiter, quàm alij Justi tunc mortui. Tum quia diutiùs expectàrunt resurrectionem, & antiquitatis sepulchralis prærogativam habent, & quod Caput est prærogativam antiquitatis in Palatio Christi; tum quia forsan plerique ex ultimis illis Justis tunc morituris habebunt aliquod debitum solvendum, antequam resurgant, & incipiant esse beati corpore, & anima. Tum maximè propter rationes, quas Deus habet, siquidem author fuit illius Apostolicæ sententiæ, *Mortui, qui in Christo resurgent primi: deinde nos*, quæ profectò ægrè valde intelligitur in sensu litterali, & obvio, quo utebatur Apostolus, claudens illud Caput his verbis: *Itaque consolamini invicem in verbis istis*, nisi detur resurrectioni illorum antiquorum Mortuorum, respectu Mortuorum tunc recentium illa præcedentia temporis, quam capit ictus oculi, seu momentum in Phrasi communi, & usuali, hoc est, tempus brevissimum, & privilegium, præ-

prærogativâque *præcedentiæ* non poscit longa intervalla, sed contenta est eo, quod unum sit physicè, ac realiter ante alterum.

VI. Porrò Apostolus inquiens: *Deinde nos, qui vivimus, qui residui sumus, qui relinquimur*, ter gemina hac repetitione vitæ non asserit, fideles eos victuros in fine mundi, nunquam morituros esse, seu ex hac vita mortali transituros ad immortalitatem, quin tributum solvant impositum omnibus filiis Adæ; obstat enim omnium Theologorum sententia unanimi voce asserentium omnes illos justos morituros, tametsi ex antiquis Patribus aliqui id dubitâverint, & aliqui negaverint: Unde solùm habetur quod res non sit certa certitudine fidei, ut dicebam Decade citata: Vocat ergo Paulus illos suos socios, & concives, cum quibus se unà vocare dignatur *vivos, residuos, & relictos* in adventum Domini, juxta duas phrases frequentes in scriptura: unam notavi Decade 2. num. 9. & seqq. videlicet solere Authores Canonicos non reputare id, quod brevi durat tempore v. g. *Nolite turbari, anima enim ipsius in ipso est*: Cùm tamen verè mortuus esset adolescens ille, de quo tunc loquebatur Paulus, sed mox erat suscitandus. Item: *Infirmitas hæc non est ad mortem*, cùm Lazarus verè mortuus fuerit, sed protinus resurrecturus erat. Similiter *non est mortua puella, sed dormit.* Et verè mortua erat, sed morte parum duratura. Similiter *jam non sum in mundo*, dicit Dominus nocte cœnæ, quando adhuc restabant aliquæ horæ ad suam mortem, sed paucæ. Cùm ergo mors illorum ultimorum fidelium, quos suæ Congregationis, Ordinis, & civitatis Dei, agnoscit Paulus, *nos qui vivimus, qui residui sumus*, parùm duratura sit, quia morientur fatali nocte illa diei 34. & repurgent initio 35. juxta dicta capite antecedente ex calculo, quem Gabriel revelavit Danieli: novum, aut mirum non est, quod Paulus vocet illos vivos, & residuos in adventum Domini. Alteram notavi Decade 4. num. 10. scilicet, solitum esse in omni litteratura conservare personis nomen, quod paulo antè habebant, quamvis modo non habeant rem significatam per illud nomen v. g. *Cæci vident, claudi ambulant &c.* id est, qui nuper laborabant his morbis. Item de rebellantibus contra Moyem, nec non de Antichristo, & suo Vicario dicitur, quod *vivi* descenderunt in infernum: nempe quia licet in ipso præcipitio mortui fuerint, immediate ante vivi erant: similiter de quadam Pasiphæ jam corrupta dicebat ille: *Ah virgo infælix, quæ te dementia cæpit*: Et de alia pari dicebat alius: *Virgo illachrymat*, atqui ultimi illi fideles ultimo loco surrecturi, paulo ante erant *vivi, relicti, & residui in adventum Christi*, quia licet simpliciter morituri, mors ut dixi parum durabit; ergò juxta phrasim aliorum Authorum Canonicorum jure vocat Paulus illos vivos, & residuos in adventum Domini. Videtur ergò, omnium mortuorum resurrectiones futuras esse simul in eodem tempore, cum ea tamen latitudine morali præcedentiâque aliquorum instantium ad alia, quam secum fert ictus oculi, momentúmque notum hominibus: sic enim sine offendiculo currit illa discretio Apostolica, *resurgent primi, deinde nos &c.* & nullum detrimentum patitur communis Theologia in altero illo textu, *in momento, in ictu oculi*,

Matth. 11. *Num. 16.* *Apoc. 19.* *Virg. Eclog. 8.* *Terent. in And.* *Actor. 20.* *Joan. 11.* *Matth. 9.* *Joan. 17.*

§. II.

De circumstantiis Resurrectionis.

VII. REspondeo 2. Resurectio Petri v. g. & idem respectivè dico de cæterorum omnium resurrectione, Continget, quatenus sicut ad vocem materialem Sacerdotis humano modo completam de repente (sed in eodem instante temporis, & cum sola posteritate naturæ) facit Deus in frumento, & uva jam aliunde redactis ad formam panis, & vini usualium, transubstantiationem in corpus & sanguinem JEsu Christi (idem servata proportione dico de productione gratiæ sacramentalis ad vocem Ministri suprà subjectum alias dispositum) ità ad initium Angelicæ vocis judicium indicentis, cunctis hominibus mortuis, quam vocem toties meminit scriptura sub metaphora tubæ, & vocis magnæ, & non est fundamentum ad negandam futuram fere vocem materialem Angelica

Matth. 24. *1. ad Corinth. 17.* *1. ad Tess.*

potentiâ sparsam per regionem aeris; imò congruum est, quòd sit vox materialis, utpote directa non ad Angelos, vel ad animas solas, sed ad *homines*, ut tales, qui materialiter audiunt) quod initium non audietur quidem à mortuis, utpote incapacibus, sed audientur immediatè subsequentia (quod ad citationem sufficit) Et quod initium resonabit per totum orbem terraqueum (non est multum Omnipotenti dare hanc intensionem illi voci) vel in eo solo loco, ubi jam fuerint congregata omnia humana cadavera: ad initium inquam ejus vocis solus Deus in momento in ictu oculi licet cúm ea diversitate, ac prioritate temporis, quam ex Paulo dixi num. 5. & seqq, producet de novo individuam eam unionem substantialem, quæ Petro v. g. est essentialis, nimirum quæ in prima hujus animatione univit animam cum corpore ipsius, juxta ea, quæ dixi disput. 1. Physicæ speculat. num. 220. Et hæc individua unio nectet individuam animam Petri cum individua illa materia, nempe primigenia, quæ Petro est essentialis juxta ibidem dicta n. 731. quæque jam erit Ministerio Angelorum organizata, atque in formam & figuram corporis humani ætatis virilis redacta, per additionem earum partium integralium, quas olim habuit homo in hac vitæ (quæ licet fuerint giganteæ non formabunt giganteum corpus, nam tota illa moles rejectis humoribus aliisq; superfluitatibus redigi potest in staturam humanam ætatis virilis) vel, si mortuus fuit in ætate puerili per additionem materiæ extraneæ necessariæ ad staturam, & molem corporis in ætate virili, in quibus adjunctis partibus corporis, cùm puer ille neque peccaverit, neque meruerit, necesse non est, quòd pœnam, aut præmium recipiat, quamquam recipiat in eis partibus aliis integralibus, in quibus meruit, aut peccavit, quæ discretio licet homini non sit facilis, maximè cum anima illa tunc vivificatura, & informatura sit simul utrasque illas partes integrantes, Deo tamen est evidens. Consistet ergò resurrectio futura in principio illius magni diei 35. supra 1300. ab edicto Antichristi, contra juge sacrificium Missæ, in eo, quod eadem individua humana anima per eandem individuam unionem uniatur eidem individuæ materiæ, quæ in hac vita fuit propria hominis illius, quia debet resurgere idem homo, quoad essentialia saltem, & non alius. Hæc autem tria in individuo sunt de essentia illius individui hominis, ut in eo loco Physicæ probavi, ubi etiam occurri difficultatibus, quæ assurgere possunt ex hoc capite resurrectionis futuræ.

VIII. Sed alia non pauca sunt hic explicanda. 1. Exemplum Ministri Sacramentum conficientis jam vides non adduci, ut simile in omnibus, & per omnia Angelo vocanti mortuos ad judicium (paritas non est identitas) sed in eo tantum, quod ibi dixi, datur similitudo. De cætero Sacerdos v. g. est verè, ac simpliciter causa ministerialis, transubstantiationis, & gratiæ sacramentalis, quatenus statuit Deus utramque facere ad præsentiam actionis æternæ Sacerdotis toties, quoties hic volueris, & dependenter ab hujus libertate indifferentiæ supositis aliis requisitis. Hoc privilegio non fruetur Angelus ille mortuus vocaturus ad tribunal, quia licet liberè vocet illos libertate à coactione, non tamen libertate indifferentiæ requisita, & sufficiente ex hac parte ad meritum, & demeritum; Et hoc propter generalem doctrinam circa libertatem, qua gaudent Beati in obedienta divinorum præceptorum. Unde Angelus ille non potest dici causa instrumentalis, aut ministerialis resurrectionis omnium hominum, saltem illa proprietate, quâ Sacerdos dicitur causa ministerialis dictorum effectuum. 2. Dixi negotium illud peragendum physicè, ac realiter voce materiali sparsa per aerem quia licet hoc non sit antecedenter necessarium, cùm potest Deus multitudinem vocare totum hoc genus humanum ad judicium, sicut etiam judicare illud absque ulla citatione; verumtamen sicut potens dare legem hæbreis absque tonitruis, fulguribus, nubibus, fumis, & absque clangore buccinæ, nihilominus propter fines suæ providentiæ voluit totum hunc apparatum externum *cæperunt audiri tronitrua, ac micare fulgura, & nubes densissima operire montem, clangorque buccinæ*

buccinæ vehementiùs perstrepebat; nempe quia hic apparatus, licet non necessarius pro Angelis, nec pro animabus separatis; erat tamen valde congruus conditioni hominum, ut hominum vivorum: Item potens mittere Spiritum S. super Apostolos absque sono Spiritûs vehementis, & absque linguis ignitis; voluit tamen hanc externam ceremoniam *factus est repentè de cœlo sonus*, & nempe quia tunc etiam agebatur res cum hominibus, ut talibus, quorum conditioni est valde consentaneus externus magnus apparatus: Ita voluit, quòd totum genus humanum paulo antè mortuum, sed initio illius magnæ Angelicæ vocis redivivum, apparatu externo vocis magnæ, vocis Dei, tubæ novissimæ, ut Scripturæ loquuntur, vocetur ad Tribunal, quia ex una parte hic est sensus obvius, & litteralis Scripturarum, de hac re loquentium: Ex alia non apparet ulla prudens ratio ad relinquendum hunc litteralem sensum, & confugiendum ad alium Allegoricum, & mysticum; Imò congruum est, ut jam dixi, quòd cùm negotium illud peragendum sit cum toto genere humano, peragatur modo externo, & sensibili, qui semper fuit consentaneus humanæ conditioni.

Actor. 2.

IX. Dixi 3. animas reuniendas eisdem partibus integralibus, quibus olim unitæ fuerunt, nempe illis, in quibus talibus individuis peccârunt, aut meruêrunt (unde Divinæ providentiæ erit consequenter ad id, quod mox dicam, quò idem individuum membrum, seu eidem individuæ particulæ corporis non sit in hac vita instrumentum, quo duæ animæ peccent, aut mereantur, aut una peccet, & alia mereatur, ut poterat contingere in antropophagis, qui aliorum hominum carnes comedentes faciunt sibi partes integrales eas, quæ partes quoque fuere integrales hominum aliorum) Tum quia reprobi puniendi sunt non tantùm quoad animam, nec tantùm quoad corpus vagè, indeterminatè sed in eis individuis partibus corporis, quibus individuis peccârunt. Et idem respectivè dico de remuneratione Sanctorum: Ergo opus est, quod anima illis reuniatur. At illæ plerumque sunt partes, non utique essentiales, nec integrales primariæ, ut sunt cor, hepar, cerebrum, & similia, sed integrales secundariæ, sine quibus homo potest naturaliter vivere, v. g. oculi, nasus, manus, lingua, pes &c. Ergo opus est, ut his eisdem in individuo reuniatur, saltem quoad eas particulas, quibus externè consumatum fuit peccatum; Antecedens videtur doceri in genere à Salomone loquente de idololatris: *Ut scirent quia per quæ peccat quis, per hæc & torquetur*, & in specie ab Isaia loquente de Deo veniente ad judicandum: *Et erit pro suavi odore fœtor* (en pœnam in eodem membro, in quo peccatum fuit consumatum. *Et pro zona funiculus* (en idem) *& pro crispanti crine calvitium* (en punitum caput) *& pro fascia pectorali cilicium.* Similiter alibi frequenter apud Scripturâ & etiam apud homines, illa singularis pars integralis corporis, illud singulare membrum, quo peccatum fuit consumatum, singulari pœna punitur, saltem quoad illas individuas particulas, quas licet nequeat discernere justitia humana, discernet divina: Ergo videtur necessarium, quòd anima eis saltem individuis particulis integrantibus corpus reuniatur: & consequenter, quòd homo resurgat cum eisdem individuis oculis, cum eodem individuo naso, lingua, pelle &c. *Quia rursus circumdabor pelle mea* non nova, sed antiqua, nempe *rursus*, & in hoc sensu intelligendum est, quod hac super re dico in eo loco Physicæ citato.

Sap. 11. *Isai. 3.*

X. Dices, rarò, vel nunquam contingit, quòd homo in senectute, aut post gravem diuturnum morbum habeat eâdem omnino omnes particulas suorum membrorum, partiúmve integralium, nec non pellis, quas habebat in pueritia, & adolescentia, quoniam per reactionem agentium contrariorum amisit omnes illas, aut pleráque, quando in senectute, ac post longum morbum extremâ macie confectus est; & tamen in utroque hoc Casu sufficienter potest salvari, quòd puniatur, aut remuneretur in eisdem partibus, v. g. in eisdem manibus, oculis, auribus, lingua &c. in quibus peccaverat, vel meruerat, dum puer erat: nempe quia anima illius est eadem, & cùm in ea sola

resi-

consistat vis sensitiva, eundem omninò quoad intensionem, dolorem sentiet, ac voluptatem in his, atque in illis particulis pellis, nervorum, ac aliarum partium integralium, quibus modò est unita. Item, quia licèt hæ particulæ membrorum non sint eædem physicè, materialiter, ac quoad individuum, sunt tamen eædem moraliter, & quoad substantiam, quatenus informantur, vivificantúrque eadem animâ, ergo, ut subsistat, quòd *per quæ peccat quis, per hæc & torquetur*, necesse non est, quod homo resurgat in ultima die, cum eisdem individuis particulis membrorum, quibus, & in quibus peccavit. Distinguo hoc Consequens: ut torqueatur à justitia humana concedo: quippe homines, neq; intellectu, neque opere assequi possunt has minutias, & individuas particulas, quæ fuerunt instrumenta peccati. A justitia Divina nego; quia Deus & scit, & potest absque minima fatigatione punire, ac remunerare hominem in eisdem individuis partibus integrantibus, seu in eisdem harum partium particulis, in quibus admissa fuit damnabilis delectatio, aut pœnitentiæ dolor; Et congruum est, quòd non solùm eadem individua anima subeat eundem quoad intensionem dolorem, sive voluptatem; verum etiam, quod illum subeat *in eismet prorsus membris*, quando fieri potest, in quibus, & cum quibus peccavit, aut meruit, quæque fuerunt instrumenta, & socia peccati; sed hoc fieri potest per Deum, facilitate eadem, quâ fieri potest oppositum. Ergo congruum videtur, quòd homo resurgat ad æternum præmium, vel supplicium non solùm cum eadem individua anima, eadem individua materia primigenia, eadem individua unione utriusque, quæ tria sunt de essentia individui hominis; verùm etiam cum eisdem individuis membris, & partibus integralibus, si non quoad totam suam molem longitudinis, latitudinis, & profunditatis (siquidem multæ particulæ harum dimensionum potuerunt transire in partes integrales antropophagi, & insuper, quia non in omnibus omninò particulis componentibus has dimensiones fuit olim damnabilis delectatio, aut pœnitens dolor, sed in talibus individuis particulis, quas Deus scit nervorum minimorum, in quibus stat tota sensatio externa) at saltem quoad individuas illas particulas nervorum, in quibus, & cum quibus fuit actu formaliter culpabilis voluptas, vel salutaris dolor; Vide num. 19.

XI. Profectò sine reunione animæ ad easdem partes integrantes, vel saltem ad easdem particulas dictas partium integrantium, ægrè capitur illa doctrina resurrectionis, quam nobis reliquit primus Author Canonicus illius: *Rursum circumdabor pelle mea.* Pellis non est pars essentialis hominis, neque integralis primaria, sed integralis secundaria, & non vocat *suam* pellem, quam de novo, & nunquam habitam acquiret in resurrectione; sed antiquam, & quam in hac vita habebat, quando hæc verba dicebat, quia in hanc, & non in illam cadit bene illud *rursum*, quippe incongruè dicitur *rursum habeo* id, quo nunquam habui. Addit *in carne mea videbo.* Similiter caro, ut talis, hoc est materia prima sub *forma carnis* prævia necessariò ad animam rationalem, ut dixi in Physica Disp. 1. à num. 75. non est pars essentialis hominis, cujus tota essentia physica salvatur quoad substantiam in materia, & anima rationali unitis (sed pars integralis primaria, sine qua nequit homo naturaliter vivere,) si enim materia non carneæ, sed quæ tota esset ossea v.g. aut cartilaginea, aut nervosa &c. supernaturaliter uniret Deus per unionem substantialem animam rationalem supplendo defectum aliarum conditionum, totum illud, quod resultaret, non esset animal rationale; in carne sua se visurum Deum, ait S. Vir: *Sua* (inquam, non de novo acquisita, sed antiqua illa, quam tunc habebat ulceribus, & vermibus scatentem, quando hoc dicebat. Addit *oculi mei*, nempe, quos nunc habeo, non alij tunc de novo acquirendi *conspecturi sunt.* Totò itaque hoc verborum contextu docere videtur sanctus Job, quò non solùm *ipsa* quoad meram essentiam physicam, partésque essentiales; verùm etiam *ipse*, quoad individuas illas partes integrantes, quæ fuerunt instrumenta heroicarum actionum externarum, in novissimo die de terra surre-

cturus sit. Quod autem de se dixit Job in hac materia, non est, cur non intelligatur dictum de nobis omnibus. Idem colligi potest ex modo, quo Dominus resurrexit: *Ostendit eis manus, & pedes*, non utique alios, de novo formatos, sed eosdem individuos, quos ante mortem habebat. Similiter Thomæ dixit: *Infer digitum tuum huc, & vide manus meas, & affer manum tuam, & mitte in latus meum.* Cicatrices illæ non fuerunt de novo factæ in novis manibus, & novo latere. Subsistit itaque, quod dixi de resurrectione omnium hominum, quoad partes etiam integrantes, vel saltem quoad particulas illas harum partium, in quibus actu formaliter fuit consumatum meritum, aut peccatum.

Luc. 24.

Joan. 20.

XXII. Dixi 4. quòd Deus reuniet animam corpori in formam & figuram corporis virilis redacto, quoad ætatem, non quoad sexum; non enim habemus fundamentum, ut dicamus mutandos esse sexus, sed potiùs ad dicendum singula individua humana resurrectura in sexu, quem habuerunt, ut meritò advertit Suarez, & bene probat explicans etiam S. Hieronymum, Basilium, & Athanasium, qui oppositum docuisse videntur. Quod autem corpora saltem Beatorum surrectura sint in mensura ætatis virilis; & consequenter, quòd aliunde adjuncturus sit Deus corpuscu-lis parvulorum materiam, & quantitatem necessariam ad implendum mensuram ætatis virilis, sicut costæ detractæ ex Adamo, adjunxit materiam, & quantitatem ad formandum corpus integrum & perfectum Ævæ, videtur traditum à Paulo scribente: *Donec occurramus omnes in virum perfectum.* (Hîc planè loquitur de perfectione spirituali, ut Contextus docet) *in mensuram ætatis plenitudinis Christi*, hîc verò alludere videtur ad corpus ipsum, & quantitatem, & molem, & staturam. Unde S. Augustinus docet, singulos Beatos eam quantitatis mensuram habituros, quam habuerunt in juventute, vel habituri essent, si ad juventutem pervenirent: quòd si dixeris, in Beatis sicut discrimina sexuum propter decorem, quem secum trahit ipsa varietas rerum, ita discrimina ætatum, in quibus mortui sunt, conservanda esse; ita ut uni habeant corpus senile absque imperfectionibus senectutis, alij puerile absque imperfectionibus pueritiæ, alij virile, absque imperfectionibus, quas hæc etiam ætas secum portat: & hoc futurum esse, tum propter harmoniam imbibitam in ipsa varietate extrema, tum ut Beati non solùm mente, ac ratione, verùm etiam alio modo proprio hominum, videlicet oculis carneis, noverint, quo articulo suæ vitæ Beati alij mortui sunt, atque adepti magnum illud perseverantiæ donum, & quamdiu vixerunt in hoc mundo: si, inquam id dixeris, ego non multùm contradicam, quia externa apparentia, quantitas, & moles corporis, demptis imperfectionibus, quas in hac vita habere solent, purè materialiter habere se videtur in ordine ad beatitudinem, quam expectamus, sicut etiam varietas sexuum, & varietas vultuum, siquidem unusquisq; Beatus resurget cum vultu, quem hic habuit, demptis imperfectionibus.

Suarez de vit. Christi Disp. 44. Sect. 3.

Ad Ephes. 4

Lib 22. de Civ. cap. 15

XIII. Dixi 5. quòd tuba illa Angelica, id est, vox magna Dei, quæ ideo dicitur *Dei*, quia formabitur ab Angelo ex specialissimo præcepto, vel etiam adjutorio Dei, vel quia adeo magna erit, ut nunquam talis ulla alia fuerit, & juxta phrasim Scripturæ, illa, quæ sunt specialissimè magna in genere suo, specialiter dicuntur *Dei*, v. g. *in deliciis Paradysi Dei fuisti, Cedros Dei &c.* Tuba inquam illa sonabit per totum orbem, vel in eo duntaxat loco, ubi congregata jam fuerint omnia humana cadavera, jam proximè disposita ad reunionem cum anima. Hoc pendet ex affignatione loci, ubi homines resurrecturi sunt, quoniam ibi audient vocem Filij Dei, & consequenter ibi sonabit hæc vox: videtur verosimilius, quod licet omnes conventuri sint in valle Josaphat, de qua re posteà disputabo, non illò portentur cadavera, ut resurgant, sed illò portentur homines jam vivi, ita ut singuli Prædestinati, & forsan etiam parvuli, qui sine remedio contra peccatum originale mortui sunt, portentur (cadavera enim non possunt ab intrinseco moveri, ut ex toto globo terraqueo conveniant citissimè in uno eo loco) à suis Angelis Custodibus, & singuli Re-

Ezech. 28.

Psalm 79.

probi á suis dæmonibus, quibus succubuerunt: quòd si dixeris, Prædestinatos non fore indiguos hoc vehiculo Angelico, quia in eodem momento resurrectionis evadent glorioſa corpora ſua, & consequenter cum dote agilitatis, non multùm refragabor: addam tamen, Reprobos adultos, & pueros illos, utpote carentes dote agilitatis, portandos esse per alium ad locum illum judicij: & incongruum non esse, quòd Prædestinati ipsi portentur eòdem per suos Angelos Custodes, quia honorificum erit his portare suos alumnos glorioſos coram toto mundo tanquam insigne trophæum suæ gloriæ accidentalis; & dulce quoque erit cuilibet Prædestinato tunc resurrecturo, quasi brachijs vehi sui Custodis, & boni Pedagogi coram omnibus Angelis, & hominibus.

XIV. Tunc futurum videtur, quòd Matth. 13. Dominus dixit: *In consumatione sæculi exibunt Angeli, & separabunt malos de medio Justorum, & mittent eos in caminum ignis.* Hæc verba difficulter significantid, quod continget post latam sententiã finalem, aut, quòd continget durante judicio: quoniam in utroque Casu jam erunt separati Prædestinati à Reprobis; tum quia ante casum utrumque *separabit eos ab invicem, sicut pastor segregat oves ab hœdis, & statuet oves quidem à dextris suis, hœdos autem à sinistris.* idem 25. Tum quia Paulus de ultimis Justis resurrecturis, & nomine ipsorum ait: *Simul rapiemur cum illis in nubibus obviam Christo in aera:* 1. ad Thes. 3. sed Reprobi non rapientur in nubibus; ergo quando Christus descendat, & consequenter antequam incipiat Judicium, & à fortiori, antequam sententia feratur, jam erunt separati Prædestinati à Reprobis; ergo separatio illa, de qua Dominus. *Exibunt Angeli, & separabunt malos de medio justorum*, in neutro ex his duobus Casibus eveniet; ergo non restat alius Casus, in quo fiat, nisi quando jam sint utrorumque hominum formata corpora, & Angeli proijciant cadavera Reproborum in illum ignem, quo paulò antè arsit totus orbis, ut in medio illo resurgant, vel quatenus immediatè post omnium resurrectionem, & inter se mixtionem separent Angeli hos ab illis, non quia assumant in aera Prædestinatos & relinquant in terra Reprobos, sed quia arripientes hos de medio illorum, *separabunt malos de medio justorum*, eos tradant in manus diabolorum, carnificum Divinæ justitiæ; proijcientes eos in fluvium dictum ignis, & tunc unusquisque Angelus Custos assumat suum alumnum in brachiis (apparebunt enim Angeli in forma visibili, & corporea, in function, quæ tota, aut ferè tota spectat ad genus humanum, quod ex sua conditione etiam oculis, & sensibus externis cognoscit) & eum tanquam nobile trophæum sistant ante Judicem venientem, & tunc verificabitur: *Mittet Angelos suos cum tuba, & voce magna, & congregabunt electos ejus à quatuor ventis.* Hunc autem modum faciendi separationem, significare quoque videntur illa alia verba: *Mittet Filius hominis Angelos suos, & Matt. colligent de Regno ejus omnia scandala, & eos qui faciunt* (nempe modò in hac vita; Matt. nam tunc non dicetur *faciunt*, sed *fecerunt*) *iniquitatem: & mittent eos in caminum ignis.* Immediatè quippe post omnium resurrectionem incipiet regnum Christi, quia tunc incipiet cognosci à toto genere humano: Et Angeli tradentes diabolis ea scandala projicient illa in stagna ignis, quo circumdatus erit orbis, & quo exusta fuerunt omnia. Juxta utrumque itaque Textum videtur, quòd separatio incipiet per Reprobos, quatenus Angeli arripientes illos, & tradentes diabolis, assumet posteà unusquisque suum alumnum. Quam ob rem videtur separationem, atque resurrectionem non esse faciendas in valle Josaphat, sed prius jam factas fore. Resurgent itaque, qui in sepulchris fuerint, è sepulchris, illi autem, quorum corpora omnino redacta in pulverem, omnino dissipata fuerint, & hac illac dispersa (qualia erunt ferè omnia corpora humana) resurrecturi videntur in eo loco, in quo mortui fuerunt, & ad quem pulveres illi colligentur: alicubi namque debent hæc duo fieri, & cùm non sit potior ratio pro loco, in quo est una particula cineris, quàm pro loco, in quo sunt aliæ, videtur, quòd ratio stet in hoc dubio pro loco illo, in quo homo ille mortuus fuit.

* * *

§. III.

§. III.

XV. In momento eo, & in eo loco resurrectionis implebuntur duæ Prophetiæ, aliquando enim, & alicubi debent verificari, & neque tempus, neque locus opportunior alius est. Una, *tunc plangent omnes tribus terræ, & videbunt Filium hominis, venientem in nubibus cœli cum virtute multa, & Majestate*: sursum enim directis oculis videbunt omnes è loco, in quo resurgent, Christum Dominum secundum humanitatem, venientem cum tota militia cœlesti in corporibus ex materia, quam Deus voluerit formatis, ut à toto genere humano videantur. Licèt enim Angeli multò magis alieni sint à corpore, quàm gravissimi Senatores, & Proceres regni, à vestibus papyraceis puerorum; induent tunc, sicut modò induere sunt soliti, ut constat ex apparitionibus veteris, ac novi Testamenti, corpora apparentia: quia, ut nuper dicebam in functione ultima, & gravissima omnium prorsus hominum, & in qua ipsorum Rex assistet, ut homo, ipsi extraneam, & aëream vestem, hoc est, figuram humanam non aspernabuntur. *Omnes Tribus* terræ, id est, ex omnibus illis septuaginta duabus familiis, ex quibus descendunt cuncti homines, multi plangent, non autem omnes omnino individui, quia in unaquaque ex illis 72. Tribubus sunt Cives Dei (qui sanè non plangent tunc) & sunt cives diaboli, qui tunc incipient planctum nunquam finiendum. Et *tunc incipient dicere montibus: Cadite super nos, & collibus, operite nos.* Item: *Abscondite nos à facie sedentis super thronum, & ab ira agni: quoniam venit dies magnus iræ ipsorum, & quis poterit stare.* Videbunt enim se vocari ad judicium, ad manifestationem coram cunctis hominibus suorum criminum, ad ultimámq; audiendam sententiam æternæ damnationis. Plangent ergo. Tunc recordabuntur, vel de novo scient, quod scriptum est. „[Vocavi, & renuistis; extendi manum meam, & non „fuit, qui aspiceret, despexistis omne „consilium meum. & increpationes „meas neglexistis. Ego quoque in interitu vestro ridebo, & subsannabo, cùm „vobis id, quod timebatis, advenerit.

Idem 24. *Luc. 23.* *Apocal. 6.* *Prov. 1.*

„Item. Tunc invocabunt me, & non „exaudiam, manè, (hoc est, citò, di„ligentes, festini) consurgent, & non „invenient me, eò quòd exosam ha„buerint disciplinam.] Continget quippe illis, quod suo typo evenit: *Orabat autem hic scelestus Dominum, à quo non esset misericordiam consecutus*: nempe, quia neq; hæc, neque illæ orationes procedunt ex bona radice pœnitentiæ, sed sunt eructationes fætidæ amoris proprii fugientis à pœna: Plangent ergo in illo momento, & loco resurrectionis. Tunc intuentes glorioſa corpora, quibus aliqui vicini resurgent Prædestinati, „dicent „[intra se pœnitentiam agen„tes, & præ angustia spiritûs gementes, „hi sunt, quos habuimus aliquando in „derisum, & in similitudinem impropeerij: nos insensati vitam illorum æstima„bamus insaniam, & finem illorum sine „honore: Ecce quomodo computati „sunt inter filios Dei, & inter Sanctos „sors illorum est: ergo erravimus. Plangent ergo. Tunc eveniet, quod Dominus voluit docere parabolâ Virginum. *Media autem nocte clamor factus est*: Reprobi namque (nempe certa quædam Reproborum species, contra quos illa parabola dirigitur. Illi nimirum, qui aliquando fuerunt Christi, atque ex concordia mollitiéque animi Christum amiserunt) videntes in tempore, & loco suæ resurrectionis antiquos suos sodales, qui tunc *fulgebunt sicut sol in regno Patris eorum*, eorum auxilium implorabunt, sed audient. *Ite potiùs ad vendentes, & emite vobis*; à suo autem quondam sponso. *Nescio vos*: Frgo plangent. Ambo responsa significant quoad substantiam *non est jam tempus*; data verò sunt sub illis verbis, ut parabolæ, ac metaphoræ obsecundaretur.

2. Machab. *Sapient. 5.* *Math. 13.* *Idem 25.*

XVI, Altera, quæ in eo loco & tempore implebitur, Prophetia est. „Venit hora, in qua omnes, qui in monu„mentis sunt, audient vocem Filii Dei, & „procedent, qui bona fecerunt in re„surrectionem judicii. In primis dicitur *venit*, nempe præsens pro futuro. Solet enim scriptura significare res futuras, quas prædixit, per verbum de præsenti, aut de præterito, innuendi causa certitudinem, ac infallibilitatem rei illius, ut notavi

Joan. 3.

notavi Decade 4. n. 120. v. g. *Projectus es de sepulchro tuo*, id est, *projiciendus es*, quia sivè hæc verba dirigantur in Nabuchodonosorem, sive in Balthasarem suum nepotem, neuter erat natus, quando hoc prædixit Isaias. Deinde in *monumentis sunt*. Quoniam licet rarissima, aut nulla corpora futura sint tunc in monumentis actu physicè, & realiter, eò quod omnia tunc dissipata erunt, & in pulverem redacta; attamen pulveres jam erunt tunc respectivè coadunati in suis respectivè locis. Locus autem proprius, & in quo solent esse pulveres corporis humani, est monumentum: Et scriptura multoties loquitur de rebus non prout sunt, sed prout solent, aut debent esse, ut exemplis ostendi Decade 3. n. 32. & 36. Præterea audient vocem, non quidem initium, sivè primam syllabam illius, ut suprà dicebam num. 7. quia tunc utpote adhuc mortui incapaces erunt audiendi (quamvis dici potest, quòd illi, de quibus dicit Paulus, quòd resurgent *Primi*, in eodem instanti, in quo incipiat sonare illa vox, resurgant resurrectione, quæ sit in signo posteriore ad initium illius vocis, quandoquidem id, quod est in signo posteriore potest esse in eodem tempore, in quo incipit esse causa sua, ut splendor solis fuit in eodem instanti, in quo incæpit esse sol) sed vocem, aut vocis partes subsequentes, quibus vocantur ad judicium. Ita ut si vox sit hæc, *surgite mortui, venite ad judicium*. Hanc secundam partem jam possint auribus corporeis audire. Humana quippe negotia vult Deus, ex mero suo placito, tractare modo humanæ conditioni accomodo, tametsi infiniti alii ei suppetant modi: accomodumq; est conditioni humanæ, quod quando magna multitudo & valde hetherogenea hominum ad tribunal venire debet, signo externo, & sensibili citetur. Rursus *Filii Dei*, quia licet Christus non sit formaturus lingua, gutture, & labiis suis vocem illam, ex ipsius tamen authoritate, & imperio formabit illam Archangelus; si autem tonitru vocat David vocem Dei: *Altissimus dedit vocem suam*, loquendo de tempestate, quidni vocari potest vox Filii Dei, illa, quæ nomine, & authoritate Filii Dei edetur? Addit

Isa. 14.

procedent, qui bona fecerunt in resurrectionem vitæ, qui ab illo momento, & loco incipient vitam æternam: quoad *corpus* quidem, quia hoc protinus acquiret dotes gloriosas; quoad *animam* item, quia si hæc jam erat beata, non cessabit profecto videre Deum ex eo, quod corpori reuniatur: *qui verò mala egerunt in resurrectionem judicii*. Hic correspondebat in resurrectionem *mortis*, sed cum illi resurrecturi sint, non tantùm ad mortem æternam, quam vocat Joannes, secundam mortem; verùm etiam ad confusionem judicii universalis, quæ erit alia pœna gravissima, quæque secum trahet illam secundam mortem; idcircò ne hæc confusio in judicio universali coram omnibus hominibus, & maximè coram notis & propinquis, tacita præteriretur, eam Dominus expræssit inquiens: *In resurrectionem judicii*: quia hoc gravissimam pœnam reprobis, nullam prædestinatis importabit. Hæc sunt, quæ incæptura videntur, à loco, & momento resurrectionis.

Joan. 5.

XVII. Dixi demum numero illo quod ad initium illius Angelicæ vocis mortuos vocantis ad judicium, Deus unicuique corpori per Angelorum Ministerium jam coordinato, in momento, in ictu oculi reuniet propriam quondam illius animam per eandem individuam unionem, quam priùs habebat. Hoc propter ineffabilem resurrectorum multitudinem est apud nos ferè inapprehensibile, *sed non erit impossibile apud Deum omne*, (id est illud) *verbum*, quia quod impossibile dicitur, non est verbum, sed mera illusio, & imaginatio cerebri, ut fusè disputavi in Prodromo Disp. 6. c. 5. & ut Dominus ipse dixit de re alia: *Apud homines hoc impossibile est, apud Deum autem omnia possibilia sunt*. Hæc resurrectio fiet, quatenus collectis priùs, unitis, extensis, & coordinatis in sexum, ætatem virilem, atque figuram antiquam particulis materiæ primæ, quæ olim fuit Petro v. g. propria, producantur in eis accommoda distributione formæ ossium, nervorum, membranarum, carnium, pellium &c. atque in eodem momento, licet pro signo posteriore, uniatur eadem individua unione substantiali; sed in momento, in ictu oculi, ut dicebam num. 2. potest Deus hæc omnia

Luc. 1.

Matth. 19.

Ezec.

facère

facere quidnì! nonnè numerus punctorum, quibus constat Empyreum, & terra, & aquæ occupantes spatium à superficie hujus, usque ad illud, sunt nobis inapprehensibiles, & fortè etiam Angelis inferioribus? Et tamen, ut ibi dixi in momento fecit Deus omnia hæc, ut explicui Disp. 1. imò, & cuncta individua Angelica, & in singulis gradus illos gratiæ, cum quibus creata fuerunt. Nonne de facto in uno quoque instanti conservat, id est, continuata successione producit, ut ibidem dixi, cunctas species, cunctáque individua creata, corporea, spiritualia, naturalia, supernaturalia, substantialia, accidentalia, quæ defacto in hoc præsente instanti sunt in hoc mundo! Et quis par est, numerando illa, nisi ipse Deus, & forsan Cherubini? quis numerabit lineas, & in quavis linea gradus lucis & caloris, quos sol hic materialis producit sursum versus firmamentum, deorsum versus nos, antrorsum versus occasum, retrorsum versus orientem, detrorsum, & sinistrorsum versus ambas regiones Polares? Et tamen in singulis momentis facit sol hæc omnia: quid ergò mirum, quod Omnipotens pro una vice faciat in momento, in ictu oculi omnia illa, quæ in resurrectione omnium hominum intervenire debent? Nonne ex costa Adæ formavit de repente integrum, & perfectum corpus muliebre cum carnibus, ossibus, nervis, venis, telis membranis, musculis, rendonibus &c. Nonne ex pauculis panibus & piscibus fabricavit brevissime quot-quot panes, & pisces fuerunt necessarii ad saturitatem ingentis multitudinis hominum? Pudere debet Phylosophum Christianum in hac re cespitare.

XVIII. Universalis resurrectionis hieroglyphicum proposuit Deus, vel Angelus ex authoritate Dei, Ezechieli. Vidit hic aliquo ex multis illis modis, quos initio hujus Disput. explicui, campum plenum ossibus. *Erant autem multa valde super faciem campi, siccaque vehementer*, Ezechiele autem ex authoritate Dei ad illa prophetante, id est, vitam promittente, *accesserunt ossa unumquodque ad junctura suam.* Præterea *super ea nervi, & carnes ascenderunt, & extensa est eis cutis desuper.* Demum: *Ingressus est in eas spiritus, & vixerunt, steteruntque super pedes suos exercitus grandis nimis valdè.* Ezech. 27.

En simbolum resurrectionis universalis. Globo terraqueo cum tota sua atmosphera inundato ignibus præcessuris nocte illa fatali diei 24. adventui judicii, qui primo mane diei 35. apparebit: Totus hic mundus plenus erit humanis ossibus omnium hominum, qui fuerunt ab Adam inclusivè usque ad noctem illam. In illa prima parte diei 35. resonabit Angelica vox, sicut Prophetica resonuit. *Ossa arida audite verbum Domini.* Sonante voce Angelica, sicut sonante Prophetica, fiet sonitus, *& ecce commotio*, nempe, quæ ex natura ipsa rei est necessaria ad collidendum, compaginandum, & reuniendum per uniones continuativas in figuras humanas tot millionum milliones ossium dispersorum per terram & aquas, quoniam *dedit mare mortuos, qui in eo erant, & mors, & infernum dederunt mortuos suos*, id est, omnes ubique sepulti resurrexerunt, & *accesserunt ossa unumquodque ad junctura suam.* In eodem tempore, quamvis in signo posteriore ad hoc, tanquam ad præviam conditionem necessariam, vestiet Deus carnibus, nervis, & pellibus ossa illa, & in eodem momento, seu ictu oculi, quamvis etiam in signo posteriore introducet Deus spiritum vitæ in eis, quasi simulachris, id est, reuniet eis easdem, quas olim habuerunt, animas, & surgent de monumentis, hoc est, de terra. *Exercitus grandis nimis valdè*, scilicet totum genus humanum, eis paucis exceptis, qui jam olim surrexerunt, & corpore, atque anima regnarunt à multis sæculis cum Christo. Et in eodem loco, ac momento, quod seminatum fuerat *corpus animale, surget corpus spirituale*, id est, incorruptibile, & insuper subtile, purum, defæcatum ab omni fæce corporea (si fuerit corpus prædestinati) in eodem momento audient sensu externo, utpote jam vivi, vocem ad judicium citantem, incipientque reproborum planctus, & exclamatio ad montes: *Cadite super nos*, id est, incipient confusio, & dolor, & timor, quæ his verbis voluit Deus significare: incipient videre, aut paulo post si fuerint in opposito hemispherio, Judicem, & pompam, ve- Apocal. 20. 1. ad Corinth. 15.

nientè de cœlo ad judicnndum: incipiet fieri ſeparatio, de qua num. 14. Aſſumentur Prædeſtinati à ſuis Cuſtodibus Angelis, & Reprobi abripientur à ſuis æmulis dæmonibus, ut utrique compareant ante Judicem, & demum evenient cætera, quæ ſuprà dixi.

XIX. Reſpondeo demùm quæſtionibus propoſitis num. 2. quòd univerſalis reſurrectio fiet inadæquatè miniſterio Angelorum, ut ſæpè inſinuavi, quod non negat P. Suarez, quamvis negare videatur. Loquitur enim de reſurrectione adæquatè per Angelos facienda, quoad formationem ſcilicet totius corporis humani, quod miniſterium malè tribuebant Angelis aliqui Authores. Explicatur: In negotio reſurrectionis ultimæ v. g. Petri (& idem reſpectivè de de omnibus aliis) intervenient hæc omnia. 1. Colligere ſparſas per aerem, per terram, per aquam, & per alia multa mixta, individuas illas particulas materiæ primæ, quæ tunc erunt ſub variis aliis formis ſubſtantialibus, olim verò componebant individuum corpus Petri eſſentialiter, aliæ integraliter primariè, aliæ etiam integraliter ſecundariè; ſed quoad illas individuas particulas colligent præſertim, in quibus conſumatum fuit peccatum, aut meritum, quia in his eiſdem debet puniri, aut præmiari, ut ſuprà dicebam; & non eſt congrua reſponſio dicere, animam illam ſuicepturam eundem dolorem, aut voluptatem, ſi uniatur individuis aliis particulis partium integrantium, in quibus puniatur, aut præmietur: quoniam eundem ſimiliter dolorem, aut voluptatem haberet, ſi uniretur corpori alii penitus adæquatè diſtincto quad omnes ſaltem partes integrantes, & tamen non poteſt dici, quòd illi unienda ſit, quoniam ſic malè, aut ægrè ſubſiſteret illud Jobi: *In carne mea, oculi mei, pelle mea*, ut ſuprà ponderabam num. 11. & ſeqq. 2. Corrumpere omnes illas alias extraneas formas, particuláſque illas redigere ad formas, ſtatúmque proportionatum, ut humanum corpus componant. 3. Combinare illas, & coordinare in eandem figuram humanam, quam olim habebat Petrus, quoad internam, & externam œconomiam, partium, & particularum, multò melius, quam Pictor, aut Statuarius paſſim combinant & coordinant quoad externã œconomiã membrorum partes, & particulas, aut colorum, aut ligni, aut marmoris, aut æris, ut exprimant figuram perſonæ ſingularis. 4. Tenace unione continuativa nectere proportionatè inter ſe has partes & particulas, ita ut perfectè formetur perfectum ſimulachrum, & quaſi ſcheleton Petri. 5. animam Petri aſportare ex cœlo, vel ex inferno ad locum, ubi formatum, & compaginatum jacet ſimulachrum illud Petri. Hujúſque pertingere poteſt virtus, & actio Angelica; Et forſan pertinget actio Angeli Cuſtodis, ſi homo ille eſt ex prædeſtinatis, & actio alterius Angeli damnati, ſi ex Reprobis fuerit homo ille: quid ni? num Angelo alterutri deficit ſcientia, peritia, vis & agilitas ad hæc omnia citiſſimè facienda! Et quamvis ſingulis deficeret, cur non poterant Angeli alii cooperari, ſicut Michael cooperatus eſt Gabrieli in negotio libertatis Judæorum à captivitate Babylonica, ut teſtabatur ipſe Gabriel: *Ecce Michael unus de Principibus primis* (quia propter egregiam illam vocem, *quis ut Deus?* cœleſtis militiæ meruit Principatum) *venit in adjutorium meum.* Et iterum: *Nemo eſt adjutor meus in omnibus his, niſi Michael Princeps veſter.* Vermes pudet; ſed non ſupremos Principes cœli, fateri, quod indigent Collegarum auxilio: nonnè multi Angeli cooperati ſunt ipſi Michaeli, quando nomine Dei & tanquam Princeps Eccleſiæ Hæbreæ huic dedit legem *in diſpoſitione Angelorum*, ait Stephanus dicit: nonne ſubverſio Sodomæ non fuit commiſſa duobus Angelis, *Venerúntque duo Angeli veſpere &c.* Gen. non ergo erit novum, aut futile, quod ſi Angelus ſolus Petri nequit citiſſimè facere quinque illa (tandem eſt creatura, & vires limitatas habet) adjuvetur ab alio ejuſdem chori, aut hierarchiæ. Non eſt utique dæmonum, aut ſanctorum Angelorum penuria, quia *millia millium miniſtrabant ei & decies millies centena millia aſſiſtebant ei*, quando Daniel vidit imaginem Dei, venientis ad judicium univerſale; vide, quæ in ſimili dixi Diſp. 1. num. 98. & 102. Dan.

Diſp. 5.ª de vit. Chriſti Sect. 4.

XX. Obj-

XX. Obijcies, quinque illa possunt fieri à Divina omnipotentia in ictu oculi. Ergo non est necessarium hoc ministerium Angelicum in resurrectione generali. Annuo: sed omnia illa, quæ juxta vetus, & novum Testamentum facta fuerunt per Angelos (iremus in longum, si illa recensere vellemus) fieri potuerunt solâ omnipotentiâ, & consequenter non fuit necessarium illud ministerium Angelicum. Nihilo tamen minus per Angelos facta fuerunt. Similiter absque sole potuit Deus illuminare hunc mundum absque alimentis conservare nostras vitas, absque Magistratibus regere populos &c. & tamen noluit, sed decrevit, quod causæ naturales operarentur, & quòd non essent in otio, & quòd unæ creaturæ subordinarentur alijs: Ergo quòd necessarium non sit, Angelos facere illa quinque in resurrectione generali, non sufficit ad probandum, quòd non facient illa. Ratio autem, non quidem facti hujus (quia fundamentum grave non habeo ad asserendum, Angelos facturos illa quinque absolutè) sed probabilitatis facti hujus, ac propterea usus sum illo verbo *forsan*, est. Ex una parte Angelus, tam bonus, quàm malus cujusvis humani individui, potest solus vel adjutus ab alio compari, facere quinque illa. Ex alia parte constat ex utroque Testamento, Deum feciſſe Angelorum ministerio plurima, quæ se solo facere poterat. Ex alia Deus vult, quòd ministri sui non sint in perpetuo otio, sed quòd interdum agant illa, quæ viribus naturalibus agere possunt, ne illi obijciatur, quòd frustra habent potentiam, quæ nunquam reducitur ad actum. Ex alia demum jucundum erit sancto Angelo reædificare quoad illa quinque, dirutum ædificium antiqui sui alumni, & boni Discipuli, in quo, & cum quo hic auscultabat suam doctrinam; huicque sanctæ animæ amabile erit ministerium, quod cernit sibi præstitum à sancto suo Custode. Diabolo autem erit nova molestia reædificare quoad illa eadem quinque pestilens tugurium infelicis animæ mancipii sui, & huic animæ nova erit pæna, quòd diabolus ei præparet horridum, & pestilentem illum novum carcerem: Ergo non videtur improbabile, quòd res ita contingat. Et hoc tantùm dico hac super re. Et hoc est unicum ministerium in resurrectione generali, quod non reor improbabile in Angelis, nempe, quoad sola illa quinque, sed requiruntur alia.

XXI. Nimirum requiritur 6to. quòd in eo scheleto producantur distributione accomoda, uniformitérque difformiter, substantiales formæ ossium, nervorum, pellium, cum tota alia suppellectili rerum substantialium, quæ necessariæ sunt ad integritatem substantialem illius corporis humani, quod olim habuit Petrus, & quibus anima huius uniebatur. De illis, quibus non uniebatur, & quas non informabat, quales sunt sanguis, bilis, phlegma, salivæ, aquæ, medullæ, & reliqua, quæ non per introsumptionem, sed per juxtapositionem crescunt, non constat. Sicut, nec de multis accidentibus, quibus constat temperamentum vitale, humorúmque combinatio, neque de excrementis, quæcunque illa sint. Imò videtur, homines non resurrecturos cum his, quia neque sunt partes essentiales hominis, neque partes integrantes quoad vitam immortalem, ad quam resurgent, sed tantùm quoad hanc vitam præsentem, quæ mortalis est, & sunt, vel alimentum v. g. sanguinis, vel alimenti effectus v. g. humores, & multæ species excrementorum, vel sunt quasi appendices quædam, & res accessoriæ ad conservandum individuum, & propagandum speciem, quibus adminiculis non egebit vita illa felix, aut infelix, ad quam resurget homo. Et in hoc sensu, hoc est, significando immunitatem ab omnibus his accidentibus, nec non substantijs accessoriis, locutus videtur Apostolus, inquiens: *Seminatur in corruptione; surget in incorruptione; seminatur in ignobilitate, surget in gloria: seminatur in infirmitate, surget in virtute. Seminatur corpus animale, surget corpus spirituale*: Mirum defæcatum, & liberum ab onere tot rerum partim substantialium, partim accidentalium, quæ in hac vita sunt necessariæ; sed non in altera; & quæ neque in hac vita informantur, ac vivificantur per animam rationalem; & quæ neque sunt partes essentiales

1. ad Cor. 15.

sentiales hominis, neque adhuc integrantes illius specificativè, ac secundùm se inspecti, sed reduplicativè, ut in hac vita. Unde vocatur corpus *spiritale*, non quia chimerica metamorphosi convertendum sit in spiritum, sed in eo sensu, in quo ventus, subtilissimæque portiunculæ nostri sanguinis vocantur spiritus. Fateor, Apostolum loqui de corpore glorioso; sed demptis gloriosis dotibus idem quoad cætera alia dici potest, de corpore resurgente ad æternam vitam inferni.

XXII. Requiritur 7mo. ad resurrectionem Petri v. g. quòd eadem sua individua anima iterum uniatur illi scheleto carnibus, nervis, & ossibus jam vestito per eandem individuam substantialem unionem, per quam illi quondam fuit unita, quæque Petro essentialis est, videlicet per illam eandem, per quam in prima animatione Petri unita fuit materiæ primigeniæ illius, ut supra dicebam; sicut enim cæteræ partes materiæ, seu corporis, quas Petrus acquirit nutritione, vel amittit actione contrariorum agentium, non sunt de essentia physica illius, quandoquidem idem homo est in pueritia, qui in ætate virili, & idem post abscissum brachium, qui prius erat. Ita cæteræ uniones animæ cum illis cæteris partibus materiæ non sunt de essentia Petri, neque partes integrantes primariè, neque secundariè ex illis, in quibus consumatur meritum, aut peccatum. Idem namque homo est post amissas multas illas uniones (quæ sanè amittuntur, quando amittitur illa pars materiæ, cum qua nectebant animam) ac erat antea, neque propter illarum destructionem destruitur illa unio primitiva, quæ sola est de essentia Petri. Neque propterea rationalis anima evadit divisibilis: siquidem substantia indivisibilis potest uniri substantialiter substantiæ divisibili per multas uniones partiales, sive particulas unionis. Vide, quæ hac super re dixi Disp. 1. Physicæ speculativæ Cap. de unione, quæ sunt merè philosophica, & rei præsenti non bene ingeruntur; sed loquimur ex suppositione illius rei Philosophicæ. Hinc fit, quòd veritas resurrectionis ejusdem absolutè hominis potest subsistere, sive Deus reproducat illas individuas portiunculas unionis, quibus olim anima Petri uniebatur singulis punctis materiæ, sive de novo producat alias, modò verificetur: animam toti illi corpori manere unitam, sicut in hac vita unita erat. In reproductione illius dictæ unionis essentialis ejusdem animæ cum eodem corpore, stat formaliter, ultimo, & completè resurrectio. Hæc duo, nempe 6tum & 7timum reor esse omnino supra vires naturales Angelicas, & consequenter à solo Deo facienda in generali resurrectione. Ex nulla probabili historia, aut ratione constat, Angelum ullum, sive bonum, sive malum, fecisse unquam, vel minimam particulam carnis humanæ, aut sanguinis; imò neque humanam pellem, aut naturalem tepo-rem sciunt, aut possunt imitari dæmones (qui tamen non amiserunt vires naturales) in scelerato commercio, quod succubi, aut incubi habere solent, cum infelicibus individuis humanis; ut ex uniformi strygum confessione scribit Martinus à Rio. Stat itaque, propriam, & veram causam resurrectionis omnium hominum esse solum Deum. Rio disq. Mag. lib. 4. q. 1. sect. 2.

CAPUT II.

De Judice, & Thronis.

XXIII. REdivivis jam cunctis hominibus, qui ab Adamo usque ad noctem antecedentem illi diei 35. concepti fuerunt, etiamsi non fuerunt nati. Item segregatis per sanctos Angelos prædestinatis à reprobis, juxta ea, quæ dixi num. 7. Item elevatis illis per suos antiquos Custodes, ut ibi suspicabar in sublimem aëris regionem, (fortè usque ad confinia atmosphæræ, quæ assurgit supra terram, saltem supra 52. milliaria, aut circiter, ut ostendi ex crepusculis cum Halahaceno Disp. 3. Physiosophiæ naturalis num. 180.) dicit namque Apostolus *simul rapiemur*, (En forsan ministerium Angelicum) *cum illis in nubibus*, (hæ formantur intra atmosphæram) *obviam Christo in aera*, qui etiam veniet in nube, *nam videbunt Filium hominis venientem in nubibus cæli cum virtute multa, & majestate*, quod repetit Joannes inquiens: *Ecce venit in nubibus, & videbit* cum

cum omnis oculus; nam licet nubium fulcris non egeat Christus, ut patet, congruum est, ut actio peragenda ab illo ut homine, ac coram omnibus hominibus, humano modo peragatur: & consequenter in throno materiali; nubes autē elevata ad confinia athmospheræ est thronus proportionatus, & visibilis à toto genere humano in ea regione coadunato, & congruum est, quod oculis carneis videant homines carnei judicem suum. Clara itaque omnia illa videntur indicia, de eo, quod magna ea functio celebrabitur intra atmospheram, & non supra 50. aut 60. milliaria à globo terraqueo, & quidem non in parte Atmospheræ incubante Europæ, Africæ, Americæ, aut toti Asiæ, sed incubante Palestinæ, ubi est vallis Josaphat, & ubi facta fuit Incarnatio, Nativitas, Prædicatio, Passio, Mors, Resurrectio, Ascensióque Domini, & ubi lex Evangelica incæpit, & unde exierunt Apostoli, Evangelistæ, atque olim exierant Prophetæ, & ubi datur locus, ut absque compenetratione sint partim in terra, partim in tota illa parte Atmospheræ, quotquot humana corpora fuerunt ab initio mundi; Siquidem ex arte militari constat, quam multi homines benè ordinati possint esse in modico spatio. Item raptatis reprobis per dæmones suos ad illam partem orbis. Item occupantibus prædestinatis aëream regionem, quæ sit à dextris illius nubis, quæ thronus erit JEsu Christi, & infixis reprobis in ea terra, quæ erit à sinistris: Et consequenter positis prædestinatis in latere Septentrionali, & reprobis in australi, si Christus obversus sit nostris regionibus occidentalibus, in quibus posuit Vicarium suum. Teatro inquam sic dispositio incipiet judicium, cujus quidditatem exponam infra.

XXIV. Duo inter alios scriptores Canonicos, unus ex veteri, alter ex novo testamento, perspicuis verbis locuti sunt de hoc judicio. Et cùm Deus per se solum, aut per Angelicum Ministerium, ut initio Disp. 3. explicui, aperiret judicii universalis imaginem, quoad illa, quæ expediebant duobus his viris adhuc viatoribus, ut ab illis nos etiam in statu viæ rem hanc disceremus, aperuit illam sub formis, & figuris vulgò notis, & usitatis apud homines in hoc statu, (tametsi aliqua ex eis, quæ significantur per illas figuras non sint futura physicè, ac realiter à parte rei, prout figuris illis repræsentantur, ut illud de *Capillis* Capitis Dei, quasi lana munda, & illud de *Libris* aperiendis) unicuique enim res dici debet in suo idiomate: Ut enim notat Paulus: *Si ergo nesciero virtutem vocis, ero ei, cui loquor barbarus, & qui loquitur mihi barbarus.* 1. ad Corinth. 14. Hac de causa scriptura sacra præsertim quoad vetus testamentum, quo tempore major pars populi minus culta, & perspicax erat, loquens de Deo, & de Angelis, toties utitur symbolis hieroglyphicis, figuris, & verbis invuentibus corpus; imò regnum ipsum cœlorum proponitur nobis sub specie, ac figura prandii opipari. *Accumbent in regno Dei*; ac per modum potus, *non bibam amodò de genimine vitis usque in diem illum, cum illud bibam vobiscum novum in regno Patris mei*; Cùm tamen ibi neque cibus, neque potus futura sint juxta firmam Pauli doctrinam: *Non est enim regnum Dei esca & potus*, nempe quia corpora nostra reformata resurgent, & immunia ab eis miseriis, quæ illorum necessitatem, aut appetitum inducunt, similiter in Apocalypsi proponitur cœlum, ut urbs gemmata cum multis aliis rerum corporearum, quia licet multi sciant non futuras ibi hujusmodi res, aramen hi ipsi, & cæteri populi christiani nequeunt absque his imaginibus rerum materialium, quarum solarum assueti sunt ab incunabulis, firmare imaginationem, ut mens aliquatenus apprehendat, & postea judicet res illas supernas. Similiter si Raphael, ut suæ dignitatis conceptum aliquem formaret, utrique Tobiæ dixit: *Ego enim sum Raphael Angelus unus ex septem, qui astamus ante Dominum.* Ambo namque illi degebant inter Babylonios, apud quos mos erat, quod septem Purpurati, qui erant primi ministri in ordine ad externa negotia, & gubernationem Monarchiæ adessent semper Regi: unde audientes Raphaelem esse unum ex septem astantibus ante Deum, intelligebant, eum esse unum è primariis Ministris Divinæ providentiæ, quoad regimen hujus saltem mundi inferiorLuc. 13. Matth. 26. Ad Rom. 14. Apoc. 21. Tob. 12.

ris; similiter significaturus Deus perpetuam, quam habiturus erat curam de Ecclesia Hebræa, usus est illa Metaphora per Isaiam. *Usque ad senectum ego ipse; & usque ad canos ego portabo* Cap. 46. quasi canorum, & senectæ esset capax Deus, cui dicitur, quòd cœlis veterascentibus, *tu autem idem ipse es, & anni tui non deficient.* Psalm. 101. Ratio autem est, quam sæpe insinuavi. Videlicet Scripturam sacram non tam fuisse divinitùs inspiratam pro Angelis, aut animabus separatis, quæ sanè non egent his figuris materialibus, quam pro hominibus viatoriis, qui eis indigent. Et ne homines in alium errorem inciderent judicantes alterius vitæ res futuras corporeas, & materiales quoad omnia, aut spiritum, carnem, & ossa habere, providit Deus Ecclesiæ suæ (quod non fecit cum obscænis metaphoris alcorani) Doctores alios, qui exponerent sensum illorum verborum, quæ aliquid carneum, & materiale insinuant. Non itaque est mirum, quod Danieli, & Joanni proposita fuerit gravissima illa res judicii universalis sub specie, ac figura rerum materialium, quarum ipsi, & nos âb infantia erant, & sumus assueti.

XXV. Igitur Daniel connectens judicium ultimum cum rebus Antichristi, *Daniel. 7.* scribit: *Antiquus dierum sedit*, id est, æternus Pater, qui nec origine, nec tempore reali, aut imaginario præsupponit aliud ante se, objectus est Danieli in eo symbolo, tanquam sedens, quia apud homines Judex sedet, quando judicat, aut judicandi potestatem committit, & in eo casu obijciebatur Deus Poophetæ, ut Judex totius mundi pergit. *Vestimentum ejus candidum, quasi nix*: Ad significandum candorem, ut jam dixi, atque integritatem illius judicii, & quod non erit acceptio personarum, & quod sicut in candore, ut tali, nivis, nulla prorsus est macula, ita in Judicem illum nullus resiliet nævus ex dissimulata ulla culpa in aliquo judicandorum, quia nil inultum remanebit, & quia sicut *omne verbum otiosum, quod locuti fuerint homines, reddent rationem de eo in die judicii*; Ita *quicunque potum dederit uni ex minimis istis calicem aquæ frigidæ tantùm in nomine discipuli, amen dico vobis non perdet mercedem suam*: Addit Propheta: *Capilli capitis ejus, quasi lana munda.* Canities maturitatem in judicio, & immunitatem à præcipitatione ostendit; Et sicut Deus quando ostendit se, ut misericordem Patrem, dixit de se Canos, & senectam, ut paulo ante retuli ex Isaia; Ita quando se ostendit ùt severum Judicem, apparuit cùm capillis albis: Addit, rursus: *Thronus ejus flamma ignis, rotæ ejus ignis accensus. Fluvius igneus rapidúsque egrediebatur à facie ejus*: quia cùm ignis sit omnium causarum naturalium terribilissima, apparet imago Dei cum magna copia ignium quando appareret in functione omnium terribilissima, qualis erit ultima illa actio judicandi totum genus humanum. De functione eadem judicii universalis dicit Joannes: *Vidi thronum magnum candidum*; sed Daniel vidit illum igneum: quia cùm judicandi sit prædestinari, & reprobari, quod illis erat signum pacis, & amoris, his erit signum vindictæ & furoris, vel quia Daniel erat vir veteris testamenti, Joannes novi, & quod in testamento veteri erat hominibus terrori, in novo est dulcedini, & securitati. Pergit: *Millia millium ministrabant ei*, nempe *alii in* ministeriis illis, quæ supra dixi, exhibenda esse per Angelos bonos in resurrectione, & judicio universali. Vel *potentia*, & promptitudine, quatenus prompti erunt innummeri Angeli ad nutum Judicis supremi. *Et decies millies centena millia assistebant ei*, quia in regiis functionibus gravissimis Aulici pars ministrant Regi, pars meré assistunt ad conciliandum authoritatem actioni: Et quamquam Deus certissimè non egeat his pompis, & quasi adminiculis authoritatis; verùmtamen in gravissima ultima actione, quam habebit coram cunctis hominibus, atque ùt homo, hominum more se genere decrevit; atque idcircò prædixit Christus Dominus se videndum in casu illo, *cum virtute multa, & Majestate.* Et postea: *Cùm autem venerit Filius hominis in Majestate sua, & omnes Angeli cum eo &c.* En illa millia millium, quæ ostensa fuerunt Danieli, & de quibus loquitur Henoc in sua Prophetia citata per S. Judam. *Ecce venit Dominus in sanctis millibus suis facere judicium contra omnes &c.* quibus si adjunges omnes

Matth. 12.

Idem 10.

Matth.

Jud. 6.

Can.

nes alios Cælicolas comitaturos Chriſtum ad judicium, jam vides pompam futuram eſſe immenſam : Concludit demùm Daniel, *judicium ſedit*, *& libri aperti ſunt*; ſed de hoc poſtea.

XXVI. Interea objicies juxtà hunc diſcurſum, qui exerciturus eſt functionem illam judicii univerſalis, eſt æternus Pater, nempe antiquus ille dierum. Sed hoc contradicit Chriſto palàm dicenti: *Joan. 5.* *Nec enim Pater judicat quemquam, ſed omne judicium dedit Filio*; Ergò ſpecies, ſive imago illa antiqui dierum, non repræſentabat æternum Patrem. Nego majorem, quoniam aliud eſt, quod publica, & ſenſibilis vox vocatura ad cælum pios, & damnatura ad infernum impios proceſſura ſit phyſicè, ac realiter à Patre, deſcenſuráque ex ejus mente, ac voluntate, ſicut etiam à Spiritu ſancto. Et hoc eſt verum, quia quidquid modo ſit de notionalibus actibus, at quoad opera externa una eſt in tribus perſonis ſcientia, una volitio, unáque omnipotentia. *Inſeperabilia quippe dicimus eſſe opera Trinitatis*, quocirca voces illæ, *venite Benedicti, diſcedite à me maledicti &c.* *S. Aug. de Prad. c. 8.* ſicut etiam intellectus, & voluntas unde procedent, erunt Patris, & Filii, & Spiritus ſancti, quemadmodum illa vox *hic eſt Filius meus dilectus*, indivisè procedebat à tribus divinis perſonis; ſed ſicut hæc non ſignificabat omnes tres Perſonas, à quibus phyſicè producebatur, ſed ſolum Patrem, quia ſolius Patris declarabatur Filius Chriſtus D. non autem Filii & Spiritus ſancti, cui diverſitati dat locum realis diſtinctio divinarum perſonarum ſociabilis cum indiviſibilitate in operando, ita illæ aliæ voces non ſignificabunt tres divinas perſonas, à quibus producentur; ſed ſolum Filium, quia hæc ſola ſanctiſſima Perſona exercebit publicè coram cunctis hominibus (in humanitate verò, quam aſſumpſit) actionem illam. 2. Aliud eſt, quòd ſolus Pater ſit prima radix, & origo totius illius poteſtatis judiciariæ, totiúsque illius Majeſtatis qua exercebitur illa actio. *S. Ambr. l. 2. de Fid. c. 4.* Et hoc quoque eſt verum, quia ſolus Pater *omne judicium dedit Filio*, ſivè, (ut ſentit Ambroſius) *generando non largiendo*, exiſtimans datum eſſe Filio, ut Deo ſive in humana generatione, ut ſentiunt Auguſtinus, & alii dicentes, datum eſſe Chriſto, ut homini, quia licet humana Chriſti generatio à tribus divinis Perſonis proceſſerit indiviſè, at ſolus Pater eſt primum principium, prima radix, ſeu origo illius, quia ex illo ſunt aliæ duæ Perſonæ, & ille ex nulla alia; Unde meritò dixit Auguſtinus loco illo de prædeſtinatione, loquens de munere docendi: *Ideò Patri hoc potiſſimum eſt attributum, quia de ipſo eſt genitus Unigenitus, & de ipſo procedit Spiritus ſanctus*; Ac propter eandem rationem ſciens Jacobus omnia noſtra bona deſcendere nobis ex tota Trinitate, non hanc totam, ſed ſolum Patrem meminit, inquiens: *Omne datum optimum, & omne donum perfectum deſurſum eſt, deſcendens à Patre luminum*: Quia nimirum hic ſolus eſt primum principium, & origo aliarum duarum Perſonarum, à quibus etiam indiviſè cum Patre deſcendit omne, quod nobis deſcendit. Vide infrà num. 51.

S. Aug. l. 1. de Trinit. c. 13.

Epiſt. Jacob. c. 1.

XXVII. Solus itaque Pater eſt primum principium totius illius Majeſtatis, & poteſtatis judiciariæ omnium hominum: Atque idcirco revelans Deus Danieli hanc magnã ultimam functionem, objecit illi primo loco ſpeciem, ſeu imaginem Patris æterni, pro authoritate ſedentis. *Antiquus dierum ſedit*, non tanquam, qui futurus eſſet Judex ſenſibilis, apparens, & manifeſtus in eo tribunali, ſed tanquam, qui eſt primum principium, & origo illius, qui publicè exerciturus eſt actionem illam, nec non poteſtatis, atque Majeſtatis, quibus illam exercebit. Unde addit ibidem Propheta; *Et ecce cum nubibus cœli, quaſi Filius hominis veniebat*, (en ſignum, & ſimbolum JEſu Chriſti objectum oculis Danielis) *& uſque ad antiquum dierum pervenit, & in conſpectu ejus obtulerunt eum*: quia ſic ſolet fieri apud homines, quando unus accipit ab alio magnam aliquam authoritatem, ſeu inveſtituram, ut ajunt: & ut dixi num. 24. Deus ſolet revelare nobis altas, & ſublimes res ſpirituales, non per ſpecies proprias, & prout phyſicè, ac realiter ſunt, vel erunt, ſed per ſpecies alienas, & prout res aliquatenus ſimiles ſolent eſſe apud homines) *& dedit ei poteſtatem, & honorem, & regnum*, in quo utique imbibitur poteſtas,

testas, & majestas judiciaria. 3. Denique aliud est, quod æternus Pater futurus sit Judex publicus, & sensibilis in judicio universali, & hoc est falsum. Non enim *Pater judicat quemquam, sed omne judicium dedit Filio*; neque infertur ex eo, quòd ille antiquus dierum esset Pater æternus, neque ex discursu scripto num. 25. neque ex toto contextu illius visionis; quinimo infertur oppositum, quandoquidem dicit ibidem Propheta, quòd ille antiquus dierum dedit ei, quasi Filio hominis (ne moretur te illud *quasi*, quia est simile alteri *quasi*, quo utitur Joannes inquens, *quasi unigeniti à Patre*, & ambo sunt verba, quæ explicant realitatem, & non significant meram similitudinem) *regnum*, ubi potestas judiciaria imbibitur.

XXVIII. Sola ergo secunda Persona sanctissimæ Trinitatis exercebit in humanitate, quam assumpsit, ultimam illam actionem, quia ipse JEsus Christus Apostolis præcepit: *Testificari, quia ipse est qui constitutus est à Deo* (nempe Patre, quia ab ipso solo procedit, & ipse solus est primum principium ex alio non procedens, omnium aliorum bonorum exceptâ Deitate, ut supra dicebam) *Judex vivorum, & mortuorum*, & quia ipse JEsus solus est vir ille, de quo Paulus prædicans judicium universale, inquit de Deo. *Statuit diem, in quo judicaturus est orbem in æquitate in viro, in quo statuit fidem præbens omnibus &c.* Et quia ipse Dominus JEsus sæpe dicit de se hoc ipsum in Evangelio sub nomine Filij hominis: & demum quia de ipso solo confitemur in Symbolo: *Venturus est judicare vivos, & mortuos.* Exercebit autem hanc functionem visibilis omnibus, & conspicuus quoad humanitatem: tum quia de hac functione loquens Joannes. *ECce venit cum nubibus.* Addit: *Et videbit eum omnis oculus*; si enim tenuissimam lucem diluculi, sive primi crepusculi assequuntur oculi nostri ex hac superficie terræ, quamvis illa sit elevata supra nos ultra 50. milliaria, ut sæpe dixi ex Halacemo; quid mirum, quòd fulgentissimum corpus JEsu Christi videatur, & quoad omnia oris lineamenta discernatur etiam ab illis infelicibus, qui affixi erunt terræ, cùm sacrosanctum illud corpus intra illa 50. milliaria exiturum sit, nempe in atmosphera hujus mundi; adjungit Joannes; *Et qui eum pupugerunt, & plangent se super eum omnes Tribus terræ*, id est ex omnibus plurimi, quia nolentes olim audire illam vocem: *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi*, audient tunc, velint, nolint, hanc aliam. Ecce leonem Juda, ecce, qui ulcisci venit peccata mundi: Tum quia ipse Dominus JEsus adjuratus à summo illo Sacerdote, respondit: *Amodo videbitis Filium hominis sedentem à dextris virtutis Dei, & venientem in nubibus cœli.* Tum quia in illa copiosa concione de fine mundi ait: *Tunc plangent omnes Tribus terræ.* (scilicet ex omnibus illis 72. familijs, in quas divisum fuit totum genus humanum, postquam cessatum fuit à turri Babelis ædificanda) *Et videbunt Filium hominis venientem in nubibus cœli cum virtute &c.* Unde arguo: Hæc testimonia significant in sensu obvio, & litterali, Christum Dominum videndum esse oculis omnium hominum. Ex alia parte nullum ex hoc sequitur absurdum, quia non propterea beatificabuntur Reprobi, quinimo majus tormentum subibunt, ut repetitum illud verbum *Plangent* significat. Ergo Christus Dominus in vertice, aut prope verticem atmosphæræ, visibilis, & conspicuus erit cunctis hominibus judicandis.

Actor. 10.

Actor. 17.

XXIX. Et quidem in throno, sede, aut tribunali ex nubibus formato. De solenni enim actione illa coram cunctis hominibus possumus respective dicere, quod de Eucharistia dixit Chrysostomus: *Si enim incorporeus esses, nuda, & incorporea tibi dedisset ipse dona, sed quoniam anima corpori conserta est* (ut tunc erit conserta) *in sensibilibus &c.* Et ratio est, quippe in primis id significant Scripturæ in sensu litterali, quas nuper proferebam. Deinde solitus est Deus, ut supra ostendi, docere homines res etiam altissimas per modos, & formas, & species, quarum assueti sunt homines: Atqui hi assueti sunt videre in actionibus gravissimis, & verè Regijs, sedentem in loco sublimi Regem, sive supremum Judicem; quia hæc materialis actio est una è comitantibus Regiam Majestatem. Ergo congruum est, quod idem contin-

Hom.

Liv.

gat

gat in ultima illa solemnissima actione mundi, vide infrà num. 49. Profectò, si ea sola futura essent, quæ sunt simpliciter antecedenter necessaria, & non illa quoque, quæ ex mero placito Divino descendunt ob fines sibi notos, nil omnino entitativè creatum foret futurum; quandoquidem nil creatum est simpliciter antecedenter necessarium. Ut Christus daret Apostolis Spiritum sanctum, non erat simpliciter necessaria externa actio insufflandi, sed quia age-
Joan. 21. bat tunc cum hominibus, illâ usus est cæremoniâ, *insufflavit, & dixit eis, accipite &c.* Prætereà cùm Tribunal Christi Domini erigendum sit in atmosphera, ut à toto genere humano videatur; & materia propria illius Regionis, non sit alia, nisi vapores, halitus, exhalationes, quæ circumplectentes globum terraqueum, ex quibus formantur interdum Comeæ satis magni & visibiles, passim autem nubes; & cùm horum vaporum sit tanta copia, ut singulis invariabiliter diebus habeamus bina crepuscula, unum ante ortum solis, alterum post occasum, quæ licet non semper oculis videantur propter densitatem nubium, semper tamen rationabiliter creduntur esse, & hæc crepusculorum lux non aliter veniat ad nos, nisi per refractionem lucis solaris, hoc est per obliquam reflexionem in nos ex vaporibus atmospheræ Cùm hæc inquam ita sint, ex horum omnium complexione colligitur prudenter, quòd thronus, sedes, seu Tribunal Christi Domini erit verè, ac realiter non ex alia materia, sed ex nubibus veris, ac realibus compactum per Angelos, quorum millia millium ministrabunt ei, ut supra dicebam ex Daniele, & Evangelio. Ex nubibus item videtur construendus Thronus ab eisdem ministrantibus Angelis Reginæ suæ, ut tunc absolutè, ac simpliciter in præsentia omnium generationum sic conspicua, beata dicatur ab omnibus generationibus: si enim Martius Coriolanus eum honorem detulit Veturiæ matri suæ, ut mentem ob-
Liv. lib. 2. firmans in destructionem Romæ neque publicis Legatis, neque Sacerdotibus, & Pontificibus supplicatum venientibus cesserit, & propter solam reverentiam matris, incæpto supersederit. Si Salomon honoravit matrem suam, & *surrexit Rex in occursum ejus, adoravitque eam, & sedit super thronum suum, positúsque est thronus Matri Regis, quæ sedit ad dexteram ejus*; non est temerarium, sed rationale judicare, Christum Dominum in actione illa omnium maxima, & ultima apud totum genus humanum, sic honoraturum Matrem suam, & ministrantes sibi Angelos jubeat, formare ex nubibus thronum Matri sanctissimæ cunctis hominibus visibilem, & supra Apostolicos ipsos thronos, ut omnes homines tunc videant, quòd *sic honoratur, quemcunque Rex honorare voluerit.* 3. Reg. 2. Ex cap. 6. Esther.

XXX. Ex eadem materia nubium, & propter eandem rationem, & ab eisdem Angelis ministrantibus Judici illi supremo, formandi videntur illi alii throni, seu sedes, quas numero duodenario promisit Dominus Apostolis: *Sedebitis super sedes duodecim &c.* addensantibus Angelis immensam copiam vaporum & subtilium, & crassiorum, & levium, & graviorum, quibus referta est tota Regio à superficie hujus globi usque ad illa quinquaginta saltem milliaria, quæ dantur atmospheræ. Et meritò corporibus illis jam glorioris, & consequenter dote levitatis fruentibus, dabuntur sedilia ex leviissima nubium materia fabricata, quia non dabuntur sicut corporibus gravibus ratione sustentationis, ne cadant, sed ratione authoritatis habendæ coram toto genere hominum, apud quos, & inter quos authoritatis est sedere in loco sublimi; & quia etiam eorum *Dominus ascendit super nubem levem*, aliquando: Et quia Isai. 19. etiam si viri Apostolici olim volabant Idem c. 60. super terram: *Qui sunt isti, qui ut nubes* Apoc. 16. *volant*, effundentes super illam, non utiq; *phialas iræ Dei*, sicut Angeli ultores; sed Marc. 16. imbrem, & rorem cœlestis doctrinæ. *Prædicate Evangelium omni creaturæ*, cui 2. Cor. 15. præcepto obedientes, *Profecti prædicaverunt ubique Domino &c.* Et hoc tanquam Angeli pacis, qui ajebant, *pro Christo ergo legatione fungimur*; si hæc inquam ita fuerunt, congruum erit, quòd in nubibus sedentes appareant coram cunctis hominibus, gaudentes, quòd adepti fuerint in hac vita eventum, quem olim optabat Moyses: *Concrescat, ut plu-* Deut. 32.

via doctrina mea, fluat ut ros eloquium meum, quasi imber super herbam, & quasi stillæ super gramina. Assidebunt forsan illis Patriarchæ quoque antiqui, & Prophetæ, qui sanè Magistri fuerunt Ecclesiæ Hæbreæ, nec non Christianæ. Certè de Abraham meminit Dominus tanquam de habente authoritatem supra gentes vitâ defunctas, quoniam Helluo ille *clamans dixit: Pater Abraham miserere mei, & mitte Lazarum* (hæc missio aliquid authoritatis redolet) *ut intingat &c.* Et similiter totum illud colloquium, atque repulsa, quam ibi Christus meminit, aliquid innuit authoritatis Abrahæ supra Lazarum prædestinatum, & epulonem illum damnatum: Et quidem non multum erit, quòd *Pater omnium credentium* tum per præputium, tum per circumcisionem coram utrisque sedeat in judicio utrorumque; neque quòd Noe, qui primitivum illum *damnavit mundum*, videatur in throno conspicuus, damnans fide sua ultimum etiam mundum incredulum; neque quòd Henoch, & Elias, qui reservati sunt ad dandum ultimis gentibus pœnitentiam, ad convertendúmque cor Patrum in filios, & filiorum in Patres, quippe sunt *duæ olivæ, & duo candelabra in conspectu Domini terræ stantes*; Sedeant tunc coram toto genere humano; neque quòd Moyses, qui olim fuit Mediator inter Deum, & homines, interfit etiam tanquam Judex actioni judicandi obedientes, & rebelles legi; neque quòd David judicet quoq; de quo in sensu litterali dicit Deus: *Ecce testem populis dedi eum, Ducem, ac præceptorem gentibus*, quæ verba, licèt in sensu allegorico conveniant illi, quem David præfigurabat, in sensu obvio, & litterali non est, cur non conveniant ipsi, quandoquidem in suis Psalmis est testis, dux, & Præceptor populorum. Hinc non est cur verba illa Domini *sedebitis super sedes duodecim judicantes &c.* intelligamus in sensu merè figurato, sicut illa de Regina Austri, & de Ninivitis, & non in sensu litterali, & obvio. Vide infrà num. 44.

Luc. 16.

Ad Rom. 4.

Ad Heb. 11.

Apocal. 11.

Isai 55.

XXXI. Meminit itaque Dominus duodecim duntaxat sedium, & duodecim Judicum, non quia illi soli Apostoli judicaturi sint, alias Judas, qui tunc erat Apostolus, judicabit, & Matthias, atque Paulus, qui tunc Apostoli non erant, non judicabunt, cùm tamen Paulus dicat: *Nescitis, quoniam Angelos judicabimus? quantò magis sæcularia?* sed quia tunc cum illis solis loquebatur, & dicere *sedebitis & vos*, non est dicere, *vos soli sedebitis*. De cætero alij etiam fungentur illo munere, illáque speciali gloria accidentali judicandi homines: unde Augustinus dixit, hanc eandem difficultatem explanans de duodecim sedibus, *Sacramentum est cujusdam universitatis*: Et postea, *non solùm ergo illi duodecim, & Apostolus Paulus*, sed quotquot judicaturi sunt (ecce agnoscit alios judicaturos) *propter significationem universitatis ad sedes duodecim pertinent*. Demum cùm in domo Patris mansiones multæ sint quoad inæqualitatem præmii essentialis; & etiam quoad diversitatem præmiorũ accidentalium v. g. quoad lauream Doctoratús, quoad sertum Virginitatis, quoad Palmam Martyrij &c. Varietas quoque erit quoad præmiũ accidentale, habendi in conspectu mundi totius thronum, seu sedem judiciariam in die judicij universalis; & sicut in hac vita non omnes Sancti fuerunt Doctores, non omnes fuerunt Prophetæ, non omnes gratiam habuerunt curationum &c. Ita in judicio universali non omnes habebunt honorem, & gloriam accidentalem judicandi genus humanum: Et demum sicut *in uno Actu corpore multa membra habemus, omnia autem membra non eundem actum habent, ita multi &c.* sic Joanni apparuerunt *in circuitu throni sedis sedilia 24. & super thronos 24. Seniores sedentes circumamicti vestimentis albis, & in capitibus eorum coronæ aureæ*: cùm procul dubio Sancti cum Christo regnaturi plures sint quàm 24. Magnis itaque cœli Proceribus sedentibus in thronis judicialibus ex nubibus formatis in circuitu throni JEsu Christi judicaturi vivos, & mortuos, & habentibus hunc honorem, & hanc gloriam accidentalem supra cæteros Prædestinatos, felicissimi nos erimus, si prius rapti in nubibus obviam Christo, sparsiq; per totam illam Regionem atmosphæræ dexterámq; Judicis, simus ex illa turba, quam vidit Joannes inquiens: [Posthæc vidi turbam magnam, quam dinumerare nemo poterat,

Act. 1.

Luc. 22.

Apoc. 4.

ex

Ib. cap. 7. ,,ex omnibus gentibus, ac Tribubus, & ,,populis, & linguis, ſtantes ante thro-,,num, & in conſpectu agni, amicti ſto-,,lis albis, & palmæ in manibus eorum. Illud autem *ex omnibus gentibus, & populis &c.* non videtur ſignificare futurum in eo numero aliquem ex cunctis illis cœtibus, quos vocamus *familias*; qui fuerunt, ſunt, & erunt; ſed ex cunctis ab Adam, & ex omnibus illis 72. originariis, in quas diviſum eſt totum genus humanum.

CAPUT III.

De Apertione Librorum.

XXXII. HAnc metaphoram aperiendorum Librorum, qua uſi ſunt ambo Prophetæ *judicium ſedit*, (hoc eſt judices, ſicut dicitur *Conſilium Regium*, id eſt, Conſiliarij Regij) *& libri aperti ſunt*, inquit Daniel. Item: *Vidi mortuos magnos, & puſillos ſtantes in conſpectu throni, & libri aperti ſunt*, inquit Joannes. Hanc inquam metaphoram expoſuit Paulus, quando loquens de adventu Domini ad judicium dixit: *Nolite ante tempus judicare quoadu{que veniat Dominus, qui, & illuminabit abſcondita tenebrarum, & manifeſtabit conſilia cordium,* (nempe, & ea, quæ ſimpliciter remanſerunt intra cancellos cordis, quæq; abſolutè vocantur *ſecreta cordis*, & ea, quæ prodierunt in actionem externam, quia hæc neque ſemper, neque omnibus eſt nota, tunc autem omnibus nota erit) *& tunc laus erit unicuique à Deo*; & hoc, vel quia laus, quam vir ſanctus habebit ab Angelis, & hominibus, erit ſpecialiter à Deo tanquam ab auctore, quatenus hic manifeſtabit illis merita omnia viri ſancti, & quidem ex intentione, ut laudent ſanctum virum, vel quia licet Deus jam multò antè laudaverit virum ſanctum. *Confitebor, & ego eum coram Patre meo, qui in cœlis eſt*: Et apud Lucam. *Filius hominis confitebitur illum coram Angelis Dei*; quæ ſanè confeſſio eſt magna laus Juſti & quam habet in cœlo ante diem judicij; verumtamen tunc in die judicii laudandum eſſe à Deo hominem juſtum dicit Paulus, quia tunc in illo die palam, & notorium fiet toti generi humano illum laudari, & approbari à Domino. Eſt autem uſitatum in Scriptura, ut ex Auguſtino ſcripſi Decade 4. Regula 3. quod res dicatur tunc eſſe, aut fieri, quando licet multò antè fuerit, cognoſcitur publicè, & palam fit illam eſſe: ut probat S. Doctor ex illo *ſanctificetur nomen tuum*, quod valet *ſanctum eſſe innoteſcat*, ubi ſimiliter explicat illud: *Cùm tradiderit Regnum Deo, & Patri*, id eſt, *cum Patre*, inquit *regnare monſtraverit, ut per ſpeciem manifeſtationémque clareſcat, quòd nunc à fidelibus creditur, & ab infidelibus non putatur*: & ſimiliter explico ibi illud de puero JEſu: *Proficiebat ſapientiâ, & ætate, & gratiâ*, id eſt, quotidie majora ſpecimina dabat, ſeu magis; & magis oſtendebat, juxta profectum in ætate, theſauros ſapientiæ, & ſcientiæ, & gratiæ, quos à primo ſuo inſtanti abſconditos habebat, ſimiliter exponi poteſt illud Pauli: *Tunc laus erit unicuique à Deo.* Igitur illa apertio librorum, quam meminit uterque Propeta, nihil aliud eſt à parte rei, quàm hæc manifeſtatio operum, & conſiliorum, quam dicit Paulus. Maxime cùm ibidem dicat Joannes. *Et judicati ſunt mortui ex his, quæ ſcripta erant in libris ſecundùm opera ipſorum.* Id eſt: Judicati ſunt ab illis, quibus Deus conceſſit honorem judicandi, ſecundùm notitiam, quas his infudit Deus de operibus judicandorum, quæ opera tanquam ſcripta in libris conſervabantur in mente Divina.

Aug. l. 83. q. 69.

1. ad Cor. 15.

Luc. 2.

XXXIII. Sed quomodo fiet hoc? Exemplo rudi; ſed aliquatenus ſimili poteſt res apprehendi. Conſidera ampliſſimam aulam, refertam totam plurimis, & plurium hetherogeneis rebus, ſed undequaque clauſam. Si eam ingrediaris, unam, vel alteram rem tactu, vel olfactu cognoſces, imperfectè tamen, quòd ſi de repente aperiantur omnes feneſtræ, & meridianus purus ſol illabatur, modico tempore oculis ipſis carneis, tametſi hi valde imperfecti, atque cæci ſint reſpectu oculorum mentis, capies, & poſſidebis illam hetherogeneam rerum multitudinem, ita ut judicare poſſis, quid pretioſum ſit, quid vile, quid mediocre, quid aureum, quid argenteum, quid palea, quid nigrum, quid album &c. Tunc ſic, conſcientiæ, & corda humana ſunt in hac vita, quaſi aula innumeris rebus plena

bonis

Daniel. 7.

Apocal. 20.

1. ad Cor. 4.

Matth. 10.

Luc. 12.

bonis, malis, mediocribus &c. sed aula clausa nobis. Ac propterea à Deo ajebat Salomon: *Tu enim solus nosti corda filiorum hominum*; nam paucorum valdè hominum, & horum ipsorum valdè novimus pauca interiora cordis, nimirū ea sola, quæ foras prodeunt, & hæc ipsa valdè imperfectè cognoscimus. Cæterùm quando veniat Dominus, aperientur omnes fenestræ hujus aulæ, quia *libri aperti sunt*, quatenus nimirum Dominus ipse *illuminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordium*. Hoc autem fiet infundendo omnibus, & præsertim Prædestinatis, sed maximè omnibus, Judicibus, quos hoc nomine, & munere honorare decreverit, claram & evidentem, vel speciem, vel notitiam omnium meritorum, atque demeritorum, quæ elicuerunt, dum mortales erant. Et hæc videtur fuisse mens Hilarii, qui de die judicii scribit: *Ea, quæ nunc occulta existimantur luce cognitionis publicæ dereget*: neque moveat te, quod reprobis detur hæc cognitio supernaturalis, nam erit ad majus tormentum, sicut conservatio caracterum, & unitio cum igne materiali; Et cùm non solùm adulti, sed etiam parvuli judicandi sint, qui nullum personale habuerunt meritum, aut demeritum, quoniam hos parvulos significare videtur Joannes, sic distinguens: *Vidi mortuos magnos, & pusillos*, (ubi magnitudo etiam, & parvitas quoad alia bona hujus vitæ intelligi possunt) *stantes in conspectu throni*, ut judicentur utique; inde est, quòd notitia illa, quam Dominus per omnes sparget, erit etiam notitia de individuis illis parvulis, qui ex hoc mundo exierunt cum, vel absque remedio contrà peccatum originale. Apertio itaque librorum, de qua Daniel & Joannes, item illuminatio, & manifestatio, de qua Paulus nil aliud videntur esse à parte rei, quam dicta clara, & evidens notitia per Deum infusa, sicut multoties in veteri & novo Testamento infudit Deus aliquibus hominibus, in aliquibus casibus particularibus aliquas notitias, sivè cognitiones particulares aliquarum rerum particularium.

2. Paral. c. 6.

1. ad Corinth. 4.

S. Hilar. Can. 10. in Mach.

Apoc. 20

XXXIV. Non aliundè profecto, quam ex Deo habebat Augustinus vivacem illam, tenacem, & evidentem cognitionem, cujus certitudine corroboratus aiebat: Audivi sicut auditur in corde, & non erat prorsus undè dubitarem. Facilíusque dubitarem, vivere me, quam non esse veritatem, quæ per ea, quæ facta sunt intellecta conspicitur. Qui viro huic tam vividam infudit cognitionem, quid mirum, quòd in judicio universali similes vividas cognitiones spargat per homines de internis, & externis meritis, atque demeritis aliorum hominum? quis ex nobis numerare potest multitudinem linearum lucis, & caloris (non piget proferre toties hoc exemplum) & in singulis lineis multitudinem graduum utriusque hujus qualitatis, quas multitudines spargit sol per totum Hemispherium, simul ac orizòntem occupat? Sicut ergo hic Planeta in momento illuminat tantam varietatem, & multitudinem rerum, quæ media nocte non videbantur, ut hic & nunc oculis ipsis corporis (aliàs satis hebetibus si cum mente conferantur) videantur ab eo, qui ex alto vertice circumspicit campos, & montes, & valles, & arbores, & domos, & virgulta, & herbas, & aquas &c. Longè melius JEsus Christus in momento, in quo judicium incipiat, illuminabit mentes hominum, & Angelorum, ut cernant immensam varietatem, & multitudinem meritorum, atque demeritorum (notitia actionum aliarum purè physicarum materialium, & indifferentium, non videtur necessaria ad judicium illud) quæ ab initio creaturarum facta sunt. Nonne tempore Elisæi, *aperuit Dominus oculos pueri, & vidit*: *Et ecce mons plenus equorum & curruum igneorum*. Discrimen solum est, quod ad videndum oculis corporis, necesse est lucem materialem diffundi suprà objecta videnda, ad videndum verò oculis mentis, sufficit & requiritur, quòd lux spiritualis, hoc est cognitio diffundatur non per objecta cognoscenda, sed per potentias cognoscituras. Ambo sunt Deo æque facilia, & hoc ultimum faciet, quia volet, in judicio universali. Faciet autem, & volet; nam id scripturæ docent in sensu literali, & non apparet ratio propter quam sensus hic deleratur, & sensus alios com-

Lib. 7. Confes. c. 10.

comminiſcamur; & conſentaneum eſt rationi, quòd ita peragatur judicialis actio, quæ de hominibus, & inter homines, & ab hominibus etiam peragenda eſt. Sparget ergò Deus dictas cognitiones tunc multòmeliùs, quàm ſol ſpargit modò innumeros gradus lucis materialis.

XXXV. Occurrunt duæ difficultates. Prima eſt. An omnibus, & ſingulis hominibus, & Angelis infuſurus ſit Deus prædictam notiam circà omnia & ſingula opera bona, & mala moraliter omnium, & ſingulorum aliorum hominum, & Angelorum? Inre, quæ ex ſcriptura non eſt multùm clara quoad has minutias, videtur dicendum 1. omnes & ſingulos habituros dictam notitiam de aliorum ſaltem in communi perſeverantia, vel obſtinatione finali. Id eſt, omnes, & ſinguli, qui rapti in nubibus obviam Chriſto in aëra erunt ad dextram Judicis, ſcient evidentiſſimè illos alteros, qui affixi terræ ad ſiniſtram erunt, diſceſſiſſe ex hac vita cum tali, aut tali ultimo læthali perſonali, aut originali: ſe autem omnes diſceſſiſſe abſque utroque, & hi omnes, & ſinguli ſcient evidenter illos alios diſceſſiſſe ex hac vita ſine ullo læthali, ſe verò cum læthali: quia ex hac differentia pendent tandem, atque universè, differentiæ aliæ, quæ tunc, & in æternum erunt inter duos illos populos, ſivè illos duos greges, tum ovium, tum hædorum. Videtur dicendum 2. omnes, & ſingulos habituros dictam notitiam de præcipuis ſaltem meritis, aut demeritis illorum cum quibus ſpecialem habuerunt relationem in hac vita, & quos cognoverunt aut commercio, aut fama, aut operibus, præſertim verò illorum circà quorum corda, animum, interioráque ſpiritus, errarunt, æſtimantes ovem eſſe eum qui lupus erat, aut viceverſa: vel æſtimantes ex bona radice prodire individuam, aut individuas actiones, quæ ex prava naſcebantur, aut è contrario: Hæc quippe notitia ſpectare maximè videtur ad judicium univerſale, univerſalitate accommodæ diſtributionis: neque hujusmodi notitia de peccatis Prædeſtinatorum data reprobis, erit illis pudori aut dedecori, ſicut nec modo ſunt Auguſtino notitiæ, quas ipſe nobis reliquit de erroribus ſui quondam intellectus, & ſuæ voluntatis in libris Confeſſionum, & Retractationum. Illa quippe notitia dabitur à Deo ſimul cum alia de vindicta, quam de ſe ipſis ſumpſerunt Prædeſtinati propter ſuos lapſus; Unde accreſcet illis apud aliosPrædeſtinatos titulus honoris, & apud reprobos motivum invidiæ; Merito namque dicit Prædeſtinatus, qui peccavit, *bonum mihi, quia humiliâſti me, ut diſcam juſtificationes tuas*, quia in ſchola pœnitentiæ diſcere ſolemus doctrinas, quas ignorabamus in annis innocentiæ. Similiter notitia de bonis quondam operibus multorum reproborum data ſuis ſociis, nec non prædeſtinatis, non erit illis honori, aut levamini ulli: quoniam etiam dabitur utrisque à Deo notitia de peccato, quibus ceciderunt ab illis meritis: Unde pudor novus & rabies accreſcet illis, audientibus tacitè exprobantes profeticas illas voces: *Qui nutriebantur in croceis, amplexati ſunt ſtercora.* Et: *Quomodo cecidiſti de cœlo Lucifer.* Et *in deliciis paradyſi Dei fuiſti.* Item: *In medio lapidum ignitorum ambulâſti*; & ſimilia multa. Videtur dicendum 3. Magnos illos Proceres, quibus ſpecialiter promiſſus eſt honor, & mundus judicandi, habituros claram notitiam omnium, & ſingulorum meritorum, atque demeritorum, quæ habuerunt omnes & ſinguli judicandi: ſi enim de uno ex judicandis, & dubitatur an ex damnandis, dum adhuc eſſet in hac vita mortali dicitur: „Dedit quoque Deus ſapientiam Salo„moni, & prudentiam multam nimis, & „latitudinem cordis, quaſi arenam, quæ „eſt in littore maris, ita ut diſputaverit „ſuper lignis à Cedro, quæ eſt in Libano „uſque ad hyſopum, quæ egreditur de „pariete, & diſſeruit de jumentis, & vo„lucribus, & reptilibus, & piſcibus? Quid mirum, quòd cerebra, & mentes eorum, quos Chriſtus Dominus munere judicandi honorare voluerit, ita dilatet, atque amplificet, ut clarè dignoſcant omnia & ſingula bona, & mala merita, quæ omnes, & ſinguli ex judicandis elicuerunt, maximè cùm actio illa judicialis duratura ſit duodecim ſaltem horas, ut dicam infrà num. 46. Ratio autem eſt, quia licet humanus intelle-

Thren. 4. Iſa. 14. Ezech. 28.

3. Reg. 4.

ctus non habeat virtutem naturalem ad tot, & tales cognitiones habendas simul, habet tamen virtutem obedientialem, sicut ad visionem beatificam, quæ pluris valet, ac æstimatur, quàm ista alia notitia; sinus autem virtutis obedientialis ampliſſimi sunt, & potentiæ infinitæ Dei proportionati. Vide alia exempla infrà num. 40.

XXXVI. Altera difficultas est. Daniel librorum solùm communium meminit: *Libri aperti sunt.* Joannes autem præter hos, librum alium specialem meminit, inquiens: *Et alius liber apertus est, qui est vitæ.* Hoc est, liber Prædestinationis, claudit enim Caput his verbis. *Et qui non inventus est in libro vitæ scriptus, missus est in stagnum ignis*: sed cum metaphora aperiendi tunc libros significet, ut supra dicebam, lucem, ac notitiam de rebus obcuris, & quondam ignoratis, per Deum tunc spargendam juxta mensuram stabilitam suâ Providentiâ, & tunc non futura sit necessaria hæc specialis notitia, ut omnes homines, & Angeli sciant, quinam sint Prædestinati ad vitam æternam, quandoquidem tunc evidenter noscent tales esse illos omnes, qui rapti in nubibus obviam Christo in aera, ipsius dextrum latus tenebunt, videtur significari apertione hujus libri vitæ, aliud diversum à numero, & qualitate Prædestinatorum. Forsan significatur declaratio; & manifestatio tunc facienda illius mysterij, cujus notitiam nec Paulus, nec Augustinus assecuti fuerunt in hac vita. Videlicet: Cur ex duobus dormientibus in eodem lecto, unus assumptus fuit, & alter relictus. Cur ex duabus molentibus eadem rota una assumitur, & altera relicta est? Cur ex eadem massâ hi formati sunt in vasa gloriæ, & illi in vasa ignominiæ? Id est: Cur inter compares tanta est diversitas, ut quin Deus sit acceptor personarum, & quin apud eum sit iniquitas, hos prædestinaverit, & in filios suos elegerit ante mundi constitutionem; illos verò repulerit, atque in servitutem dæmonum tradiderit? Hîc hæsit vir ille Augustinus, æquè magnus humilitate, atque ingenio, confugiens quoties hæc occurrit difficultas ad securissimam Apostolicam doctrinam. [Quis cognovit „sensum Domini, aut quis ejus Consila„rius fuit? Item: Tu quis es homo, qui „respondeas Deo,] Et priùs scripserat respondens eidem difficultati. [Hoc „non dico, si quæras, quare; quia fa„teor me non invenire, quid dicam. Et „alibi. Cur autem istum potiùs, quàm „illum liberet, inscrutabilia sunt judicia „ej us, & investigabiles viæ ejus. Melius „enim, & hîc audimus, aut dicimus. O „homo tu quis es, qui respondeas Deo, „quàm dicere audeamus, quasi nove„rimus, quod occultum esse voluit? „Et rursus: Ex duobus autem piis, cur „huic donetur perseverantia usque in „finem, illi autem non donetur, inscru„tabiliora sunt judicia Dei. Et rursus „de hoc eodem: Neque inscrutabilia „scrutari, neque investigabilia vestigare conemur. Latuit ergo in hac vita incomparabilem hunc virum mysterium hoc. Neque mirum est, cùm vel Paulum ipsum latuerit, vel saltem hic noluerit illud nobis aperire, ut constat ex capitibus, 9no. & 11mo. epistolæ ad Romanos, ubi hanc difficultatem versat. Forsan illius solutio fuit ex arcanis illis verbis, quæ in Paradyso audivit, & quæ ipsi dicere non licuit. Manifestatio ergo hujus Sacramenti Prædestinationis circa acceptionem personarum est forsan ille liber vitæ, qui in ultimo eo theatro generis humani aperiendus est, ut omnes homines noscant, quomodo Deus, apud quem non est iniquitas, & de quo toties nobis dicitur, quod non est *acceptor personarum*, inter compares hunc elegit, & illum rejecit: & tunc videbitur illud: *Ut justificeris in sermonibus tuis, & vincas cum judicaris.* - - -

XXXVIII. Certè si Joannes voluisset intelligi librum prædestinatorum in concreto, & apertum esse hunc librum, quatenus omnibus manifestatum est, quinam Prædestinati fuerint, vocasset eum, *Librum viventium*, sicut vocavit eum David in sensu allegorico, quando loquens in sensu litterali de morte corporali, quam peccatores merentur, ait, *Deleantur de libro viventium* (non enim est præsumendum, Davidem desiderasse æternam damnationem Imaginis Dei.) Ast cum vocet eum librum *vitæ*, hoc est Prædestinationis, atque electionis ad æternam

S. Aug. de Don. persever. cap. 14

æternam vitam, videtur voluisse intelligi à nobis apertum, ac declaratum fuisse tunc Sacramentum illud à sæculis absconditum *æternæ Prædestinationis*, sive mysterioſi illius propoſiti ſecundum mysterioſam electionem, quâ Deus, quorum voluit miſertus fuit, & quos voluit induravit; ſed non quòd apertum fuerit hoc myſterium Prædeſtinationis, quoad *quid eſt*, cùm hæc notitia mere ſpeculativa, non ſit tunc neceſſaria toti generi humano: neque quoad *an ſit*, quippe omnibus erit tunc evidens eſſe verè in rerum natura Prædeſtinatos: neque quo ad *qui ſint*; nam ſatis conſpicui erunt ad dexteram throni JEſu Chriſti; ergo quoad *cur ſint*, cùm ex eadem maſſa fuerint, ex qua Reprobi. Sed non quoad punctum illud determinatum, *cur Prædeſtinati ſint*, ſi Prædeſtinatio ſumatur pro decreto collativo gloriæ; nam perſpicuum erit, Deum voluiſſe dare gloriam individuis illis hominibus, & Angelis, quia in ultimo inſtanti ſtatûs viæ ipſorũ habuerunt gratiã ſanctificantem: Ergo quoad *cur ſint Prædeſtinati*, ſumptâ Prædeſtinatione ſtrictè, ac Theologicè, prout Auguſtinus illam ſapienter definivit, ſcilicet: *Præſcientia, & præparatio beneficiorum Dei, quibus certiſſimè liberantur quicunque liberantur*: Ergo apertio illius libri vitæ videtur ſignificare declarationem hujus myſterii, videlicet. Cur, cùm omnes ſimus ex eadem maſſa, his, ſecus illis præparavit Deus beneficia, quibus certiſſimè liberarentur, ſalva utrorumque libertate indifferentiæ, ſi de adultis loquamur: hocq; fecerit abſq; ulla iniquitate, acceptionéque perſonarum. Sed non alia beneficia diſtincta ab auxilio efficace, ut adultus in ultima periodo ſuæ vitæ rationalis, aut conſervet gratiam ſanctificantem, quam præhabebat, aut adipiſcatur, quam amiſerat: quia ex hoc puncto pendet æternitas felicitatis, aut infelicitatis, & quia largitio, atque negatio auxiliorum efficacium in alijs periodis vitæ ſtant interdum, jam cum Prædeſtinatione ad gloriam, jam cum Prædeſtinatione ad infernum; quandoquidem non raro contingit, quod ſanctè moriatur, qui ſceleratè vixerat, & è contrario; ergo tandem tandem apertio illius alius libri vitæ ſignificare videtur declarationem hujus myſterij, cur illis, qui conſpicui ſunt ad dexteram Judicis, opitulatus hic fuerit ultimo auxilio efficace ad conſervandum, vel obtinendum gratiam ſanctificantem; ſecus his, qui ad ſiniſtram ſunt: præſertim cùm inter illos ſint multi, qui graviſſimè, & ſæpiſſimè olim peccárunt; inter hos autem multi alij, qui ſanctè quondam vixerunt, & idem reſpectivè de parvulis, cur abſque iniquitate, perſonarúmque acceptione ita Deus coordinavit, & combinavit ſeriem cauſarum naturalium, & liberarum, ut illis ſubventum ſit baptiſmo v. g. antequam morerentur; ſecus his: præſertim cùm inter illos ſint multi filij infidelium, nec non fidelium, ſed ſceleratorum; inter hos autem multi filij fidelium, & quidem piorum, quod ſapienter ponderabat Auguſtinus contra Maſſilienſes. Idem reſpectivè de Angelis: Cur Deus auxilio ſuo efficace roboravit Miahaelem v.g. & Angelos ejus, ut clamarent: *quis ut Deus*, ſecus Lucifer, & Angelos ejus?

De Dono perſever. cap. 14.

S. Aug. de Don. Perſ. cap. 12.

XXXVIII. Apertio itaque Libri *vitæ* declarationem poteſt ſignificare prædicti magni myſterij, adeò intimè ſpectantis ad totam rempublicam rationalem. Et hoc: Ut vincat Deus, non ſolùm, quando creaturas judicat, verum etiam, quando impiè judicatur ab illis, exiſtimantibus, Deum eſſe acceptatorem perſonarum; Item ut toto mundo ſciente perditionem Reproborum ex ipſis fuiſſe, & tantummodo in Deo fuiſſe auxilium Prædeſtinatorum, illi ſibi imputent, non Deo perditionem ſuam; Hi Deo, non ſibi ſuam liberationem; Item, ut miſericordiam, & judicium cantent Deo omnes creaturæ; miſericordiam in Electis, judicium in Reprobis. Item: ut tunc etiam impleatur, quod dictum eſt per Prophetam dicentem: *Aperiam in parabolis os meum, eructabo abſcondita à conſtitutione mundi.* Præterea, quia hoc Sacramentum diſcretionis Prædeſtinatorum ab aliis, abſque iniquitate in Deo, acceptionéve perſonarum, cùm utrique ſint ex maſſa eadem, aliquando aperiri oportet, nunquam autem melius, quàm tunc; & demum ob alios fines Divinæ providentiæ, quos nobis revelare non

Matt. 13.

tenetur. Neque Joannes est contrarius inquiens ibidem. *Et qui non inventus est in libro vitæ scriptus, missus est in stagnum ignis.* Quasi liber ille non sit *Prædestinationis*, sed *Prædestinatorum*; tum quia, ut jam dixi, cùm Prædestinati videndi sint conspicui ad dexteram Judicis, necesse non erit, revelare tanquam quid mysteriosum, ut metaphora aperiendi librum significare videtur: quinam sint Prædestinati; tum quia eo ipso, quòd sit liber Prædestinationis in sensu dicto, est etiam liber Prædestinatorum, quamvis non sit apertio, sive manifestatio horum, sed illius: quoniam non erit manifestatio Prædestinationis in abstracto, sed in concreto, hoc est manifestatio prædestinationis personæ hujus, & personæ illius &c. Atque manifestatio, & declaratio, cur hæc persona fuit reprobata, cur illa &c.

CAPUT IV.

De Sententia Apostolorum.

XXXIX. THeatrum ultimæ hujus, & maximæ actionis Judicis supremi, cum judicandis Creaturis, erit vallis Josaphat, media inter Hierosolymam, ubi Christus passus est, & montem Olivarum, unde ascendit in cœlum. Et hoc non propter ullam necessitatem ex natura ipsa rerum; sed quia Deus ita voluit propter suos fines. *Joel. 3.* De hac volitione nobis constat ex Joele, per quem dixit: *Congregabo omnes gentes, & deducam eas in vallem Josaphat, & disceptabo cum eis ibi super populo meo*: Quamvis enim sensus litteralis horum verborum sit judicium particulare cum eis particularibus nationibus, qui particularem populum Hebræum ante enorme crimen Christicidij injustè vexaverunt; attamen sententia valde communis Ecclesiæ est, sub figura illius judicij particularis doceri judicium universale. Et congruum etiam est, quòd totum genus humanum conveniat auditurum ultimam definitivam sententiam suæ æternæ felicitatis, sive infelicitatis in Provincia illa, in qua suum Caput, & Redemptor natus est, publicavit legem, redemit illud, & ascendit in cœlum; sed ratio legitima non est alia, nisi quia judicium illud habendum est alicubi; & Deus voluit, quòd haberetur ibi. Angustiæ vallis illius etiam cum adjacentibus campis, & montibus (non enim apparet fundamentum, ut dicamus Prophetam locutum fuisse de illa Valle in sensu adeò rigido, & præciso, ut nequeunus pes humanus sit extra lineam indivisibilem Vallis illius. Loquuntur Scripturæ more humano, & non Mathematico) non erunt in causa, ut penetrentur corpora humana, quæ sane ferè innumera ibi convenient: quia ut jam dixi suprà, omnia Prædestinatorum corpora erunt sublimia in atmosphera, quoniam *simul rapiemur cum illis in nubibus obviam* 1. ad Th. 4. *Christo in aera.* Atmosphera autem cùm habeat per directum supra 50. milliaria, capax est in tota sua circumferentia multorum corporum humanorum non penetratorum. Reprobi erunt utique infixi terræ, sed dæmonum erit, aut solius providentiæ Divinæ, ita illos invicem conglutinare, ut absque peneratione, quæ absque miraculo esse non potest, sint. Jam insinuavi suprà exemplum instructorum exercituum, qui ut notum est, maximam multitudinem militum ad spatium satis breve redigere solent cum stupore ignorantium artem.

XL. Theatro sic, ut videtur disposito, incipiet judicium. Et incipiet ex illa spirituali luce, cujus suprà memini, quam sparget Christus Dominus per totum genus humanum. Hoc est ex claris illis, & perspicuis cognitionibus, quas in numero, pondere, & mensura, stabilitis Divina Providentia, diffundet respectivè per omnes homines, multò melius quàm hic sol materialis in singulis momentis diffundit circumquaque, ac per *Luc. 24.* omnes differentias loci, innumeras lineas lucis, & in singulis lineis innumeros gradus, & lucis, & caloris, & specierum visualium. Hoc effluvio cognitionum unusquisque sciet clarissimè omnia sua antiqua merita bona, & mala, ita ut unusquisque Reprobus dicere possit: *Operuit confusio faciem meam*, neque possit negare, aut dubitare, anteactam suam vitam, sciétque unusquisque juxta *Aust. 10.* Regulam, & mensuram, quam Deus præfinivit, merita bona, & mala cæterorum: nonnè duobus illis euntibus Emaus aperuit Scripturam Dominus, ita

ut

ut arderent corda eorum, qui duobus aperuit scripturas satis profectò arcanas, quid mirum, quod omnibus aperiat secreta cordium cæterorum ? nonne purpurariæ cujusdam *Dominus aperuit cor intendere his, quæ dicebantur à Paulo.* Demum, qui post resurrectionem apparens Apostolis, *aperuit illis sensum, ut intelligerent scripturas,* singulis hominibus potest in die judicii aperire sensum in mensura illis divinitus præscripta, ut in eadem mensura intelligant omnium aliorum anteactas vitas. Tunc plenè, ac in sensu litterali verificabitur illud : *Nil est enim opertum, quod non reveletur, & occultum, quod non scietur.*

Luc. ibi.

Matth. 10.

XLI. Hoc initium universalis judicii, videlicet hæc cognitio judicandarum causarum, quam Deus omnibus judicaturis, & judicandis uniformiter difformiter infundet, futurum videtur in matutino illius diei 35. juxtà ea, quæ dixi suprà num. 31. Disput. tertia, qui videtur mysteriosus ille dies, quem Zacharias ibi adductus insinuat. Et quamvis Christus D. in momento : *illuminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordium*, quatenus in momento sparget per cunctos homines cognitiones dictas (sive species intellectuales rerum præteritarum determinantes ad cognitiones dictas) determinando, & elevando per suam omnipotentiam cunctos humanos intellectus respectivè, ut divina Omnipotentia adjuti, corroborati, & elevati producant in se ipsis prædictas cognitiones, utpotè actus vitales ipsorum; Veruntamen, sicut non obstante, quòd sol in momento illuminet totum hemisphærium, nihilo tamen minùs oculi nostri indigent aliquo tempore ad cernendum cuncta, & singula, quæ ante oculos habemus; ita non obstante, quòd Christus in momento infundat cunctis hominibus species claras, & vividas omnium anteactarum operationum hominum cæterorum, hi egebunt aliquo tempore ad dignoscendum tantam varietatem, ac multitudinem actionum humanarum; nisi Deus novum addat miraculum, ad quod non apparet fundamentum sufficiens, videlicet, quod non solùm judices v. g. agnoscant clarè, ac evidenter omnia & singula merita bona, & mala omnium, & singulorum aliorum hominum, qui fuerunt ab initio mundi, verùm etiam, quod illa cognoscant in momento, quod sicut non dubito posse fieri divinitus, ita non video fundamentum, ut fiat in actu secundo, sicut video fundamentum, ut cognoscant omnia illa, & singula; nempe fundamentum jam datum suprà, videlicet, quod munus ipsum judicandi videtur id poscere, & quod Paulus id docuisse videtur, quando dixit de Domino, *illuminabit abscondita, &c.* Tempus autem hoc erit forsan ab initio illius diei 35. usque ad vesperam ejusdem diei, quia juxtà Prophetiam Zachariæ, de qua mox, illud videtur esse tempus, per quod durabit tota illa solennissima actio judicii. Hinc 1. quando dixi suprà num. 33. apertionem librorum, & manifestationem cordium nil aliud esse, quàm claram, & evidentem notitiam per Deum infusam in momento, dico disjunctivè notitiam illam, vel supernaturalem speciem divinitus infusam, rapientem intellectum in certam & claram cognitionem actionum præteritarum; sed rapientem successivè ea successione, quam Deus præfinivit; nimirum quæ duret ab antelucana parte dicti diei usque ad vesperam ejusdem, quia judicium habendum de hominibus, & etiam ab hominibus, quia Deus hos honorare voluit, vult ipse Deus, quòd peragatur humano etiam modo, si non quoad totam illam durationem, quam aliàs exigebat humana conditio; at saltem quoad aliquam.

LXII. Hinc secundo, Judicium hoc verè, ac simpliciter, & non in sensu purè figurato exercebitur ab hominibus etiam, præsertim ab Apostolis, ut dicebam ad finem num. 30. quia non est ratio, ob quam illa verba: *Sedebitis super sedes &c.* detorqueamus à sensu obvio, & litterali, quem habent; sicut enim absque præjudicio supremæ divinæ authoritatis Moysi dictum fuit: *constitui te Deum Pharaonis*, & Jeremiæ, *constitui te hodie super gentes, & super regna, ut evellas, & destruas &c.* Et in hac mortali vita passim evenit, quòd uni homines interdum improbi, interdum mediocriter justi dominentur, & judicent alios ex divina dispositione: *Non est enim potestas, nisi*

Exod. 7. Jerem. 1.

Ad Rom. 13

Psalm. 65. nisi à Deo, cui jure dicitur, *imposuisti homines super capita nostra.* Ita sine præjudicio supremæ divinæ potestatis possunt frui aliqui homines in judicio universali potestate judicaria, verè, ac simpliciter tali super alios homines; nempe quia ex sola gratia, & beneplacito divino provenit illis hoc privilegium, quòd sicut illis concessit Deus, potuit concedere mihi, aut tibi, aut cuivis alii, quem prædestinâsset ad hanc gloriam accidentalem. Et quia de elevatis ad gloriam hanc dicit Deus, quod de elevatis in hac vita ad supremam potestatem: *Per*

Prov. 8. *me Reges regnant, & legum conditores justa decernunt.* Et quia etiam apud homines in quibusdam regiis functionibus subscribunt Proceres quidam, & sigillum suum imprimunt simul cum supremæ Majestatis sigillo: tum, ut ipsi à toto regno honorentur, tum, ut actio illa majorem apud populum authoritatem habeat, utpote judicata, & stabilita à Rege, reduplicativè, ut rege, hoc est, à Rege cum sui regni Proceribus; Et de-

Esther. 6. nique, quia *sic honorabitur quemcunque voluerit Rex honorare.* Et hæc est ratio à priori. Nimirum voluntas Dei nobis per ipsum manifestata absque necessitate, ut sua verba in alio sensu intelligamus. Hæc etiam est disparitas ad illa

Matth. 12. verba: *Viri Ninivitæ surgent in judicio cum generatione ista, & condemnabunt eam.* Item: *Regina Austri surget in judicio cum generatione ista, & condemnabit eam.* Cùm enim certum sit Christum Dominum nolle honorare has personas in judicio universali, sicut Apostolos, & alios Apostolicos viros, rationale habemus fundamentum ad judicandum, verba illa directa ad Apostolos significare potestatem verè, ac simpliciter judiciariam, ut præseferunt, verba autem altera significare judicium, & condemnationem in sensu figurato. Hoc est, Personas illas ostenturas dignos esse condemnatione Judæos juxtà principium, quod stabiliv i Decade 3. num. 30. Videlicet solere scripturam dicere, rem esse, quando licet non sit in actu secundo, digna

Malach. 1. tamen est, quæ sit v. g. *Filius honorat patrem, & servus Dominum suum,* quia pater & Dominus dignus est, qui honoretur à Filio, & à servo. Tametsi multoties non honoretur in actu secundo; Item de Noë, & Arca inquit Paulus: *Per quam damnavit mundum,* id est, ostendit damnatione dignum esse.

Ibid. 11.

XLIII. Saltem itaque Apostoli erunt verè, ac simpliciter judices cæterorum. Si enim tot millibus hominum communicat Christus geminas illas stupendas potestates, nempe consecrandi, & absolvendi, quas nulli Angelorum concessit; quid mirum, quòd primis suæ scholæ discipulis sine invidia communicet potestatem judiciariam, quæ superior non est secundùm se ullâ ex eis duabus. Si mortalium superbissimus Nabuchodonosor *cecidit in faciem suam, & Danielem* Dan. *adoravit, & hostias, & incensum præcepit, ut sacrificarent ei;* non quidem ut causæ primæ, quia id Daniel non permisisset, sed, ut magno Ministro, & interpreti causæ primæ. Si suus nepos, aut filius Balthasar eundem Danielem propter quandam interpretationem, licet tristissimam ita honoravit, ut præter alia dicat scriptura: *Prædicatum est de eo, quod ha-* Dan. *beret potestatem tertius in regno suo,* quamvis ad paucas horas, ut jam sciebat ipse Balthasar, quia *eadem nocte interfectus est,* qui tamen noluit datam fidem regiam solvere. Si Pharao juveni ignoto, extero, imò & mancipio pecuniâ empto non erubuit eum honorem deferre. „Ecce Genes. „constitui te super universam terram „Ægypti. Tulitque annulum de manu sua, & dedit eum in manu ejus: ve„stivitque eum stolâ byssinâ, & collo tor„quem auream circumposuit. Fecit„que eum ascendere super currum suum „secundum, clamante præcone, ut om„nes coram eo genu flecterent &c. Denique si servis suis, usque ad mortem fidelibus, dignatus est Christus promittere servitutis obsequium per exagesim quandam: *Amen dico vobis, quòd præcin-* Luc. 12. *get se, & faciet illos discumbere, & transiens ministrabit illis.* Si hæc, inquam, certo constant, quid mirum, quod JEsus Christus ipse, cujus honor non minuitur exaltatione suorum, adeò exaltet filios suos coadjutores in arduo negotio debellandi potestates diabolicas, ut honorem & potestatem judiciariam supra reliquos omnes homines, imò & Angelos apostatas concedat? Exercebunt

ergo

ergo judicium verè, ac realiter tale super alios. Et hæc est prima pars hujus judicij, nimirum cognitio causarum certa & evidens. Unde jure dicuntur ab Ecclesia Apostoli: *Vos sæculorum Judices*, non solùm quoad potestatem ligandi, atque solvendi, quam habuerunt in hac vita, & quâ etiam fruiti sunt successores ipsorum; sed etiam quoad potestatem ligandi, atque solvendi in æternum in judicio publico, & universali, & ultimo totius generis humani: quia *sic honorabitur &c.*

XLIV. Sed cum hæc prima pars conveniat multis alijs, qui Judices tunc non erunt, quandoquidem alij multi certò, & evidenter cognoscent bona, & alia merita aliorum, ideò fungentur etiam parte secundâ Judicum, videlicet ferre sententiam æternæ beatificationis, & æternæ damnationis respective. Hæc latio sententiæ non consistet præsiè in eo, quòd dicant Christo Domino: *Justus es Domine, & rectum judicium tuum*, approbantes supremum suum judicium. Hoc enim Prædestinati omnes dicent; & tamen non omnes erunt Judices. Consistet ergo in eo, quòd magni ei homines, quos Deus prædestinavit ad tantum munus, quantum est judicare genus humanum in illo theatro totius generis humani, verbis, aut alio signo externo, quale requirit humana conditio (quandoquidem homines judicandi non minùs erunt homines, quando sint redivivi, quàm erant antequam morerentur, exceptis accidentibus quibusdam) proferant cum Judice supremo ultimam, & cunctis hominibus tunc præsentibus notam sententiam super æterna felicitate, æternáve infelicitate judicandorum, ita ut æternum Dei decretum annexuerit has duas dispares sortes prolationi sententiæ per ipsos exercendæ etiam; ipsi verò à nemine alio sic judicentur, nisi à solo supremo Judice Christo Domino, & neque à seipsis inter se. Realitas, & possibilitas practica hujus rei exemplo Catholicis satis noto aperiri potest. Apostolis, & respectivè Apostolorum successoribus, concessit Deus potestates duas judiciarias supra homines in hac vita mortali. Unam pro foro interno, absolvendi scilicet, aut retinendi peccata eorum, in tribunali pœnitentiæ. Alteram pro foro externo: ligandi videlicet, aut solvendi eos ab excommunicatione, censuríque alijs. Unde duplex judicium exercent in hac vita uni homines supra alios in ordine ad æternam vitam, & quidem absque præjudicio ullo supremæ Divinæ authoritatis: unum in foro conscientiæ, alterum in foro contentioso. In quonam autem consistunt physicè ex parte rerum hæc judicia, sive harum potestatum exercitia?

XLV. Consistunt primò in eo, quòd Judex cognitionem causæ habeat proportionatam conditioni statûs viæ, & circumstantijs tunc concurrentibus; aliàs judicium si fiat, non erit judicium, sed stoliditas. 2. Quòd verbis, scripto, aut alio signo externo proferatur sententia; aliàs erit judicium, & sententia apud solum Deum; non autem apud homines, & qualem Christus instituit. 3. Quòd Christus sententiæ à Sacerdote v. g. prolatæ infallibiliter annexuerit robur, energiam, efficaciam, sive effectum ipsi respondentem, ut verè annexuit ex mero suo placito, dignatione, ac liberalitate, sine ulla antecedente necessitate: *Amen dico vobis, quæcunque alligaveritis super terram, erunt ligata & in cœlo, & quæcunque solveritis super terram, erunt soluta & in cœlo*: Sicut infallibiliter annexuit transubstantiationem verbis consecrationis legitimè undequaque prolatis. Idem respectivè dico de judicio, quòd super cæteros omnes redivivos homines, & super Angelos apostatas, exercebunt in magna illa ultima actione, beati illi, quos Deus prædestinavit ad honorem judicandi alios. 1. Infundet illis proportionatam certitudinem, atque evidentiam causarum, ut dixi suprà. 2. Illi voce, aut signo alio proportionato humanæ conditioni, quam redivivi non exuemus, manifestabunt sententiam suam coram toto genere humano. 3. Sequetur illam infallibiliter effectus suus. Et totum hoc absque minima jactura supremæ authoritatis judiciariæ Christi Domini, sicut absq; illa exercentur quotidie ab hominibus in hac vita duæ illæ insinuatæ potestates: nempe quia has, & illam concessit Deus

Psal. 118.

Matth. 18

Deus ex mera gratia, favore, dignatione, ac liberalitate propter fines sibi notos, quos nobis revelare non tenetur, quamvis concessionem revelaverit omnium harum trium potestatum. Et quanquam Reprobi diris torquebuntur torminibus invidiæ; Prædestinati laudabunt Deum propter hoc idem, scientes, quòd Paterfamilias respondit: *An licet mihi, quod volo facere? An oculus tuus nequam est, quia ego bonus sum.* *Idem 20.*

§. II.

De Sententia Supremi Judicis.

XLVI. TAmetsi tota hæc functio peragenda sit primariè dispositione, ac viribus Divinæ Omnipotentiæ, quæ sanè non indiget multo tempore ad maxima quæque absolvenda, verumtamen, quia coram hominibus, & de hominibus, & ab hominibus etiam habenda est, humanæ conditioni, tempore indigenti in magnis operationibus, nonnihil attemperata erit. Fiet itaque in tempore; & tempus hoc duodecim saltem horarum futurum videtur, nempe à prima parte antelucana illius diei 35. usque ad vesperam ejusdem, hoc est, usque ad horam tertiam pomeridianam. Fundamentum ad hoc suspicandum est vaticinium Zachariæ: quemadmodum Christus Dominus apud Matthæum sub metaphora eversionis Urbis & templi Hierosolymitani, loquitur de eversione hujus mundi, ita ut utramque prædicat, illam, ut typum, & figuram hujus, & quemadmodum Isaias sub figura Luciferi prædicit ruinam Regis Babylonis, & Eziechel sub figura Cherubini audacis prædicit casum Regis Tyrij. Ita Zacharias conjungens felicitates, & infelicitates, quæ tempore Antiochi, & Machabæorum manebant Hierosolymam, cum extremis felicitatibus, & infelicitatibus, quæ die illa 35. manent totum genus humanum, atque utrasque prædicens, illas utique, ut figuram harum, inquit: *Veniet Dominus Deus meus, omnesq; Sancti cum eo.* Hæc verba connivere videntur illis aliis Danielis, Matthæi, & Judæ, quæ scripsi num. 25. & significant in sensu litterali adventum Domini ad judicium universale. *Et erit in die illa, non erit lux, sed frigus, & gelu,* hoc est, non erit lux pura, defæcata, ac pretiosa, ut aliqui vertunt, sed obscura, tristis, & maligna, cum frigore mixta. Quia licet jam tunc sit dies 35. eò quia sol jam futurus sit inter Meridianum Antipodum, & horizontem orientalem vallis Josaphat; cæterum cùm adhuc duraturum sit illud: *Sol obscurabitur.* Et illud: *Sol factus est niger tanquam saccus cilicinus,* quod profectò durabit, usque dum dicat, qui sedebit in throno: *Ecce nova facio omnia,* in quo casu videbimus *cœlum novum, & terram novam,* inde est, quòd *in die illa non erit lux, sed frigus, & gelu,* quia hæ qualitates regnare solent post mediam noctem, quando scilicet sol est medius inter dictum Meridianum, & horizontem orientalem, propter rationem, quam dedi in Philosophia. (Unde plerique ex eis, qui moriuntur ex morbo aliquo, tunc mori solent) sicut etiam regnare solent mense Januario, quando sol incipit appropinquare nobis, rediens ex Tropico Capricorni. *Matth. 24. Isai 14. Ezech. 28. Zach. 14.*

XLVII. Pergit Zacharias: *Et erit dies illa una, quæ nota est Domino* (quippe de die illa 35. id est, de die judicij *nemo sit, neque Angeli cœlorum, nisi solus Pater*) *non dies, neque nox*; quoniam licèt sol motu suo ordinario judicio universali durante, ascensurus sit horizontem, & transgressurus etiam Meridianum Palæstinæ; ast cum obscurus, aut luce maligna deformatus, futurus sit, non dabit diem hominibus, hoc est, lucem solitam diei; neque erit nox, quoniam sol non erit absens ab illo hemisphærio, sed faciet suum ordinarium cursum, contra quem nihil habemus ex Scripura, sicut etiam facit illum, quando Eclypses naturales patitur. Adjungit Propheta: *In tempore vesperi erit lux*: Et cùm vesper incipiat horâ tertiâ pomeridianâ, quando nimirum sol transgressus est per 45. gradus, Meridianum, tunc renovandus videtur sol, & fulgorem adepturus, quem dixit Isaias de illo, & de luna. *Erit lux luna sicut lux solis, & lux solis erit septemplicata sicut lux septem dierum*; quæ locutio licèt sit figurata in ordine ad populum Hebræum, & significet ingentem lætitiam, quâ hic perfundendus erat *in die, quâ adlega-*

alligaverit Dominus vulnus populi sui, & percussuram plagæ ejus sanaverit; nihil prohibet, quòd significet ad litteram magnum excessum fulgoris compensaturi tenebras paulò anteriores, quo hi Planetæ, nec non reliqua sydera donabuntur à Deo, quando renoventur, & quando eveniet, quòd cum Petro speramus. *Novos verò cœlos, & novam terram, secundùm promissa ipsius* (nempe apud Isaiam, & Apocalypsim) *expectamus.* Atqui novus hic, & septuplò major splendor solis, seu hæc renovatio mundi cœlestis, videtur futura immediate post judicium universale, quoniam immediate post hoc narratum Capite 20. Apocalypsis exorditur Joannes cap. 21. illis verbis: *Et vidi cœlum novum, & terram novam. &c.* Et res ipsa poscere videtur hanc continuationem harum rerum, quia non apparet ratio, ob quam judicio universali jam perfecto, differatur dicta renovatio facienda per solum Deum, aut etiam ministerio Angelorum, quorum numerus, ac vires impares non sunt subserviendo huic renovationi cœli, & terræ pro habitatione omnium Prædestinatorum, qui ratione agilitatis erunt, ubi voluerint, sive in cœlo, sive in terra, in qua olim sua prælia habuerunt, & ubiq; beati erunt, quia ubique visione, atque amore beatificis fruentur. Ergo magna illa actio judicii universalis videtur duratura duodecim saltem horis, videlicet à prima parte diei illius 35. usque ad ejusdem horam tertiam pomeridianam, seu ab initio temporis, quod expendit sol in itinere à 45. gradu infra horizontem orientalem Palæstinæ usque ad 45. ultrà Meridianum ejusdem, qui calculus si exactè, ac præcise constaret nobis, octodecim horas daret; sed cùm Scriptura non soleat loqui Mathematico rigore, sed morali, & humano modo, hac de causa contentus fui dicere *duodecim saltem horis.*

2. Petri 3. Isai 65. & 66. Apocal. 21.

XLVIII. Finietur itaque maxima illa functio horâ tertiâ pomeridianâ diei illius sæpe dicti. Et horâ eâdem continget mundi cœlestis, & terrestris renovatio. Et quidem non sine consonantia, & proportione ad alia priora. Nam 1. Horâ illâ redemptum fuit genus humanum, & superabundans pretium solutum fuit pro illo in Cruce. *Circa horam nonam clamavit JEsus voce magna &c.* Matth. 27. Jam autem adverti Disput. 1. horam nonam Hebræorum coincidisse cum nostra tertia pomeridiana; ergo congruum est, quòd illâ eâdem horâ declarentur publicè, ac definitivè, qui redemptione illa fruiti sunt, & qui fruiti non sunt. 2. Illâ eâdem horâ facta fuisse videtur prima lux mundi, ut dixi Disp. 1. n. 23. & 41. nec non discretio inter Angelos sanctos, & Angelos apostatas, ut dicebam Disp. 1. num. 39. & seqq. Eadem recurrente facienda videtur ultima, & definitiva inter homines, qui ambulârunt, *dum lucem habebant*, & homines, *qui in tenebris, & in umbra mortis sedere maluerunt.* 3. Illâ eâdem horâ obortus est cæcis locis lymbi novus fulgor ex anima Christi ad illa loca obscura descendente. Proportionatum videtur, quòd illâ etiam horâ nova lux illabatur huic mundo, qui paulò antè juxta Zachariam habebat diem sine luce, & diem, qui neque erat dies, neque nox, sed dies frigore, ac gelu obsitus. Demum horâ tertiâ pomeridianâ sol creatus fuit in primo gradu Arietis, & in 45. gradu ultrà Meridianum Paradysi terrestris, ut philosophabar Disput. 1. n. 23. & seqq. Notatu demum dignum est, quòd Ecclesia Hebræa jubebatur observare in suis Festivitatibus vesperâ: *A vespera usque ad vesperam celebrabitis Sabbata vestra*: quasi digito enim ostendebat Deus jam ex illo tempore vespertinum tempus, tanquam in quo aliquid magnum futurum erat. Levit. 23.

XLIX. Hæc præmiserim circa tempus, quo duratura videtur magna illa actio judicij universalis, sed ante ejusdem finem, & consequenter ante fatalem illam vesperam diei 35. dicti, ferenda est Judicis supremi JEsu Christi definitiva sententia. Sed prius revocandum in memoriam est id, quod num. 29. insinuavi, quódque frequenter occurrit in utroque testamento, & ex cujus oblivione, qui plus justo adulatores sunt abstractionis à sensibus, & Platonizare affectant, aberrare solent à veritate. Prorsus verum est, quòd Deus non eget altioribus rebus, aut signis externis, sensibilibus, & materialibus

in ordine ad se, neque in ordine ad Angelos, neque in ordine ad animas separatas, imò neque in ordine ad homines ipsos, ut tales, quandoquidem per actus merè spirituales, & ab omni re sensibili entitativè in se abstrahentes, potest illis, ut talibus, manifestare evidenter quæcunque manifestari possunt per signa, res, aut actiones materiales, & sensibiles: Verumtamen ex dignatione, ex mero placito suo, atque indulgendi ergo humanæ conditioni, sive propter alios fines, quos nobis pandere non tenetur, utitur, & frequenter usus est actionibus, rebus, & figuris externis materialibus, atq; sensu perceptibilibus inter agendum cum hominibus, & coram hominibus. Certè sicut liberavit Henoc à diluvio sine arca, potuit liberare quoque octo illas personas, voluit tamen ad hunc finem uti medio illo externo, atque oculis perceptibili, & quòd ejus fabrica duraſſet centum ferè annos, ut homines illi antediluviani *nequaquam sibi crederent negligendum, quod tanto nunciabatur indicio*, prout de re alia loquitur Leo. Poterat de novo producere post diluvium species animalium perfectorum, tametsi omnes periissent, voluit tamen externam illam curam, & providentiam Noe; *ex cunctis animantibus universæ carnis bina induces in arcâ &c.* Poterat sine arcu cœlesti reddere homines securos de non futuritione alius diluvij, sed voluit determinare rem illam oculis perceptibilem *Arcum meum ponam in nubibus &c.* Et unde homines timere sibi poterant inundationem aliam, ibi securitatis pignus cernerent, & sicut vident tumentes fluctus maris arena coerceri, ita viderent tenaces nubium phalanges arcu illo, sicut fræno compesci. Poterat legem dare sine externo, & sensibili eo apparatu, quem dicit Scriptura, sine tonitru, fulgure, nube, igne, fumo, tuba &c. voluit tamen, quòd sensibilia hæc, & materialia intervenirent in ea functione, connivendi ergo conditioni hominum, qui externis his, & sensibilibus rebus tenaciùs apprehendunt gravitatem rerum. Potuit absque insidijs tradere Hebræis oppidum Hai, sicut Provincias integras tradidit, præcepit tamen Josue: *Pone insidias urbi post eam*, quia agens cum Imperatore exercitûs, ac de re militari, uni ex militaribus artibus voluit indulgere tunc, & Hebræos assuefacere, ne semper expectarent miracula. Potuit concedere Davidi victoriam de Philistæis, quamvis ipsos à fronte adoriretur, ut toties concessit. Voluit tamen in quadam occasione, quòd non aliter eos vinceret, nisi utendo stratagemate militari; *Non ascendas contra eos, sed gyra post tergum eorum, & venies ad eos ex adverso pyrorum: & cùm audieris sonitum gradientis in cacumine pyrorum, tunc inibis prælium*, nempe quando revertentium faciem contra te, & contra tuos, ventus percutiat. *Quia tunc egredietur Dominus ante faciem tuam*, quia licèt ipse solus det victorias, eò quòd ipse solus est Dominus exercituum, voluit tunc, quòd in re militari, ars militaris haberet partes suas, & quòd David non ita assuefieret specialibus providentijs Divinis, ut humanas omitteret.

L. In novo etiam testamento sunt crebra exempla. Sine illa cæremonia externa insufflandi potuit largiri Apostolis facultatem ligandi, atque solvendi, ut jam suprà notavi, verumtamen insufflavit, & dixit eis: *Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, &c.* ut externâ hac cæremoniâ discerent illi, & per illos sciremus nos, quòd sicut spiratio ex intimis procedit visceribus spirantis, ita Spiritus sanctus ex Christo physicè procedit, & stupenda illa potestas ex ipsius Christi meritis moraliter, tanquam prænium nascebatur: sine cæremonia elevandi manus potuit benedicere eisdem; nihilominus elevatis manibus suis benedixit eis, quo externo signo adverterent benedictionem non esse de rebus terrenis, sed cœlestibus: absque cæremonia elevandi oculos ad cœlum potuit Lazarum suscitare, & tamen *elevatis sursum oculis dixit Pater &c.* ut externa illa actione scirent omnes, quòd licèt Patris, & Filij, & Spiritûs sancti una est Majestas, & gloria; Pater tamen est prima origo, à qua descendit *omne datum optimum, & omne donum perfectum*: Absque strepitu, & indicio illo corporeo potuit mittere Spiritum sanctum, voluit tamen multas cæremonias materiales ibi intervenire,

S. Leo ser. 44. de Epiph.

Genes. 6.

Ibidem 9.

Exod. 19.

Josue 8.

Joan. 20.

Epist. 9.

Factus est repente

Actor. 2. *repente de cœlo ſonus tanquam advenientis Spiritus vehementis, & replevit totam domum, ubi erant ſedentes: Et apparuerunt illis diſpartitæ linguæ tanqnam ignis, ſedítque ſuprà ſingulos eorum*, propter ſalubres doctrinas, quas in unaquaque ex his circumſtantiis externis didicerunt Theologi.

Vide Puente Med. ſup. hoc Myſter. Tempus me deficeret, ſi congerere vellem omnes caſus veteris ac novi teſtamenti, in quibus Deus agens cum hominibus, & coram hominibus, uſus eſt cæremoniis, rebus, ſignis actionibus externis corporeis, & ſenſibilibus, ut tangendi oculos, imponendi manus ſuper capita, permittendi tangi fimbriam ſuæ veſtis &c. Et ratio eſt, quàm initio hujus diſcurſus tetigi, & ſupra inſinuaverat Chryſoſtomus de Euchariſtia diſputans, nimirum: Tametſi hujusmodi res ſenſibiles non ſint neceſſariæ reſpectu Angelorum, animarùmve ſeparatarum, imo neque reſpectu hominum ipſorum ſenſitivorum, & materialium ſint ſimpliciter neceſſariæ, quandoquidem in ſecreta ſchola cordis multa docet illos Deus abſque ullo apparatu externo, & ſenſu perceptibili: Attamen cum homo ex ſua conditione ſit etiam cognoſcitivus per ſenſus externos, & multò meliùs cognoſcere ſoleat horum adjutorio quando non intervenit ſpecialis elevatio per omnipotentiam divinam, hac de cauſa ſolitus eſt Deus docere illos jam ut ſeverus Judex, jam ut miſericors Pater per externum ſenſúque perceptibilem apparatum, ut initio hujus diſputationis dicebam de viſionibus, quas habuerunt Prophetæ. Cúmque ultima illa graviſſima functio judicii univerſalis futura ſit coram cunctis omninò hominibus, ùt talibus, atque de illis, & non coram animabus ſeparatis, aut coram ſolis Angelis; Inde eſt, quòd iniquè Platonizaret, ac Origenizaret, qui reduceret ad res merè intellectuales, & à materia abſtractas cuncta illa, quæ nobis dícunt ſcripturæ de rebus externis, & ſenſibilibus ibi interventuris v. g. de nubibus, de thronis, de dextera, atque ſiniſtra, de voce judicantis &c. quòd ſi aliquid intelligendum eſt, ſcriptum fuiſſe in ſenſu figurato, ut illud de libris, de accuſatione facienda per diabolum, & ſi quid eſt aliud, natura ipſa rei dat diſparitatem, v. g. hoc de accuſatione; non eſt ad finem ullum neceſſaria accuſatio his noſtratibus ſimilis, quando, & judici, & reo, & omnibus circumſtantibus eſt nota cauſa, prout tunc nota erit, ùt explicui inter diſputandum apertionem librorum, & quando inſuper unicúique ex judicandis jam eſt nota ſua ſententia, prout nota eſt animabus, ubi primum ſeparantur à corporibus, & quando coadunatio judicandorum eo fine fit, ut publicè, atque omnibus innoteſcat ſententia ſingulis privatim notificata quondam.

LI. Evenient itaque phyſicé, realiter, ac materialiter ea, quæ dixi de nubibus, de throno Judicis, de ſedibus, de voce externa, quâ promulgabitur ſententia &c. Theatróque illo hoc Syſtema habente, præſuppoſitisque eis, quæ jam dixi, JEſus Chriſtus Filius Dei conſtitutus Judex vivorum, atque mortuorum, exordiens à prædeſtinatis, ut ipſe dicit per Matthæum voce humna, & intelligibili (& forſan Hebræa, quâ ipſe uſus fuit, & conſequenter non pura illâ quæ fuit ab initio mundi, ſed aliquatenus mixtâ cum ſyrica, prout mixta fuit poſt captivitatem Babylonicam) dicet: *Venite benedicti*, quod licet quoad actum ſecundum verè, ac ſimpliciter obediendi legi, & perſeverandi, ipſorum quoque fuerit, quatenus prævento- *Exod. 33.* rum, & adjutorum per gratiam Dei; *Ad Rom. 9.* quoad prædeſtinationem tamen ad hanc gratiam, ſolius Patris fuit, quia illius ſolius fuit, qui dixit: *Miſerebor cujus miſereor, & miſericordiam præſtabo, cujus miſerebor*: quoniam *non volentis, neque currentis, ſed miſerentis eſt Dei*, qui, *cujus vult miſeretur, & quem vult indurat*; Largiendo illi ut miſericors Pater, & negando huic propter inſcrutabilia ſua judicia illam Spiritus ſancti gratiam, cujus adjutorio hominé perſeveraturum prænoſcebat; nam licet magnum illud perſeverantiæ donum, *ſuppliciter emereri poſſit*, ut Maſſilienſes docebant, & Auguſtinus illis conceſſit; attamen ſupplex illud meritum, præter quam quod debitum non fundat, trahit originem ex indebita gratia Dei. Erunt itaque *Benedicti* adulti illi prædeſtinati propter ſua merita reſolvenda tandem in puram

Matth. 25.

Ibidem.

S. Aug. de Don. Per. 6.

Ad Rom. 9.

gratiam, & clementiam Dei, qui potens
Psalm. 20. illos facere vasa contumeliæ, fecit illos vasa honoris, & quia prævenit eos *in benedictionibus dulcedinis*, ideò Benedicti erunt, & ponetur super caput eorum corona de lapide pretioso. Perget Christus, *Patris mei*, vide suprà num. 26. quià licèt Filii quoque ipsius, nec non Spiritus sancti sint Benedicti, ideò *Patri*
Aug. c. 8. de Prædest. *hoc potissimum est attributum, quia de ipso est genitus Unigenitus, & de ipso procedit Spiritus sanctus*, ut de re alia, sed simili, nempe de doctrina Patris loquitur Augustinus. Specialem semper ostendebat curam Christus Dominus tribuendi eximia opera primo principio, primæq; origini
Idem ibi. eorum, nempe Patri, quam vis simul, & indivisè omnia sint totius beatissimæ Trinitatis. Quoniam primum principium, quod simul est ultimum resolutivum, maximè considerandum est inter tradendum arcanas doctrinas: & confirmatur exemplo fidei, qua justificari
Trid. Sess. 6. c. 13. dicimur, quia, ut ex Augustino docet Tridentinum, *ipsa est humanæ salutis initium.* Perget: *Possidete paratum vobis regnum à constitutione mundi*, quia & *in principio creavit Deus cœlum & terram.* Et
Ad Hebr. 2. *eligit vos in ipso*, (hoc est tanquam membra ipsius Christi, sive propter merita ipsius, qui propterea dicit: *Ecce ego, & pueri mei, quos dedit mihi Deus &c.* juxtà Paulum) *ante mundi constitutionem*, non
Aug. de Prædest. cap. 18. & 19. quia jam eramus, aut ex nobis futuri eramus, sed, *ut essemus sancti, & immaculati in conspectu ejus in claritate*, ut notat Augustinus non semel tantùm. Paratum itaque fuit benedictis regnum à constitutione mundi, per mysterioſam illam electionem, per arcanum illud pro-
Ad Rom. 9. positum, de quibus Paulus.

LII. Licèt enim decretum collativum gloriæ sit proximè immediatè propter merita illorum, quando est gloriæ collativum, ut *coronæ*, & præmii, quando autem est collativum gloriæ, ut *meræ hæreditatis*, sit proximè immediatè propter solam gratiam sanctificantem, ut contingit parvulis; attamen, quod hic parvulus, secus ille decederet ex hac vita baptizatus, item, quod hic adultus, secus ille in ultima vitæ rationalis periodo præventus, & adjutus fuerit internâ illa Spiritus sancti gratiâ, quâ ipsum perseveraturum præsciebat Deus infallibiliter; hæc inquam tandem resolvuntur in electionem illam mysterioſam, arcanúmque propositum, de quibus Paulus, qui propterea postea recurrit, & cum eo Augustinus, cujus testimonia dedi num. 36. ad inscrutabilia judicia Dei, & inve-
Aug. de Prædest. cap. 1. stigabiles vias ejus: non me fugit Augustinum de hac discretione pura ab omni iniquitate, acceptationèque Personarum disputantem, recurrere interdum ad communem corruptionem totius nostræ naturæ humanæ in Adamo, proferreque Apostolicum illud: *Judi-*
Adam. *cium quidem ex uno in condemnationem*, quasi originale peccatum sit causa propter quam Deus deserit, quos deserit: Unde concludit: *qui ergo liberatur, gratiam diligat, qui non liberatur, debitum cognoscat*, quod ibi, & alibi aliis terminis repetit sanctus Doctor; sed recursus hic est ad rationem proportionatam sanè particularem, & ex subjecta materia erutam, quam tunc versabat S. Doctor; non verò ad rationem unicam, & universalem pro omni discretione, & ultimò resolutivam. Tum quia eadem difficultas, quæ præmit in discretione inter homines, præmit in discretione facta inter Angelos, quando Deus divisit lucem à tenebris, & Angelos lucis ab Angelis tenebrarum, & tamen ibi non valet hæc solutio, siquidem neutri Angeli habuerunt peccatum originale. Tum quia alibi frequenter recurrit idem S. Doctor, difficultatem hanc vitaturus, ad incomprehensibilia judicia Dei, quæ sola sunt ratio universalis pro Angelis, & hominibus, quæque est in hac materia prima, ultima, & quasi à priori, vide suprà num. 36. verba, quæ ex ipso protuli. Tum quia Paulus pro hac eadem expedienda difficultate ad hanc solam confugit rationem. „O altitudo divi-
„tiarum sapientiæ & scientiæ Dei!
„quàm incomprehensibilia sunt judicia
„ejus, & investigabiles viæ ejus? Quis
„enim cognovit sensum Domini? aut
„quis consiliarius ejus fuit? Corruptio autem totius naturæ atque discretio inter laborantes eodem morbo, facta sine iniquitate, quamvis difficultatem habeat apud nostram ruditatem, non tamen tantam, ut penitus sit à nobis in-

appre-

apprehendibilis: quotidie quippe experimur in noſtris ipſis rebus civilibus rem quodammodo ſimilem; nempe quando caput familiæ patrat crimen læſæ Majeſtatis, propter quod ſoboles tota honoribus, privilegiis, & patrimonio privatur, miſerente poſteà Rege alicujus, vel aliquorum ex infami ea familia, & ſinente alios in ſua miſeria; quæ frequentia exempla, licèt non ſint exactè ſimilia rei præſenti, aliquam cum ea habent proportionem, ut per ea aliquatenus apprehendamus rem præſentem.

LIII. Perget Judex: *Eſurivi enim, & dediſtis mihi manducare, ſitivi &c.* Sed occurrit protinus antiqua difficultas. Inter eos, qui ad dexteram Judicis fulgebunt, erunt multi, qui vel ratione ætatis, vel ratione impotentiæ phyſicæ, aut moralis, vel ratione vitæ ſolitariæ à teneris annis nunquam exercuerint cum fidelibus opera illa miſericordiæ, quæ Chriſtus Dominus nominat. Solutio Maldonati eſt valdè probabilis. Referens Dominus ſententiam tunc dandam ponit illa verba, non quia illa, ùt talia prolaturus ſit, ad totam hominum ſanctorum univerſalitatem; ſed quia cum ſemper adhortatus fuerit miſericordiam cum proximis, & paſſioni jam proximus hoc inſtanter popoſcerit à Patre, non ſolùm pro Apoſtolis, ſed etiam pro nobis omnibus, qui crediturí eramus per verbum eorum, ut *omnes*, inquit, *unum ſint* (nempe reſpectivè, ac in ſuo genere) *ſicut tu Pater in me, & ego in te, ut & ipſi in nobis unum ſint.* Et rurſus: *Ut ſint unum* unitate ſcilicet, cujus capaces ſunt, *ſicut & nos unum ſumus.* Cùm hanc, inquam, reciprocam benevolentiam, & miſericordiam inde emanantem ſemper ſuaſerit, de hac cauſa poſuit opera miſericordiæ in prædictione illius ſententiæ, pro exemplo, & quaſi ſpeciem unam pro toto genere. Quamobrem illa verba: *Eſurivi enim &c.* non inferunt, quòd Chriſtus ipſe dicturus ſit hoc ad omnes, qui erunt ad dexteram: ſed quod unicuique dicet omnia & ſingula ſua merita, ex quorum omnium genere deprompſit per modum exempli, & quaſi *verbi gratia* dixiſſet opera miſericordiæ, quia horum memoriam, & curam altè inſidere communitati ſuorum volebat. Rurſus neque videtur, quod omnibus & ſingulis dicturus ſit conceptis verbis omnia & ſingula ſua merita, quia jam vides, quòd multis annis opus eſſet ad hanc relationem faciendam reſpectu omnium & ſingulorum hominum per viam verborum, quæ ſuapte natura ſunt ſucceſſiva, & non ſunt viſio corporalis, & multò minùs ſicut intellectualis, quæ inſtantanea poteſt eſſe circà plurimas res. Videtur itaque ſenſum illorum verborum: *Tunc dicet Rex his, qui à dextris ejus erunt: Venite &c.* eſſe hunc. Venite propter iſta; quæ habuiſtis merita, & quæ toti huic theatro omnium hominum oſtendo (vide, quæ ſuprà dixi de apertione librorum) in ea menſura intenſionis, & extenſionis, quam mea Providentia præſcripſit. Venite, & vos, qui parvuli quondam fuiſtis, propter iſtam gratiam ſanctificantem, quâ fruimini, vobis datam tanquam remedium contra peccatum originale, quod remedium vobis miſericorditer conceſſit Deus Pater. Ad quæ verba proferenda non opus eſt multo tempore, neque ad ea intelligenda, ſiquidem tunc jam diffuderit Chriſtus in intenſione, ac extenſione dictis per cunctos homines cognitiones, aut ſpecies meritorum, & demeritorum cujuslibet ex judicandis, ùt dicebam in loco citato.

Mald. in 25. Matth.

Joan. 17.

LIV. Verumtamen hoc non concutit inmobilem veritatem Evangelici textus de Chriſto manifeſtante motivum ſuæ ſententiæ erga Prædeſtinatos, & adverſus Reprobos; Etenim duo videtur dicturus tunc Chriſtus Dom. Unum ad generalitatem prædeſtinatorum, & eſt, quod nuper dicebam: Alterum ad collegium & claſſem determinatam miſericordium propter novam accidentalem gloriam horum, atque in honorem hujus virtutis, quam adeo commendatam voluit fidelibus omnibus, Et hoc eſt, quod textus dicit: *Eſurivi enim &c.* Ex una quippe parte prædeſtinati illi, qui propter cauſas in objectione inſinuatas nunquam exercuerunt opera illa miſericordiæ (ſi confugias ad æquivalentias, virtualitates moralitates v. g. ad campos interminabiles confugies, quia vix quidpiam eſt, quod quoad aliqua non ſit moraliter, virtualiter, & æquivalenter aliud) nequeunt propter illa vocari ad

cœlum, cùm tamen vocandi sint, & publicè dicenda sit causa propter quam vocantur. Ex altera parte Dominus ipse testatur, se dicturum verba illa, & futurum fore colloquium illud inter se, & illos sanctos. Id enim præseferunt verba Evangelica, & ratio non apparet, propter quam à sensu suo litterali, & obvio detorqueantur in alium figuratum, quandoquidem novum non est, quod in præmium specialium aliquarum virtutum specialem gloriam accidentalem largiatur Deus, ut in præmium Virginitatis, Doctoratus, Martyrii &c. quin propterea declaret virtutes illas esse majores ex genere suo virtutibus aliis, quia majoritas virtutum non taxatur à posteriore per majoritatem præmii accidentalis, sed præmii essentialis, & hoc quando cætera sunt paria; Ergò revera in honorem misericordiæ, atque in gloriam magnam, licèt accidentalem virorum & mulierum misericordium, continget physicè ac realiter coram toto genere humano illud colloquium, quod in sensu obvio, & litterali dicit Evangelicus Textus, quin propterea virtus misericordiæ declaretur major ex genere suo aliis virtutibus. Proferet igitur Dominus utraque verba in sententia vocante ad cœlum prædestinatos, nempe quæ scripta sunt in Evangelio, dirigentur determinatè, & sigillatim ad collegium misericordium; quæ autem scripsi numero antecedente dirigentur ad universalitatem prædestinatorum. In hoc quippe non apparet specialis difficultas, & videtur magis consentaneum, tum Evangelico textui, tum naturæ sententiæ proferendæ in favorem aliorum prædestinatorum. Admonuit autem nos Dominus de sola ista parte sententiæ, quæ dirigenda erat ad misericordes, vel Evangelista illam solam scripsit (tametsi Christus alteram illam quoque dixerit) commendandi ergo nobis hanc specialiter virtutem, & admonendi nos de illa specialiter (si cætera adsint prærequisita ad æternam beatitudinem) faciendam esse publicam mentionem in die judicii coram toto genere humano, & multis propter illam dandum esse regnum cœlorum, in eo tamen sensu, in quo toties asseverat scriptura peccata deleri propter eleemosynas, & hominem justificari, seu vivere vitâ spirituali propter fidem, & in quo S. Leo dixit inter concionandum de duabus Christi naturis. „Hoc enim Serm. 44 „est, quod justificat impios. Hoc est, de Epiph. „quod ex peccatoribus facit Sanctos, „si in uno eodemque Domino nostro „JEsu Christo, & vera Deitas, & vera „credatur Humanitas. Nimirum, si cætera adsint prærequisita ad justificationem. Non enim est insolitum in sacra Litteratura, quòd propter suam notionem & characterem specialem alicui soli tribuatur (solitudine præcisionis ab aliis, secus solitudine positivæ exclusionis aliorum) id quod non ab ipso solo, sed ab ipso simul cum aliis fit; Et sic multoties tribuit scriptura alicui soli Personæ Divinæ propter suam notionem effectus ad extra v. g. docere, sanctificare. Facere ut clamemus ad Deum &c. qui tamen effectus à parte rei procedunt non ex illa sola Persona Divina, sed ex tota beatissima Trinitate.

§. III.

Reproborum Sententia.

LV. COnclusâ primo loco causâ Prædestinatorum utpote dignio-
rum, & quorum sententia magis consentanea est genio, & voluntati Christi, volentis omnes homines salvos fieri, atque nolentis ex se, & præscindendo à pravo usu voluntatis humano, mortem peccatoris, exorditur sententiam contra Reprobos. Tunc verò ultimo continget illud *Intonuit de cœlo Dominus, & Altissimus dedit vocem suam. Grando, & carbones ignis, & misit sagittas suas, & dissipavit eos. Fulgura multiplicavit, & conturbavit eos.* Conversus namque Christus Dominus ad Reprobos, qui à sinistris affixi terræ, erunt tanquam oves occisionis, non vivificabit eos, quia jam præteriit hoc tempus, & cum ambulare noluerint, dum lucem habebant, eos tenebræ comprehenderunt; quinimo horrendum illud emittet tonitru: *Discedite à me in ignem æternum, qui paratus est diabolo, & Angelis ejus, esurivi enim &c.* In primis dicet: *Discedite*, quia licet ipsi non sint discessuri à se, & ex se, sed vo-

luerint

lenter rapiendi à diabolis; & absorbendi à voragine aperienda sub pedibus eorum, quia tamen hæc violentia trahet originem à spontaneo discessu, quo olim ipsi discesserunt à Christo, discedere dicentur, quando inviti, & irremissibiliter præcipitabuntur in barathrum inferni. Deinde *à me*, cùm tamen in sententia Prædestinatorum non dicat *venite ad me*, nempe quia Prædestinati, quando adhuc mortales erant, jam obedierant illi voci. *Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos*, jam subierant jugum Christi, & sub eo mortui fuerant; unde necesse non erat iterum dicere ad illos: *venite ad me*, Reprobi autem insistentes vestigiis eorum, quibus dictum fuit: *A sæculo confregisti jugum meum, rupisti vincula mea, & dixisti, non serviam*, voluntariè discesserunt à Christo, unde congruum est, ut in æternum discedant inviti ab eo, à quo voluntarij discesserunt in tempore, & in quo, & à quo salvari potuerunt, nisi malitia sua obstitissent. Dedisset namq; eis *potestatem filios Dei fieri*, & quidem qua infallibiliter præsciebat, illos faciendos filios Dei, nisi ipsi prius deseruissent Deum ipsum, atque noluissent recipere eum fide illa, quæ per dilectionem operatur.

Matth. 11.

Jerem. 2.

Joan. 1.

LVI. Præterea *Maledicti.* Hîc non dicit *Patris mei*, sicut Prædestinatos vocaverat *Benedicti Patris mei*; quoniam licet Pater sit prima origo, & primum principium benedictionis Prædestinatorum; at non est primum principium, primáve origo per se maledictionis Reproborum, sed sua ipsorum malitia est unica origo malitiæ, qua succubuerunt mundo, dæmonio, aut carni, & consequenter est unica origo causæ maledictionis suæ. Quoniam *Perditio tua Israel. Tantummodo in me auxilium tuum*, id est, *perditio est tua, sive ex te*, non tanquam ex primo, sed tanquam ex unico principio (siquidem non sunt duo Manichæa prima principia) unde creatura cùm sit essentialiter ab alio, non est primum, sed unicum principium malitiæ, qua talis, quatenus accipiens à Deo potestatem operandi bene, aut malè, ipsa sponte sua, quin efficaciter, & irremissibiliter determinetur ab alio, determinat, hoc est, concipit immediatè liberè pravum actum suæ voluntatis, in quo stat formaliter immediatè malitia, & causa immediata maledictionis. Item *in ignem* nempe physicum, verum, & materialem, de quo licèt sit magna difficultas, quomodo possit torquere spiritus, quales sunt dæmones, & animæ separatæ; nullaj tamen est in eo, quod atrocissimè torquere possit humana corpora, & animas his corporibus reunitas, ut tunc reunitæ erunt. *Æternum*, id est, non habiturum finem, quia, ut insistebam Disp. 2. Philosophiæ naturalis, infinitudo, & æternitas creata non tam explicantur verbis affirmativis, quàm negativis. Ignem verò illum futurũ esse æternum, non solúm in se, ac quoad suam durationem, verum etiam quoad torturam damnatorum, ostendi ex principiis fidei Disp. 1. de anima agens de immortalitate animarum nostrarum. Pergit Dominus, & dicit de illo igne. *Qui paratus est diabolo, & Angelis ejus*; vocans Justos ad regnum, non dicit, quod paratum est Michaeli Antagonistæ diaboli, & Angelis ejus, sed *paratum vobis*; damnans verò Reprobos ad ignem æternum, non dicit *paratum vobis, sed diabolo, & Angelis ejus*: Etenim majorem clementiam ostendit semper Deus cum infirmiore vasculo, qualis est natura humana, quàm cum Angelica: quando enim dixit de Angelis: *Ego quasi nutritius Ephraim, portabam eos in brachiis meis*, quando *usque ad senectutem ego ipse* (loquitur Deus humanis phrasibus, ut meliùs ab hominibus intelligatur) *& usque ad canos ego portabo, ego feci, & ego feram. Ego portabo, & salvabo*: quando, *quomodo si cui mater blandiatur, ita ego consolabor vos*: quando potuerunt Angeli dicere. *Propter nostram salutem descendit de cœlis, & incarnatus est de Spiritu sancto, ex Maria Virgine, & Homo factus est. Crucifixus etiam pro nobis &c.* Pro nobis tantùm dictum est, *Deliciæ meæ esse cum filiis hominum.* Rursus: *Ad quem autem Angelorum dixit aliquando, sede à dextris meis &c.* Denique *nusquam enim Angelos apprehendit, sed semen Abrahæ apprehendit.*

Osee 13.

Osee 11.

Isa. 46.

Idem 66.

Prov. 8.

Ad Hebr. 1.

Ibidem. 2.

LVII. Longè itaque plura benevolentiæ signa exhibuit Deus infirmiori, quàm sublimiori naturæ. Unde sicut de natu-

natura Angelica quoad partem illam, quæ rebellavit, & præsertim quoad suũ superbum Principem, dici potest, quod
Exod. 10. de Pharaone: *Idcircò autem posuite, ut ostendam in te fortitudinem meam, & narretur nomen meum in omni terra*; quatenus scientes homines pervicaciam, in quam præcipitari potest creatura deserta à Deo, & supplicia, quæ per hunc possunt illi infligi, paveant, & casto timore Dei cohibeantur, cujus saluberrimæ doctrinæ Lucifer, & Pharao fuerunt duo luculenta exempla. Ita de natura humana potest dici, ideò inter alia conditam esse à
Ad Rom. 9. Deo, *ut ostenderet divitias gloriæ suæ in vasa misericordiæ.* Tunc sic: Si sermo sit de Deo secundùm se, atque cum præcisione ab omni motivo contingente, neque diabolo, neque Angelis ejus, neque ulli homini paravit fornaces infernales, quia præcisio illa est præcisio etiam ab omni culpa, & præscindendo ab hac, nulli creaturæ paravit Deus supplicium. Rursus si sermo sit de Deo, ut Judice, ulcisci volente inconstantiam finalem in gratia, diabolo, & hominibus reprobis paravit æternas illas fornaces. Præterea si sermo sit de Deo, ut volente ostendere in creatura contumace fortitudinem suam, diabolis paravit ignem æternum; non verò hominibus. Quia nullibi melius, quàm in magno diabolo cernitur superbia, & contumacia, quâ obstinari potest creatura deserta à Deo, nec non acerbitas pœnarum, qua omnipotentia Dei potest ulcisci illas. Et in hoc sensu dicturus videtur Judex de igne æterno *Qui paratus est diabolo, & Angelis ejus*, non autem, *qui paratus est vobis*, quia maximus ille effectus Divinæ justitiæ publicè exercendus in magno illo theatro Angelorum, & hominum, potest originem trahere ex decreto Divino ostendendi fortitudinem suam, & diaboli pervicaciam toti Reipublicæ rationali: ambo hæc non ita ostendentur in hominibus reprobis, sicut in pervicacia, & tormento diaboli, & Angelorum ejus; demum si sermo sit de Deo, ut volente ostendere *divitias gloriæ suæ in vasa misericordiæ, quæ* præparavit in gloriam, non solùm Michaeli, & Angelis ejus, verùm etiam hominibus prædestinatis præparavit quoad efficaciam, & in actu 2. regnum à constitutione mundi. Quia non solùm in Angelis electis, sed etiam, & multò magis in hominibus ostendit divitias gloriæ suæ, tanquam in vasis misericordiæ: quandoquidem humana conditio abjectior, & fragilior est, quàm Angelica; Unde meritò dicet Judex hominibus prædestinatis *paratum vobis regnum*, scilicet à Deo, ut volente ostendere *divitias gloriæ suæ*, quas magis ostendet in vobis, quàm in Angelis. Aliis verò hominibus reprobis etiam paravit regnum illud quoad sufficientiam, & in actu primo: quatenus voluit omnes homines salvos fieri, & quatenus pro illis quoque incarnatus, & mortuus est, (aliàs falso dicerent in symbolo reprobi omnes, *propter nos homines, & propter nostram salutem descendit de cœlis.* Item: *Crucifixus etiam pro nobis &c.*) & quatenus *ipse est propitiatio pro peccatis nostris, non pro nostris autem tantùm: sed etiam pro totius mundi*; quòd autem illa bona voluntas Dei effectum non habuerit, sicut passim non habet voluntas præceptiva, prohibitiva, consiliativa, directiva &c. ex eo, quòd Deus non vult flectere irresistibiliter voluntates humanas, sed relinquere illas cum libertate indifferentiæ: id, inquam, sibi imputent Reprobi, siquidem *perditio tua Israel &c.*

LVIII. Perget Judex, inquiens: *Esurivi enim &c.* Occurrit eadem difficultas, quam proposui num. 53. & solvenda est eodem respectivè modo, quo illam solvi numeris sequentibus, distinguendo hìc inter sententiam directam ad Reproborum generalitatem, & directam determinatè contra turbam eorum, qui immites, & inclementes fuerunt, & hoc in dedecus speciale illorum, specialémque detestationem horum vitiorum, vide ibi dicta. Occurrit alia desumpta ex illis Reprobis infidelibus, qui nunquam audierunt Evangelium, aut cœlestem ullam doctrinam, qui quando arguantur in illa die, cur in anteacta vita mortali fuerunt otiosi, videntur posse aptè respondere, *quia nemo nos conduxit*; sed nodum istum jam solvit Paulus, inquiens: *quicunque enim sine lege peccaverunt, sine lege peribunt: Et quicunque in lege peccaverunt, per legem judicabuntur*: Cogita, quæ de infidelibus sagacioribus scribit

bit ibidem Apostolus c. 1. Igitur in latere infelice sinistro erunt illi, qui cum solo peccato originali discesserunt ex hac vita, & illi, qui cum gravi personali. Primis dicet sanè Christus Dominus: *Discedite à me*, quia utpote filij iræ, & filij familiæ infamis propter crimen primi parentis, & non nobilitati, neque liberati ab ea infamia per gratiam, damnabuntur ad pœnam æternam damni, nec non ad pœnam illam sensûs, quam perpetua infamia importat secum, publicaq; verecundia coram Angelis, & hominibus, nec non aliquâ tristitiâ, quam habebunt, quando super hoc reflectant, ob exclusionem à regno cœlorum, non tamen damnabuntur ad ignē æternum, ut communis est Theologia, cui non adversatur Augustinus, quem satis con-

S. August. 1 Hiipognost. & 5. c. Julian. ca p. 8. & in Ench. 93.

gruè interpretatur Suarez de hac pœna sensûs consistente in tristitia dicta, sicut etiam viatores sancti, quando mentem elevant ad cœlum, tristari solent propter dilationem hujus, ac dicere: *Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus est! habitavi cum habitantibus Cedar, multum incola fuit anima mea:* sed aliarum cogitationum adventu mitigatur, ac dissipatur etiam hæc tristitia.

P. Suarez. de vit. Chr. Disput. 50. Sect. 5.

§. IV.

De Parvulis non baptizatis.

LIX. ADverto duo. Unum est; quæ hîc dixero, & rursus infrà n. 87. & alibi circa statum, quem hi parvuli habituri sunt post diem judicij, esse meras conjecturas cum aliquo fundamento, tum in Scriptura, præsertim 2. ad Corinth. cap. 5. *Ut referat unusquisque propria corporis, prout gessit, sive bonum, sive malum.* Illi autem Parvuli, nihil corporis sive bonum, sive malum gesserunt. Tum præsertim in clementia ipsa Dei, cujus misericordia superexaltat judicium, juxta Jacobum cap. 2. Alterum advertendum est; ne, quando legas hîc aut infrà felicitatem aliquam naturalem eorum puerorum, suspiceris felicitatem illam naturalem, ad quam confugiebat Pelagius, ut argumentum declinaret Augustini; quoniam, ut mox dicam, ejusmodi Pelagianus Paradisus longè distat à mente mea. Igitur sententia illa dammnabit hos ad æternam habitationem in his infimis partibus mundi absque gloria essentiali (quia justitiæ Divinæ est sic tractare filios iræ non reconciliatos, neque in Christo electos) & absque pœna sensibili, quia divinæ clementiæ est, non punire in corpore, qui corpore non peccaverunt, neque corpore unquam abusi sunt. Hinc nec morti, nec morbo, nec somno, nec lassitudini, nec vulneri, nec senectuti, nec calori, nec frigori, nec siti, nec fami, nec potui, nec escæ, nec rixis, nec generationi, nec appetitui ulli irrationali, nec ulli alij ex miseriis, quas patimur, obnoxij erunt. Quoniam licet multæ ex causis naturalibus, quæ tunc erunt, & quidem potentiores, quàm modò, utpote renovatæ (v. g. sol, qui septempliciter lucebit, & luna, quæ ut sol lucebit, ut suprà dixi ex Isaia, ne unquam sint tenebræ in ullo Hemisphero) sint ex se inductivæ horum effectuum in corpora humana, aliàs capacia eorum; verumtamen posito, quòd Deus conservare velit immortalem, incorruptibilem, & inalterabilem gentem illam, Divinæ Providentiæ erit ita combinare, ac coördinare temperiem illorum corporum cum causis naturalibus tunc futuris, ut hæ nihil operentur in illis. Rursus cùm illi non sint jam viatores, non habebunt libertatem indifferentiæ ad bene, aut male moraliter, & imputabiliter operandum. Unde nullam rebellionem appetitûs contra rationem, nullam discordiam, nullam suggestionem diaboli, sepulti in æterno inferno patientur, sicut nec modò infantes recens nati patiuntur, quamvis adhuc sint filij iræ, quia nondum regenerati; quod in his præstat suorum corpusculorum temperies, atque incapacitas præstabit illis extrinsecus favor, & providentia Dei, nolentis permittere in eis ullum malum physicum (quia vult illos indemnes, ac incorruptibiles conservare in æternum) aut morale, quia non vult permittere illis peccatum ullum. Videntur itaque immunes futuri ab omnibus his malis. Et in hoc sensu verificari etiam potest, quod Petrus docet de cœlo, & terra novis, in quibus *justitia habitat*; nam licèt hoc intelligatur de Sanctis habitaturis permanenter in cœlo,

& transeunter in terra, ut sæpe dixi, quia ob suam agilitatem habitabunt ubi ubi voluerint; potest etiam intelligi *habitat respectivè*: id est, justitia positiva *in cœlis*; negativa, nempe carentia omnis peccati actualis personalis, *in terris*, quoniam habitatores illi terrarum, licèt originali infecti, nullum personale peccatum fecerunt, aut facient, quamvis non multum contendam, si aliquis dicat, illos fore obnoxios aliquibus malis leviorib̃us; tum corpori non læthalibus, sed facilè curabilibus: tum animæ non gravibus, sed quasi pœna puerili sanabilibus, nam forsan alicui videbitur privilegium plus justo concessum, tanta immunitas ab omni prorsus malo physico, & morali etiam non læthali, quandoquidem in sensu composito subeundi aliquod ex eis possunt subsistere ea duo, quæ salvare oportet, videlicet illos nunquam morituros, & nunquam damnandos ad pœnas inferni, sicut nunquam evehendos ad gloriam regni cœlorum.

LX. Hinc 2. præter immunitatem dictam ab omni malo corporis, & animæ, saltem læthali, habituri videntur, ut rationabiliter putat Suarez nuper laudatus; omnes, aut saltem pleraſque perfectiones merè naturales, quæ congruunt naturæ humanæ, non ut consideratæ in statu innocentiæ, aut in statu puræ naturæ (quandoquidem status, quem illi habebunt, est his duobus multò inferior) sed ut consideratæ secundùm præsens systema perfectionum naturalium, quas illi defacto Deus non rarò concessit etiã post peccatum originale, imò & post personalia: Cùm enim Deus multis peccatoribus, peccatis etiam personalibus, largitus sit magnas dotes naturales roboris, agilitatis, pulchritudinis, ingenij, prudentiæ, sapientiæ, indolis amabilis, & similes, prudenter existimare possumus benignè largiturum easdem, in eodem intensionis gradu, si non in majore, hominibus illis nullo peccato personali infectis, & æternum victuris in hac infirmitate mundi. Accedet longa experientia, quam post aliquot sæcula habebunt, (animæ quippe illæ sunt rationales sicut nostræ, & erunt in corporibus non infantilibus, sed habentibus organa omnia expedita ad cognoscendum) rerum naturalium. Credibile itaque est, illos magnam sapientiam merè naturalem habituros aliquando, sed merè speculativam, quia privilegio muniti immortalitatis, atque immunitatis dictæ ab omni indigentia in ordine ad suam conservationem, & ab omni appetitu graviter saltem inordinato, non egebunt multa praxi suarum speculationum. Quietè igitur, tranquillè, & eâ felicitate purè naturali, quâ simplices pueri gaudere solent, æternam agent vitam in hoc globo terraqueo, utentes eadem omnes lingua, nempe Hebræa, quam primis suis parentibus infudit Deus: sed non propterea quærimus illis cum Pelagio *extra regnum Dei nescio cujus aut suæ felicitatis locum*, ut loquitur Augustinus, quia non sunt simpliciter felices, qui sine pœna, & sine gloria habebunt dicta, & simpliciter infelices sunt, qui æternè carebunt Deo, & qui nunquam adipiscentur beatitudinem adhuc naturalem, quam in statu puræ naturæ posset habere homo, quia illi, ut dixi, erunt in statu longè inferiore; & quamvis illi non sint futuri Athei, adhuc in sensu merè negativo, quin potius agnituri, & reverturi sint JEsum Christum Dominum nostrum, ut causam illius, quâ fruentur felicitatis, & negativæ, & positivæ, ut probabiliter docet Suarez loco citato, Visuri nunquam sunt illum judicantem totum genus humanum, & quantum vires naturales permittunt, credent dicentibus illum esse Filium Dei, qui quondam passus fuit pro omnibus hominibus: attamen, cùm peccatores sint, & filij iræ, cognitio, quam de Deo, & de Christo, ut tali habebunt, erit adeò abstractiva, ut neque limites attingat beatitudinis purè naturalis. Intra genus quippe ipsum cognitionis abstractivæ sunt species valde dispares, sicut intra genera alia, & voces non habemus ad discernendum clarè unas ab alijs. Forsan denique videbunt interdum corpora Sanctorum descendentium ad hunc globum terraqueum, videndi gratiâ oculis etiam carneis, quibus etiam meruerunt olim insignia Dei opera, quæ hic fecit, nec non antiqua suorum certaminum loca (totus quippe mundus pervius erit agilitati corporum illorum, nec debemus consi-

considerare illa tanquam marmoreas statuas immobiliter affixas uni loco, siquidem sancti etiam Angeli absque suæ beatitudinis jactura descendunt ad hunc mundum inferiorem) sed neque animas, neque Angelos, neque suas proprias animas cognoscent intuitivè.

LXI. Quoniam neque habuerunt, neque tunc habebunt species proprias harum rerum, neque constat acceptu-ros illas à Deo, neque homines sapientissimi cognoverunt hæc objecta intuitivè in hac vita. Quoniam licet hæc cognitio sit perfectio entitativè naturalis, non est ex illis, quibus Deus composuit systema perfectionum naturalium, quas in hac providentia largitus est naturæ humanæ, quando autem corpora gloriosa videant, utpote quæ sunt objecta proportionata potentiæ visivæ humanæ (ut glorioſum corpus Christi fuit proportionatum oculis corporeis Apostolorum) nisi fortè suo nimio fulgore oculorum aciem obruant, continget ipsis (*sic parvis componere magna solemus*) quod rusticis pueris videntibus per pagum suum transeuntes Aulicos nobiles, aut Proceres regni cum vestibus majestatem olentibus; nempe dulcis quidam stupor, amabilis quædam verecundia & tristitia absque invidia tamen, quòd cùm ipsi homines quoque sint, non fruantur illa felicitate: forsitan etiam facient, quòd piæ illæ fœminæ, cernentes fulgida, quamvis aerea corpora Angelorum, faciebant. *Cùm timerent autem, & declinarent vultum in terram*, & audient forsan consolatoria verba ab illis Sanctis, præsertim si quondam fuerunt Patres, Matres, aut consanguinei illorum, sicut ab Angelis audierunt illæ fœminæ; *Nolite timere vos.* Reverebuntur námque illi Sancti incomprehensibilia judicia Dei in gente illa, & scientes potuisse sibi evenire idem, *misericordiam* in se, & *judicium* in illa, cantabunt Domino, compassione non autem odio prosequentes gentem ex origine tantum peccatricem. Nihil ex his constat certò; at consentanea videntur naturæ ipsi statûs illius, & præsertim misericordiæ Dei cum illis suis creaturis rationalibus, quæ nullam contra ipsum offensam personalem commiserunt, & non superant felicitatem merè naturalem, & neque beatitudinem naturalem attingunt; nempe videre aliquando corpora glorioſa sub splendore non obruente oculos corporis, & verecunda, humilia, & dulcia cum illis miscere aliquando colloquia, licet temperata cum aliqua tristitia, & summa veneratione: quamobrem ultima sententia diei judicij damnabit hanc gentem ad statum quendam, quasi medium inter æternam felicitatem, & infernum, nimirum ad æternam privationem beatitudinis, & omnium donorum supernaturalium (ecce infernum pro formali) *Discedite à me*, sed non *in ignem æternum* 1. quia ut notat Suarez de vita Christi Disp. 50. Sect. 5. *Dico* 2. loquendo de eis parvulis; *neque enim patientur sensibiles pœnas, ut omnes Theologi docent &c.* 2. quoniam illa verba in ignem æternum, diriguntur ad illos, quorum opera personalia ibidem reprobantur, *Esurivi enim &c.* Cúmque in eis parvulis non fuerint personalia opera, non videtur necessarium, quòd ad ipsos dirigantur. 3. quoniam verba illa Apoc. 20. *qui non inventus est in libro vitæ scriptus, missus est in stagnum ignis*, non intellexerunt Theologi de his pueris, quibus negant omnem pœnam sensibilem; & cùm non sit fundamentum, ad multiplicandum miraculum, quod corpora humana & viva non patiantur ullam pœnã in eo stagno, videtur, dici posse, verba hæc non intelligi de pueris his, sed de adultis in genere, pro quibus, & de quibus ibi loquebatur Joannes, inquiens ibidem: *Judicati sunt mortui ex his, quæ scripta erant in libris, secundùm opera ipsorum*, & demum, cùm Ecclesia nihil hactenus definierit hac super re, potest illud *qui* indefinitum intelligi, sicut intelliguntur multæ explicitæ ac formales universalitates Scripturæ, quarum exempla dedi Decade 2. num. 1. 4. Quoniam scriptum est, *superexaltat autem misericordia, & judicium*, misericordiæque Divinæ erit relinquere illi portioni generis humani perfectiones naturales dictas habendas in hoc mundo inferiore. Et hactenus de uno ordine illorum, qui ad sinistram Judicis erunt, de quibus iterum loquar infrà num. 87.

Virg. Eclog 1.

Luc. 24.

Matth. 28.

Psalm. 100

Jacobi 2.

LXII. Huic, parvulorum quondam, sed tunc adultorum, ordini annumeranda videtur quædam portio adultorum; sed, ùt ita dicam, semirationalium tantum, (si forsan fuerunt, sunt, aut erunt ejusmodi homines, quod modò non disputo) non quia animas habeant specie distinctas à nostris, sed quia eas habent in corporibus adeò pravè dispositis, ut in ætate etiam virili non assurgant, nisi ad semiplenas advertentias, semiplenosque consensus, ut animæ puerorum assurgere solent ratione temperamenti, quo semper aut ferè semper constant humana corpora in ætate quinque, sex, aut septem annorum, in qua ætate licet detur advertentia plena, plenáque voluntas in ordine ad bona, & mala purè physica, atque sensu percèptibilia, non tamen datur in ordine ad bona, & mala altioris ordinis, quæ moralia dicuntur, vitámque æternam, aut æterna supplicia merentur. Siquidem plus requiritur ad plenitudinem advertentiæ in hac materia, quàm in illa purè physica, & sensu perceptibili. Et tales videntur multi homines detecti in Brasilia, aliisque regionibus Americæ, & insularum Oceani, quos Hispani vocant *Salvages*, de quibus non raro dubitatur, sint necnè rationales, sint necnè capaces baptismi, si relationes, & testimonia, quæ de illis habemus, sunt vera (quod sanè non curo in præsenti) puto illos verè, & simpliciter esse homines, & consequenter rationales, rationalitate, utique quasi secundùm quid, & assurgente ad solas semiplenas advertentias, atque consensus voluntatis, non ob defectum virtutis, & capacitatis radicalis in illis animabus ad plenos consensus & deliberationes, sed ob accidentalia impedimenta in eis corporibus, ut inter nos contingit perpetuò stolidis, omnibúsque pueris usque ad certam ætatem. Experimur frequenter inter nos ipsos Europæos, quòd, licèt alias materia sit gravis, & homo expedita fungatur habitualiter ratione, interdum tamen non peccat lethaliter ob defectum plenæ advertentiæ, tametsi consensus sit in suo genere plenus; vel ob defectum hujus, tametsi advertentia sit plena; vel ob defectum plenitudinis utriusque. Experimur item in omnibus, aut ferè omnibus nostris pueris alterutrius plenitudinis defectum, ob temperamentum illius ætatis, quamvis baptismi sint capaces, & habeant animas verè, ac simpliciter rationales, & quamvis in ordine ad bona & mala sensu perceptibilia habeant plenas advertentias, atque volitiones, aut nolitiones.

LXIII. Cur ergò non possunt esse homines, quibus ratione climatis, alimentorum, educationis, aut infelicis temperamenti suorum corporum contingat habitualiter, quod contingit nobis etiam habitualiter in tota prima ætate, & quod per accidens contingere solet in ætate etiam adulta? non detego speculativè loquendo, specialem difficultatem in eo, quod præsens mundi Systema ferat homines, qui in toto cursu vitæ suæ sint semihomines tantùm, & semirationales, in hoc autem solo sensu nempe, quod propter habituale impedimentum proprium suæ gentis (licèt omninò accidentale respectu suarum animarum) non sint capaces in tota sua vita, nisi dumtaxat peccatorum venialium, eoquòd non sint capaces respectu bonorum, & malorum moralium sensum supergredientium, nisi quarumdam semiplenarum advertentiarum, quibus differunt à perpetuo mente captis, & ratione volubilitatis suarum voluntatum, non sint capaces, nisi quarumdam semiplenarum volitionum. Certè, qui reflectat suprà insignem stoliditatem, quam interdum experimur in aliquibus individuis Europæis, quoad res superantes sensum, tametsi non sint ex genere Amentium, imo tametsi quoad res purè physicas, & materiales sufficienter ratiocinentur, non mirabitur, quæ de aliquibus nationibus in America, & alibi hac super re narrantur. De his itaque Adultis, si fortè sunt, fuerunt, aut erunt, semirationalibus dico. Vel susceperunt baptismum, vel non? si primum, cum gratia baptismalis non amittatur peccatis venialibus, & in illa ultima die mundi jam futuri sint purgati ab illis, sequetur, quòd prædicti non sint ad sinistram Judicis, sed ad dextram inter prædestinatos. Si 2 dum eruntquidem ad sinistram, sed inter eos, qui mortui fuerunt in ætate infantili, & non audient à

Ju-

Judice, discedite *in ignem æternum*; quia peccatis purè venialibus separatis ab omni læthali personali, non præscripsit Deus pœnam æternam inferni. Unde vel jam sustinuerint in loco, quèm Deus voluerit, (qui interdum extra purgatorium commune animam purgat) vel postea sustinebunt pœnam temporalem respondentem illis peccatis venialibus. Restabunt itaque prædicti adulti, si unquam fuerunt, in his partibus inferioribus mundi, ut æternam hìc agant vitam cum eis, qui parvuli mortui sunt absque Baptismo, quoniam ipsi quoque fuerunt æquivalenter parvuli in ordine ad non peccandũ læthaliter propter tenuitatem suæ rationalitatis, licèt non in ordine ad peccandum adhuc venialiter.

§. V.

Qui non audierunt fidem.

LXIV. REstabunt itaque duæ aliæ classes reproborum eorum, qui verè, ac simpliciter nacti fuerunt in hac vita plenas advertentias, & cum eis plenè consenserunt in culpas graves. Horum pars, vel nunquam prorsus audivit cœlestem doctrinam, ùt plurimis contigit humanis individuis utriusque sexus, & omnis ætatis, tum ante Diluvium, tum tempore legis Mosaicæ, tum post Evangelium prædicatum, Vel quamvis eam audierit, non tamen in eo gradu credibilitatis, qui requiritur ad assensum fidei Theologicæ: Hic namque cùm non sit contentus mera probabilitate de existentia divinæ revelationis (aliàs cùm suboriri posset probabilitas contraria, ut frequenter fit in opinionibus probabilibus, posset homo prudenter repudiare assensum fidei, quem semel habet, quæ duo jam vides, quanto jure proscripta sint in Ecclesia) prærequirit moralem evidentiam seu certitudinem, ùt tractatu. De fide probavi, non solùm credibilitatis, & credentitatis, ùt loquuntur aliqui, verùm etiam veritatis Mysterii, atque divinæ revelationis, quamvis sufficiat, quòd hæc moralis evidentia sit respectiva ad intellectum illum, cui verbum Dei proponitur, cùm rationes, quæ huic ingerunt moralem certitudinem, interdum illi vix probabilitatem ingerant: Prærequirit, inquam, juxta ordinariam providentiam juxta quam Deus non dat intrinsecus incrementum, nisi adsit extrinsecus Ministerium plantandi, atque rigandi, quòd non tollit, quod Deus quandoque absque prævia hac dispositione de repente vocet homines, ut vocavit duo paria Apostolorũ vacantiũ Piscationi, & aliũ Telonio assidentẽ, & alium Ecclesiam persequentem; Atqui fieri potest, quòd Viro, aut fœminæ, aut puero, aut seni proponatur à Ministro cælestis doctrina, & tamen, quod non proponatur cum evidentia, seu certitudine morali de existentia divinæ revelationis docentis rem illam; quippe adhuc in rebus humanis, & quotidianis est valdè diversum dicere rem, & quidem cum magna probabilitate, ac dicere rem reddendo illam moraliter certam, aut evidentem quoad illius existentiam quidquid sit de obscuritate circa modum, quo est, & quoad ipsius quidditatem. Ergo cum res fidei sint longè altiores atque obscuriores, quam hæ nostræ res humanæ, mirum non erit, si multoties illæ ita proponantur à Ministro, ut quamvis non appareant improbabiles, imò probabiles appareant, non tamen, ùt moraliter certæ in eo gradu, quem ordinariè prærequirit assensus fidei divinæ, & qui necessarius est ad pervicaciam, & obstinationem infidelitatis, cujus character est, *ut videntes non videant, & audientes non audiant*, neque hæreas in univocatione, quam facio certitudinis, atque evidentiæ moralis, quoniam licèt certitudo, & evidentia Metaphysica sint res valdè diversæ, quandoquidem actus fidei supernaturales omnes sunt Metaphysicè certi, utpotè infallibiles, atque Metaphysicè evidentes, sed obscurissimi, etiam quoad actualem existentiam sui objecti, ita ut necesse sit captivare intellectum in obsequium Christi, qui propterea rem hanc vocavit opus Dei per antonomasiam, inquiens: *Hoc est opus Dei, ut credatis in eum, quem misit ille*; Attamen certitudo, & evidentia purè moralis de existentia rei sunt penitus idem, ut fusè explicui loco citato illo de fide, & non venit ad rem præsentem hæc disputare. Joan. 6.

LXV. Igitur eos, quibus ita tenuiter est prædicata doctrina cœlestis, infidelibus annumero, qui nunquam audierunt illam. Altera pars illorum Reproborum componetur ex eis, qui licèt tenuitate dicta audivissent res fidei, habuerunt tamen rationem dubitandi circa suam obligationem, & noluerunt explorare & inquirere in veritatem per mediorum legitimorum usum, dicentes opere, quod verbis illi: *Scientiam viarum tuarum* Job. 21. *nolumus.* Vel pertinaciter restiterunt veritati sub evidentia morali propositæ, eò quòd invidiâ, superbiâ; timore mali temporalis, appetitu temporalis boni, aut alia passione correpti, videntes non videbant, & audientes non audiebant, vel susceptam fidem repudiârunt; vel eâ solâ contenti, mortui fuerunt absque vivificante illa fide, quæ per charitatem operatur. Contra sententiam æternæ damnationis horum omnium jam vides nullam insurgere specialem difficulta- Ex Prov. 1. tem. Vocati sunt sufficienter, & renuerunt; extendit Deus manum suam, & non fuit, qui aspiceret; despexerunt Matth. 7. omne consilium Divinum, & Divinas increpationes neglexerunt. *Comedent igitur fructus viæ suæ, suisque consiliis saturabuntur &c.* De illis, qui magnam fidem habuerunt, sed absque charitate habituali mortui sunt, protestatus est Dominus. [Multi dicent mihi in illa die: Domine, Domine, nonnè in nomine tuo prophetavimus, & in nomine tuo dæmonia ejecimus, & in nomine tuo virtutes multas fecimus? & tunc confitebor illis, quia nunquam novi vos; discedite à me, qui operamini iniquitatem] nempe quia licet fundamentum sit necessarium ad ædificium, & in eo soleat esse maxima difficultas; nihilo tamen minùs non sufficit, & præmoniti sumus de illa irrisione; *Hic homo cœpit ædificare, & non potuit consummare*; nec non de illa 1. ad Cor. 13. magna veritate: *Si habuero omnem fidem, ita ut montes transferam, charitatem autem non habuero, nil sum.* De illis, qui fidem & magnas etiam atque difficiles virtutes exercuerunt, sed sine oleo charitatis mortui sunt, scriptum est etiam, quod Matth. 24. dicent. *Domine, Domine aperi nobis. At ille respondens ait; Amen dico vobis, nescio vos.* De illis, qui labiis honoraverunt Christum, cor autem eorum longè erat ab ipso in hora mortis, etiam scriptum Matth. 7. est: *Non omnis, qui dicit mihi; Domine, Domine, intrabit in regnum cœlorum.* De illis qui nil mali egerunt, nisi non agere, quod debuerunt, scriptum est quoque: Matth. 25. *Inutilem servum ejicite in tenebras exteriores, ibi erit fletus, & stridor dentium.* Denique de omni plenæ rationis compote, qui in ultimo eo theatro totius generis humani apparet sine gratia sanctificante, scriptum est. Dixit Rex ministris: *Ligatis Matth. 22. manibus, & pedibus ejus mittite eum in tenebras exteriores, ibi erit fletus, & stridor dentium.*

LXVI. Quamobrem totum pondus difficultatis in eos vergit Reprobos, plenæ rationis olim compotes, qui sparsi per Insulas, per angulos remotos globi terraquei nil salutare audierunt in illis 1656. annis, qui fuerunt ante diluvium, neque post hoc ante legem Moysis, neq; post hanc ante prædicatum Evangelium nec post hoc, quo jure damnabuntur hi ad ignem æternum? magno utique. Etenim Deus *ab initio constituit hominem, & reliquit illum in manu consilii sui.* Ne aliquis putaret, sermonem hic esse de solo primo homine, & quòd in hoc solo, non verò in nepotibus fuit libertas indifferentiæ; vertit protinus sermonem Ecclesiasticus ad quemvis Lectorem libri sui: *Si volueris mandata servare, conservabunt te, & in perpetuum fidem placitam facere.* Illud & continetur sub eadem conditione, & tenor sententiæ est, conservabunt te, si volueris mandata servare, & in perpetuum, hoc est, cum finali perseverantia facere fidem placitam, nempe fidem, quæ per charitatem operatur. adjungit: *Apposuit tibi aquam, & ignem,* quasi dicat bonum refrigerans, & malum exurens: *ad quod volueris, porrige manum tuam*; nempe circa hæc duo concipere potes immediatè libere absque ulla inevitabili, & tibi irresistibili determinatione, actus voluntatis, quos liberè imputabiliter conceperis; & majoris claritatis gratiâ, subjungit: *Ante hominem vita, & mors, bonum, & malum, quod* S. Bas. Prof. Ps. *placuerit ei dabitur illi.* Et quamquam S. Salom. Calvin. in Hieronymus hunc librum à Canone ex- Antid. pungere videatur, Calvinúsque illum Antid. ad vehementer detestetur, utpote iuis hæ- Pers. 1. 1. reſibus

resibus valde contrarium, utens eo privilegio, quod Manichæis exprobrat Augustinus, de illis inquiens. *Ut suo quodam privilegio, imò sacrilegio, quod volunt, sumant; quod nolunt, reijciant.* Verumtamen pluris æstimari debet authoritas Tridentini recensentis hunc librum inter Canonicos. Et merito; nam eadem ratio, quâ Augustinus probat contra Massilienses, Canonicum esse librum Sapientiæ, *oportet*, inquit, *ut librum istum Sapientiæ omnibus tractatoribus anteponant, quoniam sibi eum anteposuerunt etiam temporibus proximi Apostolorum egregij tractatores qui eum testem adhibentes, nil se adhibere, nisi Divinum testimonium crediderunt.* Hæc inquam, eadem ratio suadet idem de libro Ecclesiast. cujus sententias antiquissimi Patres videndi apud Bellarm. adhibuerunt eodem modo, quo cætera Divina oracula citari solent. Certè Augustinus retundens vanam curiositatem super discretione parvulorum, quorum his concedit Deus baptismum, priusquam moriantur; secus illis, & respondens, quod sæpe responderat, cum Apostolo: *O homo tu quis es &c.* subjungit; *Et hoc adijciamus. Altiora te ne quæsieris. & fortiora te, ne scrutatus fueris*; qui Contextus indicat apud Augustinum paris authoritatis fuisse Ecclesiasticum, cujus sunt hæc verba, & Paulum; id est, utrumque fuisse organum Spiritus sancti.

De Prædest. cap. 14.

Bellarm. lib. 1. de verb. Dei cap. 14.

De persev. c. 12.

LXVII. Igitur ex hoc testimonio Ecclesiastici, & ex illo Joannis de luce vera dicentis. *Illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*, elicitur, omnes omnino humanas personas, quæ ab orbe condito fuerunt, & ad orbem destructum erunt, in quibushibet angulis, Insulis, montibus, sylvis &c. capaces plenæ advertentiæ atque deliberationis, non solùm quoad bona, & mala sensu perceptibilia; verùm etiam quoad bona, & mala moraliter: omnes inquam habuisse in decursu vitæ suæ in temporibus, locis, & aliis circumstantiis providentiâ Divinâ statutis, plenam libertatem indifferentiæ ad peccandum, & non peccandum læthaliter, saltem contra prima principia naturalia in genere morum; ergo hac libertate functi sunt omnes illi Reprobi adulti, qui nunquam audierunt, aut legerunt, aut alio sensu perceperunt Evangelium, doctrinámve aliam sacram, & hoc ab initio mundi, & in quibusvis antris Americæ, Africæ, &c. Hinc sic: Vel exercuerunt hanc libertatem adjuti, & præventi à misericordia Dei arcanis eis modis, quos ipse scit, per abstinentiam, sive omissionem, quamvis puram, & simplicem ab omni læthali; vel in aliquod, vel aliqua lapsi sunt, quod utique moraliter necessarium videtur, cùm unius cujusque vita super terram militia, & *tentatio* sit, & cùm inter cultissimas etiam & piissimas gentes rarò sciamus personam individuam, quæ toto cursu vitæ suæ ab omni prorsus læthali abstinuerit tum externo, tum interno; maximè cùm sciamus, quòd adversarius noster diabolus *tanquam leo rugiens circuit quærens, quem devoret*, cùm nullus unquam fuerit, sit, aut futurus sit homo, duobus solis exceptis, qui de passionibus suis non possit dicere, quod de suis vermibus ajebat Job, *qui me comedunt, non dormiunt.*

Job 2.

Job 30.

LXVIII. Si dicatur hoc secundum, ut propter hanc rationem dici debere videtur; jam vides jus, propter quod illi damnabuntur ad ignem æternum; nempe non propter infidelitatem negativam immediatè, directè, ac formaliter, quam habuerunt, siquidem hæc fuit illis penitus involuntaria; sed propter peccatum, aut peccata læthalia, & personalia, quæ sponte patrârunt contra lumen illud rationis naturalis, quo illuminabantur, cujus peccati vindicta ad Deum spectat ut supremum caput rationalis naturæ, sicut ad regem, ut caput Reipublicæ civilis, attinet, ulcisci pænâ etiam mortis (quæ quod attinet ad Regem est æterna, siquidem ipse nequit unquam animam illam reunire suo corpori) offensas factas non solùm contra ipsum personaliter, verùm etiam contra Rempublicam, ab homine, quamvis nil prorsus cogitante de Rege, quando furabatur, aut necabat. Et de hujusmodi hominibus intelligitur commode, quod Dominus universè ait: *Qui autem non cognovit, & fecit digna plagis, vapulabit paucis.* Quia licèt non vapulabit propter obstinationem contra voluntatem Domini, quam omnino

Luc. 12.

nino ignoravit, vapulabit tamen propter illa alia personalia gravia, quæ commisit. Unde exponens Augustinus illud,
Matth. 11. *Tyro, & Sydoni remissius erit in die judicij quàm vobis*, scribit: *Sæverius ergo punientur isti* (nempe Judæi, apud quos tantâ
De persev. cap. 9. evidentiâ fuit promulgatũ Evangelium) *illi remissius* (quia apud illos non factæ fuerunt virtutes, de quibus ibi loquitur Dominus) *sed tamen punientur*, nimirum propter alia scelera contra rationalitatem, quæ in se fuerunt gravia, & insuper fuerunt causa, ne illis prædicaretur Evangelium. Oportet quippe meminisse,
Joan. 14. quod sicut, *in domo Patris mei mansiones multæ sunt*, non modò quoad numerum, sed etiam quoad inæqualitatem propter meritorum disparitatem: Ita in carcere infernali ergastula multa, & inæqualia sunt. Dixi autem *propter peccatum, aut peccata*; quia quantum assequi possumus, rarò, vel nunquam damnat Deus hominem immediatè post primum læthale: Providentia enim ordinaria est, quam tres saltem Scripturæ insinuarunt
Psalm. 80. nobis: *Dimisi eos secundùm desideria cordis eorum, ibunt in adinventionibus suis*; Item
Amos 1. & 2. *super tribus sceleribus, & super quatuor &c.* quod cùm de octo nationibus dicat Deus per Prophetam, innuere videtur, quod unicuique genti & etiam homini, præfinivit Deus numerum quendam peccatorum permittendorum, quo numero impleto, quamvis posset dare auxilia efficacia ad pœnitentiam, quæ totum illum numerum aboleret, non tamen dabit illa, quia nolet; nolet autem propter sua inscrutabilia judicia, & quia ex nullo titulo tenetur mederi vulnera, quæ spontè sibi inflixit homo, sicut Angelis peccantibus non succurrit medicinâ sanativâ, quamvis potuerit, quoniã sicut misericordiæ est erigere elisum, ita est Judicis relinquere voluntariè lapsum: Et ambo hæc Deo cantantur à nobis, illum sequentibus, qui ajebat: *Misericordiam & judicium cantabo tibi Domine.*

LXIX. Si dicatur illud primum, videlicet homines, ad quos nunquam penetravit doctrina cœlestis, adjutos tamen, & præventos arcanis eis modis quos Deus scit, abstinuisse ab omni læthali, tametsi per puram, & simplicem abstinentiam, quæ ad altiora motiva non assurgeret, dico illos non mansuros in sua infidelitate; sed ad fidem rectam trahendos, & quidem humano ministerio per aliquem ex innumeris eis modis, quæ suppetunt benignæ Providentiæ Dei ad res humanas ita combinandas, & coordinandas, ut homo, in quocunque angulo hujus terraquei globi audiat ab alio homine doctrinam, quam de necessitate medij credere debet, ut salvus fiat.

1. Quia cum fieri nequeat absque specialissima misericordia Dei, quòd homines, aut homo plenæ rationis compos quoad res morales abstinuerit ab omni læthali formaliter tali in toto decursu vitæ suæ, quæ tota est tentatio & malitia super terram, & quidem adversus tres assiduos & potentissimos hostes, mundum scilicet, dæmonium, & carnem, sequeretur, totam illam benignitatem, specialissimámq; manutentionem Dei incassum cecidisse, si persona illa moreretur absque fide necessaria necessitate medij; & esset Deus sicut Pater, qui vigilantissimè custoditum filium noctu, diúque ab assiduis periculis, sineret trucidari, eò quia nollet quandam sibi facillimam expensam facere. Dicendum ergo est, quòd Deus, qui tam speciali protectione cæpit in homine illo ædificium, ipse perficiet, non quatenus illi largiatur complementum tantùm, sed fundamentum etiam, quod est fides, sine qua impossibile est placere homini Deo, & sine qua totum ædificium vitæ æternæ collabitur.

LXX. Secundo non desunt exempla in utroque testamento benignæ Providentiæ divinæ, res humanas ita combinantis, ut veram, & necessariam fidem susciperent illi, qui alias rectè moraliter vivebant. Hieroglyphicum non obscurum habemus in illo dæmoniaco (duos scribit Matthæus, quia duo verè fuerunt, sed unum duntaxat meminit Marcus, quia ille principalis fuit, & ille solus jussus fuit prædicare) quo nil cogitante de Christo hic navigationem ex professo instituit ad ejus regionem, ve-
Matth. 8. *nerunt trans fretum maris in regionem Gerasenorum*, & eo curato, juisóque evange-
Marc. 5. lizare, *annuntia illis quanta tibi Dominus fecerit*, protinus rediit in priorem, unde discesserat, regionem, quia non ob ali-

um

um finem primariè navigaverat ad Generaſenos, niſi ut mente, ac corpore ſanaret hominum illum, ut ex contextu conſtat, *& cùm transcendiſſet JEſus in navi, rurſum transfretum &c.* Sic quandocunque, & ubicunque habet aliquam ex ſuis ovibus, ex profeſſo coordinat res eâ methodo, ut ovis illa inſtruatur doctrinâ neceſſariâ. Valet enim ſem-
Joan. 10. S. Aug. de Corr. & Grat. c. 7. per illud: *illas oves habeo, quæ non ſunt ex hoc ovili, & illas opportet me adducere*; Et valet etiam illa Auguſtini ſententia de miſericorditer diſcretis à maſſa perditionis: *Non eſt dubium, quòd & procuratur eis audiendum Evangelium: & cùm audiunt, credunt.* Exempla verò, quæ ſubjicio, tametſi ut particularia non ſint paria probando ſummuliſticè regulam univerſalem, paria tamen ſunt probandoillam moraliter; ſi enim illi dicere licuit,
Æneyd. 2. & quidem cum plauſu *crimine ab uno diſce omnes*, cur nequibimus nos ex variis caſibus particularibus benevolæ Providentiæ hac ſuper re diſcere omnes alios ſimiles? Primum exemplum ſatis locu-
Actor. 10. lentum ſit illius Cornelii, cui Angelus dixit: *Orationes tuæ, & eleemoſynæ tuæ aſcenderunt in memoriam in conſpectu Dei*. Ecce hominem abſque fide ſaltem expreſſa Chriſti, qui jam venerat in hunc mundum, *Religioſum, ac timentem Deum*, ut ibi teſtatur Lucas; ſed cûm immobile ſit,
Ibid. c. 4. quod de JEſu dixit Perrus: *Non eſt in alio aliquo ſalus, nec enim aliud nomen eſt ſub cælo datum hominibus in quo oporteat nos ſalvos fieri*; Ideò, ne præclara Cornelii fabrica, utpote ſine fundamento fidei Chriſti, corrueret, juſſus eſt ille accerſere Petrum, *hic dicet tibi: quid te oporteat facere*, quod quamvis etiam Angelus ille poterat facere, noluit Deus; ſed quod homo doceretur ab homine, præſertim prædeſtinato ad Cathedram Eccleſiæ, ne poſteà naſcituri vellent ab Angelis quoque doceri, & non ab aliis hominibus. Ecce providentiam ſpecialem, quâ pium illum Centurionem nil de Chriſto credentem, ad Chriſti fidem
Ibidem 8. traxit Deus. Secundùm. Evnuchus ille, *qui venerat adorare in Jeruſalem, & revertebatur ſedens ſuper currum ſuum, legensque Iſaiam Prophetam.* Homo probus erat, ut ex his indiciis colligitur, quamvis nil adhuc crederet de Chriſto, quem non audierat; ſed audi Providentiam, quâ ad fidem Chriſti Deus eum perduxit, ne hac fide vacuus in Æthiopiam reverteretur: *Angelus autem Domini locutus eſt ad Philippum, dicens: Surge, & vade &c.* Et poſtea: *Dixit autem ſpiritus Philippo, accede, & adjunge te ad currum iſtum*, cum reliquis, quæ ibi ſcribuntur, quæ ſatis indicant peculiarem providentiam, ne bona illa anima ſine fide Chriſti reſtaret.

§. VI.

Exempla alia Providentiæ.

LXXI. TErtium. Sergius Paulus, tametſi negotiis ſæcularibus irretitus, utpotè Proconſul, & tametſi Ethnicus, utpotè Romanus, vir bonæ moralitatis erat. Paucis namque verbis duo illi teſtimonia præclara dat S. Lucas, nimirum prudentiæ, atque deſiderii audiendi fidem Chriſti: non permiſit hic, ut bona illa moralitas periret ob fidei defectum: Unde egregioConcionatore Paulo, & magno inſuper miraculo conſuluit ei: *Tunc Proconſul cùm vidiſſet factum; credidit admirans ſuper doctrina Domini.* Quartum. Cúm Paulus maneret Troade, nil forſitan cogi-
Ibid. 13. tans de Macedonia. „Viſio per noctem *Ibid. 16.*
„Paulo oſtenſa eſt. Vir Macedo, qui-
„dam erat ſtans, & deprecans eum, &
„dicens: Tranſiens in Macedoniam
„adjuva nos. Ut autem viſum vidit,
„ſtatim quæſivimus proficiſci in Mace-
„doniam certi facti, quod vocaſſet nos
„Deus evangelizare eis. Si inter Macedones erant aliqui viri, aut mulieres probæ moralitatis, ut non eſt incredibile, quandoquidem ſimulacrum illud fuit ſuperne objectum Paulo ſub ſpecie deprecantis pro ſalute æterna, quo actu ſignificari videbatur, quòd in illa gente aliqui hanc curam habebant; En aliam Providentiam, nè fide neceſſariâ fraudarentur. Deus enim, aut per ſe ſolum, aut per Miniſterium Archangeli Provinciæ illius formavit ante oculos corporis, vel phantaſiæ, vel mentis Pauli imaginem illam vultu deprecatorio, ut fidem ibi annuntiaret; cum tamen paulo antè propter motivum oppoſitum inhibuiſſet Deus Paulum, nè quibusdam

aliis gentibus prædicaret: „Vetati sunt „à Spiritu sancto loqui verbum Dei in „Asia; cùm venissent autem in Mysi„am tentabant ire in Bithyniam, & non „permisit eos Spiritus JEsu; nempe quia, ut insinuant Origenes & Gregorius, prævidebantur à Deo hi populi restituri Evangelio. Unde sicut in quinque illis nefandis civitatibus nullus inventus est justus præter Loth, & hic inde avulsus fuit, ita videtur, quòd in Asia minore, & Bithynia nullus tunc homo frugi erat. Quintum. Gentiles illi, *qui ascenderant, ut adorarent in die festo*, bonæ moralitatis fuisse videntur, ut indicat actus hic religionis. Et nè in patriam sub eadem gentilitate, & absque fide Christi ad salutem necessariâ redirent, fecit Dominus coram eis eam concionem: *Amen, Amen dico vobis, nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit*, &c. quâ prædixit suam mortem, quæ postea gentilibus aliis futura erat stultitia juxta Paulum; Et insuper æternus Pater dedit illud publicum testimonium: *Et clarificavi, & iterum clarificabo.* Sextum. Tres illi Magi, quî Christum adoraturi venerunt, bonæ moralitatis vitæ videntur, juxta studia, quibus vacabant; *Vidimus stellam ejus in Oriente, & venimus cum muneribus adorare eum*; Atque ut bonæ illæ animæ obtinerent, quod ipsis deerat, novum illud phænomenon formavit Deus, aut formari per Angelos jussit. Tempus me deficeret, si proferre vellem omnes casus singulares, in quibus post adventum Domini speciali providentiâ dispositum fuit, ut fidem Christi audirent, ac susciperent, qui ante illam susceptam, & auditam rectæ moralitatis amantes erant.

Orig. Hom. 9. in Ley. Greg. Hom. 12. in Ezech.

Joan. 12.

1. ad Corinth. 1.

Matth. 2.

LXXII. Idem deprehendimus in veteri testamento. Job, & quatuor sui Antagonistæ non erant ex populo Israel, sed Idumæi inter gentes paganas nati, nutriti, & adulti, nihilo tamen minùs ex toto illo libro colligi potest, quâm altas radices in cordibus eorum jecerat fides illa de Deo, quæ in ratione fidei tunc sufficiebat, & quam illis infuderat Deus arcanis eis modis, quos ipse scit 2. Jethro pronepos Abrahæ, utpote Madianita, quamvis aliquam fidem haberet de Deo, polluta, & profanata erat contagione idololatriæ. Verumtamen vir prudens erat, ut constat ex consilio, quod dedit Genero: *Provide autem de omni plebe viros potentes* (ne, ut arundines, vento cuilibet cedant) *& timentes Deum* &c. nè plus justo timendos se ipsos faciant. Et Moyses, qui prædestinatus erat Doctor totius illius populi, non erubescens discere ab alienigena, *fecit omnia, quæ illi suggesserat*: Erat item homo bonæ indolis: quoniam licèt vidisset filiam suam separatam à Moyse, & licèt esset Princeps, sivè sacerdos Madianitarum, inter quos & Israelitas non erat magna familiaritas, cùm illi solius lucri causa emissent Josephum Israelitam, & postea vendidissent in Ægypto; nihilominus, audiens opera stupenda, quæ Deus fecerat in favorem Israelitarum, voluit ea iterum audire à Moyse; *Narravitque Moyses cognato suo cuncta, quæ fecerat Dominus Pharaoni*, quibus auditis additur: *Lætatusque est Jethro super omnibus bonis, quæ fecerat Dominus Israeli, & ait, benedictus Dominus, qui liberavit vos de manu AEgyptiorum* &c. Quæ omnia indicia sunt viri probi. Hunc autem non reliquit Deus in fide erronea antiqua, in qua inveteratus erat; sed ad puram, & sanam traxit. *Nunc cognovi, quia magnus Dominus super omnes Deos.* Fuitque primus ex alienigenis, *qui obtulit holocausta, & hostias Deo*, & quamvis reversus *abiit in terram suam*, non contigit ei illud veri proverbii, *canis reversus ad suum vomitum, & sus lota in volutabro luti*, ut ùt quibusdam exprobrat Petrus, quoniam, ùt ex Scriptura notat Cornelius, fundavit domum, seu familiam Rechabitarum, quorum abstinentiam, & obedientiam laudat Jeremias: quapropter reversus fuit ad habitandum, non ad prosequendum in errore; & videtur contigisse illi, quod Dæmoniaco sanato, cui JEsus præcepit: *Vade in domum tuam ad tuos, & annuntia* &c.

2. Pet. 2.

1. Paral. 2.

Jerem. 35.

Matth. 8.

LXXIII. Præterea Rahab, quamvis ex invisо genere Chanaam, utpote Jerichontina indolis bonæ fuisse videtur; Tum propter testimonium Pauli: *Exceptiens exploratores cum pace*; & Jacobi ejectis de illa: *Suscipiens nuntios, & alia via ejiciens*: Tum maximè, quia cùm cives omnes sui timorem tantum servilem con-

ad Hebr. Epist. 11. cap. 2.

concepissent propter stupenda opera, quæ Deus fecerat in favorem Israelitarum contra Ægyptios, & Amorræos: *Elanguerunt omnes habitatores terræ*, ipsa ad timorem filialem assurrexit, & ex illis præmissis conclusionem elicuit salutarem, quam nemo è suis elicuit: *Novi, quòd Dominus tradiderit vobis terram.* Item *Dominus enim Deus vester ipse est Deus in cælo sursum, & in terra deorsum.* Tum quia suprà populum, & regem suum reverita est decreta divina: *Tollénsque mulier viros abscondit, & ajt, Fateor, venerunt ad me, sed nesciebam unde essent, cumque porta clauderetur &c.* Tum quia magnam pietatem ostendit cum patre, matre, & sororibus suis, *ut salvetis patrem meum, & matrem, fratres ac sorores meas &c.* Tum quia duorum hominum exterorum, & ignotorum, & hostium fidei suæ generosè fidit. *Nunc ergò jurate mihi per Dominium &c.* Quæ omnia indicia sunt probitatis animæ: nè autem hæc bona indoles periret, quinimo, ut veram, puramque fidem nanciscerétur, quatenus fœmina hæc cum suis habitaret *in medio Israel usque ad præsentem diem*, jam scis, quantâ Providentiâ usus est Deus, v. g. quod Josue, post auditam, & creditam illam promissionem divinam. *Nullus poterit vobis resistere cunctis diebus vitæ tuæ*, verumtamen cùm hæc promissio non foret implenda otiante Josue, sed media etiam humana adhibente, miserit *duos viros exploratores in abscondito.* Quod hi, cùm possent alio diverti, ad Rahab diverterint. Quòd hæc regios satellites non timuerit: *Misitque Rex Jericho ad Rahab dicens &c.* Quod ejus domus hæreret muro urbis, ut facilius posset exploratores emittere, & per eos postea liberari.

Josue 1. *Ibidem.* *Jos. 1.*

LXXIV. Neque dicas, Rahab fuisse meretricem, & consequenter non bonæ moralitatis. Etenim licèt fuerit meretrix in malo sensu, non esset multum, quòd ignorantia invincibilis excusaret fœminam natam, nutritam, & adultam in gente cæca, atque in illorum temporum ignorantia: Cùm experiamur in temporibus, & gentibus multò magis excultis invincibiles interdum ignorantias veritatum aliarum naturalium, non minorum veritate malitiæ simplicis fornicationis. Non omnes naturales veritatis veniunt in mentem omnibus, etiã viris litteratis. Secundò. Tametsi Serrarius multis argumentis probet Rahab fuisse meretricem in sensu obscæno, graves alii doctores censent fuisse illam meretricem in sensu alio, nempe fuisse Cauponariam, sivè ut loquitur Augustinus, *Stabulariam.* Etiam hoc eodem sensu intelligunt scripturam, sæpissimè vocantem hanc mulierem *Meretricem*, intelligunt inquam *Hospitam*, id est, mulierem, cujus quæstus erat Viatores domi suscipere. Quia tamen exercitio huic annexum esse solebat illud alterum Meretrium, ideò toties vocatur à Scriptura, & Patribus *Meretrix* juxtà duo principia, quæ multis exemplis firmavi, tum Decade 3. num. 36. videlicet solere scripturam uti verbis sonantibus rem esse; significantibus autem *solere esse*, v. g. *Ego semper docui in Synagoga*; nam solitus sum ibi docere, quamvis interdum extra Synagogam docuisset; & de sancta quadam anu scribit Lucas; *Non discedebat de templo*, hoc est, solita erat non discedere: quoniam ad aliquas functiones humanas necesse erat, quod à templo discederet &c. Tum etiam Decade 1. n. 57. videlicet solere Scripturam tribuere aliquibus, quod non ipsis, sed quodamodo suis competit, v. g. de Zacharia filio Barachiæ dicit Dominus: *Quem occidistis* (hoc est vestræ professionis homines occiderunt) *inter templum & altare.* Certum namque est illos, quos tunc Christus alloquebatur, nondum fuisse natos, quando ille Zacharias fuit occisus. Cùm ergò hospitæ in eis temporibus, ac gentibus meretriciam artem exercerent, & hæc Cauponariam comitari soleret, mirum non est, quod scriptura his duobus loquendi modis inhærens, toties hanc mulierem vocet meretricem, id est, de genere vitæ, seu exercitio aliàs meretricio; & consequenter mirum non est, quod multi Patres utantur eodem vocabulo; sed Lyræ, Titelmani, Montani, & aliorum authoritas contemnenda non est, qui vocem illam malè sonantem in sensu illo S. Augustini intelligunt. Et favet duplex conjectura. 1. Parùm credibile est, quod Salmon vir Princeps

Serrar. in 2. Josue.

Lib. 18. de Civ. Dei.

Joan. 18.

Luc. 2.

Principis tribus Judæ acceperit in uxorem fœminam pollutam, & prostitutam publicè; accepit autem hanc Rahab, quoniam Salmon *genuit Booz de Rahab.* 2. Parùm etiam credibile est, quòd duo illi exploratores ad rem tanti momenti, atque secreti per Josue missi, qui hoc ipso credendi sunt viri cordati, & sapientes, statim ad scortum declinarent, cùm tam altioris curæ rem pro manibus haberent; Sed redeamus ad exempla promissa.

Matth. 1.

LXXV. Exemplum quartum. Ruth quamvis extra populum Dei, & consequenter extra rectam, & puram fidem erat (quippe quæ Moabitis ex scelerato commercio oriundo cujusdam filiæ cum suo patre) bonæ tamen moralitatis fuisse videtur. Constat ex magna illa gratitudine erga suam socrum, exteram, vetulam, pauperem, & in patriam redeuntem. *Quocunque perrexeris, pergam, & ubi morata fueris, & ego pariter morabor;* Et hoc, quin detineri posset exemplo sociæ remeantis ad suos. Constat ex obedientia, quâ omnibus verbis socrûs obediebat. Constat ex generosa illa voce, quâ suam gentem, suósque Deos abjurans, dicebat: *Populus tuus, populus meus, & Deus tuus, Deus meus.* Ut autem nobilis hæc anima puram, ac necessariam ad salutem ebiberet fidem ex consortio cum pio illo viro Booz, quot modis providit Deus? Providit, quòd propter paupertatem iret ad colligendum spicas: quòd incideret in agrum Booz: quòd ab hoc videretur; quod ex socru disceret quid sibi cum eo faciendum. Quòd propinquior consanguineus nollet accipere illam, & reliqua, quæ in eo libro leguntur, donec pio Booz nupsit, & sic elevata ad progenituram Christi ebiberet fidem, prout par erat, quam in confuso optaverat, quando dixit socrui: *Deus tuus, Deus meus.* Quintum. Nahamam, licèt homo extra Ecclesiam antiquam, quippe qui Syrus erat, procul dubio fuit moribus probus: *Per illum enim dedit Dominus salutem Syriæ,* non permisit Dominus illum fide rectâ carere, per varia namque accidentia, quæ legi possunt loco citato, v.g. quòd Latrunculi ægrederentur de Syria, quod prenderent quandam puellam hebræam, quòd hæc recordaretur Elisæi, quòd ille leprâ laboraret &c. perduxit eum ad fidem, quam publicè professus est, inquiens: *Verè scio, quòd non sit alius Deus in universa terra: nisi tantùm in Israel.*

Ruth. 1.

Genes. 19.

4. Reg. 5.

Ibidem

LXXVI. His decem exemplis, quamvis sint casus particulares partim ex veteri, partim ex novo Testamento depromptis, rationabiliter concluditur universalis ea propositio, quam semel & iterum profert Augustinus: *Salus religionis hujus, per quam solam veram, salus vera veraciterque promittitur, nulli unquam defuit, qui dignus fuit, & cui defuit, dignus non fuit;* Nam ut præmiserat S. Doctor: „Ab initio generis humani aliàs occultius, aliàs evidentius, sicut congruere „temporibus divinitus visum est, nec „prophetari destitit; nec qui in eum „crederent, desuerunt: Et ab Adam „usque ad Moysem, & in ipso populo „Israel, quæ speciali quodam mysterio „gens prophetica fuit: Et in aliis gentibus, antequam veniisset in carne: „Cùm enim nonnulli commemorentur „in sanctis Hebraicis libris jam extempore Abrahæ, nec de stirpe ejus, nec „ex populo Israel, nec adventitia societate in populo Israel, qui tamen hujus „Sacramenti participes fuerunt; Cur „non credamus etiam in cæteris hac, „atque illac gentibus, alios, atque alios „fuisse, quamvis eos commemoratos in „eisdem Authoritatibus non legamus? Ex quo perdocto discursu concludit per viam paritatis. *Ita salus Religionis hujus &c.* ùt suprà. Addo extra ordinem famosam illam providentiam, qua Achiorem duxit Deus in veram tunc temporis Religionem, nempe Hebræorum. Imperator hic, utpote Amonita, extra Hebræam erat Ecclesiam, probus tamen erat, & probis cogitationibus refertam mentem habebat. Constat 1. ex impavida illa, & gravissima oratione, quam cæteris Ducibus mutire non audentibus, ipse habuit coram Holoferne, & tota hujus aula, in favorem Dei Hebræorum, hoc est, Dei veri. Secundo ex magnanimitate, quâ sententiæ suæ tenax non retractavit, quæ dixerat, licet Holofernes mortem ei minaretur. *Cùm percusserimus eos omnes, sicut hominem unum, tunc & ipse cum illis Assyrios*

S. Aug. ep. 102. ad Deogr. de ten. Christ. Relig. Idem de Prædest. cap. 8.

syriorum gladio interibis. 3. ex tolerantia, quâ se manibus, pedibúsque ligari permisit, *Ligaverunt Achior ad arborem manibus, & pedibus.* 4. Ex magnanimitate, quâ non fugit clam ex Bethulia, licet videret illam præ inopia aquæ destructioni proximam, deprecaturus Holofernem, & revocaturus, quæ dixerat. Hæc omnia videntur testimonia altæ existimationis, quam habebat de Hebræorum Deo; ut autem hæ piæ qualitates non perirent, carentes fide rectâ, & pura, quam inter suos non habebat, & per solos Hebræos accepturus erat á Deo, videns miraculum, quo urbem illam conservavit, & obsidentem exercitum prostravit, jam scis extraordinarias providentias, quibus usus fuit Deus. Stat ergo (quamvis solos aliquos Casus particulares protulerim) quod ab orbe condito, usque ad orbem destructum notitia fidei veræ, puræ, atque integræ *nulli unquam defuit, qui dignus fuit* (nempe *dignus* suo modo, non quatenus illam verè meruerit; absit, quòd radix, & initium justificationis cadat sub merito, sed quatenus rationabiliter vixerit juxta principia naturalia morum, in quo utiq; sensu utitur Augustinus illo verbo, acerrimus defensor gratiæ fidem prævenientis) *& cui defuit, dignus non fuit*; non solùm quia dissensurus prævidebatur, ut ibidem contendebat Augustinus: *Sine præjudicio etiam aliarum fortè causarum, quæ à prudentibus investigari queunt*, ut ibidem advertit S. Doctor (siquidem hæc sola ratio non potest dari pro Tyrijs, & Sydonibus, qui si vidissent miracula Christi Domini, pœnitentiam egissent) sed etiam quia personalibus culpis indignos prorsus sese reddiderant cœlesti doctrinâ.

LXXVII. Redeamus nunc ad difficultatem objectam num. 66. ùidelicet, quo jure pronuntiabit Judex illam sententiam *Discedite à me maledicti in ignem æternum*, contra illos, qui nati adulti, & mortui in antris, in sylvis, in angulis orbis ab initio mundi, nunquam audierunt fidem rectam, aut eam non audierunt sub ea morali evidentia, quæ prærequiritur ordinarie ad firmum, & immobilem assensum fidei; Respondeo, quod magno jure, quoniam, ut ibi dicebam, adulti isti, vel habuerunt in hac vita plenas advertentias, plenas deliberationes, plenásque voluntarietates, non solùm quoad res materiales, sensúque perceptibiles; verum etiam quoad res morales (quarum sanè plena advertentia, voluntarietas, & deliberatio plus requirit) vel non habuerunt: si hoc secundum, jam adlegi eos pueris, qui mortui sunt cum solo originali, & consequenter eandem, quam hi, æternitatem subibunt, absque pæna videlicet sensûs, & cum pæna damni. Si primum; rogo iterum: vel eis plenis advertentijs, plenis deliberationibus, & voluntarietatibus usi sunt semper absque peccato gravi contra principia naturalia morum, quod esset rara avis in terris; vel aliquando lapsi sunt in aliquod læthale contra ea principia; si primum, est Casus falsæ suppositionis: nam, ut constat ex toto discursu dato à num. 69. qui sub ignorantia fidei rectæ, ac puræ legem naturalem custodierunt, speciali Divina providentia fuerunt adducti ad rectam fidem, nè propter defectum fundamenti inutiles evaderent expensæ factæ in constructione Palatij Et quia, ut paulo ante Augustinus ajebat, salus veræ Religionis nulli unquam defuit, qui dignus fuit, dignitate utique negativa, per modum removentis prohibens; non autem positivâ, quasi initium fidei non sit donum, & gratia Dei, utpote datum secundùm merita. Si 2dum, en jus optimum, propter quod ad ignem æternum damnabuntur, nempe istud læthale, quod patrârunt contra legem naturæ. Quamvis enim non damnentur directè immediatè, ac formaliter propter infidelitatem, quoniam illa sententia Domini: *Qui autem non credit, jam judicatus est*; & illa alia. *Qui verò non crediderit, condemnabitur*, aut procedit de illo, cui sufficienter proposita est fides, id est, non sub mera probabilitate, sed sub evidentia morali obligationis credendi, aut de judicio, & damnatione propter infidelitatem, tanquam propter effectum peccati, in cujus pænam, seu propter cujus indignitatem Deus non perduxit hominem ad fidem, ut non perduxit Tyrios, & Sydonios; attamen merito damnabuntur directè ac formaliter

Joan. 3.

Marc. 16.

liter propter illud lethale contra legem naturæ, & sic indirectè, & arguitivè propter infidelitatem, quatenus si legem illam servassent, Divinâ providentiâ ita combinavisset res, ac circumstantias, ut fidem audirent sub evidentia morali veritatis, vel saltem obligationis admittendi illam: aut inquirendi in illam.

LXXVIII. Immediatè post sententiam latam, & omnibus manifestatam rectitudinem illius, ut insinuare videtur altercatio illa Reproborum. *Tunc respondebunt ei, & ipsi dicentes. Domine quando te vidimus &c.* Et redargutio Judicis. *Amen dico vobis, quamdiu non fecistis &c.* Sequetur executio, & initium erit à Reprobis; *Et ibunt hi in supplium æternum; Justi autem in vitam æternam.* Ita ut hi videant illos, antequam ab atmosphæra ascendant, submergi in voraginem infernalem igne, & fumo coopertos. Sicut enim in judicio particulari, quod exercuit Deus inter Datan, & Abiron ex una parte, & filios Aaron ex altera, *mane*, inquit, *notum faciet Dominus, qui ad se pertineant, & sanctos applicabit sibi*, evenit, quod ibidem dicit Scriptura: *Confestim igitur, ut cessavit loqui*, nempe Moyses, *dirupta est terra sub pedibus eorum, & aperiens os suum, devoravit illos*: Ita in judicio universali in illa ultima fatali die mundi exercendo, simul ac Christus redarguere cessat Reprobos, *ibunt hi in supplicium æternum.* Quomodo autem ibunt, nisi præcipites in æternam illam voraginem, & quomodo præcipitabuntur absque penetratione cum terra intermedia, nisi quatenus in hac vastissimus aperiatur hiatus, per quem illi ruant, sicut in levioribus terræmotibus leviores hiatus fieri solent; Prædestinati autem cernent ex alto supplicium, quod ex Reprobis sumi incipit, sicut olim Judices assistere solebant suppliciis nocentium. Rursus sicut in supplicio Core *factum est grande miraculum, ut Core pereunte filij illius non perirent.* Ita in supplio dicto Reproborum accidet miraculum simile, videlicet, ut illis pereuntibus, non pereant cum illis, hoc est, non præcipitentur simul in infernum illi, qui mixti cum eis, peccati originalis solius rei erunt; quoniam his, ut suprà dixi cum Suario, concedenda videtur æterna habitatio in hoc mundo superiore, tanquam in loco inter cœlum, & infernum, quemadmodum ipsi erunt in statu, quasi inter Cœlicolas (siquidem peccatum grave personale non habebunt) & damnatos, quoniam æternam subibunt pœnam damni.

LXXIX. Mundo purgato ab illa fœce hominum, & apostatarum Angelorum, incipiet tendere in Empyreum glorioſa illa Prædestinatorum Respublica; & possessionem hujus globi terraquei in æternum duraturam incipiet infelix numerosissima turba eorum, qui solo peccato originali infecti fuerunt, ut ex Suario dicebam n. 59. Contingétque respectivè illis, quod villanis pueris, quando vident à suo pago horrido discedere Regem cum tota splendidissima aula, tunc facienda videtur mundi renovatio, horâ nimirum tertiâ post meridiem, ut suprà arguebam ex Zacharia, hoc est occupante sole 45. gradum, ultra meridianum vallis Josaphat, ita ut hora illa non mensuretur horologus nostris, quæ profectò tunc non erunt, sed instantibus, aut particulis temporis intrinseci, quatenus nimirum tot transierint durationes, sive indivisibiles successivæ productiones solis ab ea, quam habebat, quando suum centrum erat in meridiano Palæstinæ, usque ad eam, quam tunc habebit, quot modo singulis diebus transeunt, ab eodem meridiano usque ad gradum dictum versus occasum. Continget itaque præcipitatio Reproborum, & immediatè post renovatio mundi, prædictâ horâ 3tiâ pomeridianâ. Etenim loquens prædictus Propheta, ut fusè explicui n. 46. sub figura felicitatum, & infelicitatum, quæ tempore Antichristi, & Machabæorum, manebant Hebræos, de felicitate, & infelicitate, quæ in ultimo die hujus mundi manent genus totum humanum, hanc horam tertiam pomeridianam demonstrare videtur

Matth. 23. *Ibidem.* *Num. 16.* *Ibid. 26.* *Zach. 14.*

videtur ; Vide , quæ ibi dixi. Nec propterea præsumimus scire diem , aut horam illam , quam vel Angelis ipsis ignotam esse asseveravit Dominus ; tum quia *suspicari* non est *scire* , ex vaticinio autem illo Zachariæ suspicamur quidem calculum , & horam dictam , sed quis est adeò audax , ut præsumat se ex illis verbis certò assequi , aut scire diem , vel horam illam ? tum quia totus hic calculus trahit originem ex illa die 35. suprà 1300. à Sacrificio Missæ per Antichristum abrogato , ut suprà dicebam ex Daniele : Quis autem
Daniel. 12 scit diem , in qua edictum illud infame publicabitur ? Pudet repetere hoc , quod toties monui ; sed aliquibus non sufficit semel rem audivisse.

§. VII.

Reflexio supra totam hanc Disputationem.

LXXX. NOtaveris me in tota hac Disputatione frequentissimè , & ferè usque ad nauseam usum fuisse his , aut æquivalentibus verbis. *Videdetur : Fortè , Forsan &c.* Ratio fuit compositum quoddam ex his consideratio-
Zach. 14 nibus. 1. Cùm ambæ hæ ultimæ Disputationes fuerint de rebus futuris , non aliunde scibilibus , quàm ex sacra Scriptura : Et hæc adeo enygmaticè loquatur de illis (præsertim quoad circumstantias) quâ fronte possumus definitivè , & absolutè loqui nos de ijsdem ? *Quis sapiens , & intelliget hæc ?* Sufficit eminus , quæ cominus tractare manibus non licet , ad reverendum autem quamvis à longè , requiritur à longè saltem cognoscere. 2do. Juxta Jacobum , *Quæ autem desursum est sapientia , primùm quidem pudica est* ; Hæc verò pudicitia , ut ex Carthusiano bene notat Cornelius , consistit præter alia in
Epist. Jac. 3 eo , quòd homo accedat , *non præsumptuosè , impudenter , ac temerarie ingerens se*
A lap. ibid. *ad Divinorum , & incomprehensibilium perscrutationem* , qualiscunque autem nostra sapientia , licet longissimè distans ab ea , de qua Apostolus , à longè saltem eam imitari debet. 3tio. Sapiens antiquus Senatus Romanus in suis Senatûs Consultis , & Senatores in suis exponendis sententijs , frequentissimè , ne dicam , semper utebantur verbo *Videor* v. g. Videtur è Republica esse ; non videtur è Republica esse , si videbitur è Republica esse. *Videtur & hoc mihi , Carthaginem non debere esse* , ut semper dicebat Cato juxta Plutarchum: *Plutarch. in vit. Cat. paulò ante finem.* Econtra Scipio Nasica *Perpetuò pronunciavit , Videri sibi Carthaginem debere esse.* Hic videtur sensatus modus loquendi de rebus , quæ nec metaphoricè , nec physicè , nec adhuc moraliter sunt evidentes. Atqui nullo ex his modis sunt evidentes circumstantiæ rerum futurarum in ultimo quadriennio , super quibus disputavi in his duabus Disputationibus , imò neque illatio illarum ex Scripturis , de rebus illis loquentibus. Ergo sensatè loquitur de illis , qui locutionibus utitur castigatis illo verbo *Videor* , aut illo *Forsan* , aut alio æquivalente. Quia verò frivola affectatio esset , omnibus , & singulis propositionibus inserere illa verba , hac de causa contentus fui spargere illa per totam Disputationem , jam hàc , jam illàc , ut prudens Lector conijceret , quid judicarem reflexè de aliis assertionibus rerum , aut circumstantiarum futurarum , quibus , non adjungebam illa verba , tædij vitandi causâ. Quod si è contrario alius , plùs justò timidus , dicat satius fore , silentio prætermittere ea , quæ certò assequi nequimus circa tempora illa , magnam quandam rem dicet. Nimirum suggiliandos esse , quotquot graves Authores , antiqui , & moderni scripserunt de rebus illis ; solos Canonicos excipiendos ; & insuper cùm res , de quibus habemus certitudinem immobilem , apud omnes sint adeò paucissimæ , expungendæ , atque abijciendæ essent omnes speculationes hinc inde agitatæ , atque controversiæ , uníque otio , aut contemplationi solarum rerum absolutè , ac simpliciter certarum vacandum esset. Solennis frigiditas. Meminisse debuerant hi , authoritatis viri illius , qui scripsit : *Non so-* *Arist. 2. Metaph. cap. 1.*
lùm illis agendæ sunt gratiæ , quorum opinionibus quis acquiescet , sed illis , qui superficiem

ciem tenus dixerunt. Et meritò: *Conferunt enim aliquid etiam isti, habitum namque nostrum exercuerunt.* Cujus veritatis exemplum apponit ibi. Satiùs itaque existimavi, vel superficiem solam leviter attingere magnarum rerum, quæ manent totam humanam sobolem in ultima periodo, quam certiora alia, sed minoris momenti disputare.

LXXXI. Jam ratio, quasi à priori, nempe prout capax est hæc materia eorum omnium, quæ sub dictis limitationibus asserui in his duabus disputationibus, quæque singulis applicanda est, quando de singulis occurrat sermo. Componitur ex his tribus membris. Imprimis Prophetiæ omnes sacræ, quas produxi circa ultima ea tempora, aliquando, & alicubi debent verificari; quia hoc debetur infallibilitati verbi Dei, & non apparet locus, tempus, & circumstantiæ opportuniores, quam illæ, in quibus verificanda fore dixi; vel cedo illas. Deinde neque ex naturâ ipsâ rerum, neque ex præsente Providentia, quâ Deus tum per se, tum per Angelos, tum per homines gubernat hunc mundum, assurgit ulla specialis difficultas contra sensum litteralem, & obvium eorum locorum sacræ Scripturæ (loquentis de magnis illis rebus futuris interdum sermone figurato sub symbolis, figuris, & metaphoris, & hieroglyphicis, quibus etiam aliquæ gentes locutæ sunt; interdum sermone simplici) ex quibus conjeci omnia & singula, quæ ùt conjecturalia dedi. Deinde singuli casus particulares, & singulæ circumstantiæ, quas dixi, consentaneæ sunt illi sensui obvio, & litterali eorum locorum, ut illas cum his combinanti apparebit. Ergò prudenter videtur, quòd res illo modo erunt; seu, ergò forsan ita erunt. Quid contra hoc! num quod res non est certa? jam dixi, quòd si solæ res exploratæ, & claræ tractandæ essent, abjici debeat maxima pars humanorum discursuum. Et nuper audivimus à Philosopho, quòd in quibusdam rebus, vel solam superficiem attingere, sufficit. Exercetur namque humana mens modò per assensum promovendo novis rationibus illud idem, quod audit aut saltem novis conjecturis; modò per dissensum, excogitando conjecturas, aut rationes contra illud.

CAPUT V.

De statu hujus mundi post executam Sententiam.

LXXXII. DUæ tandem breviter expediendæ restant difficultates. Prima; qualis futurus sit status mundi hujus inferioris post reproborum præcipitium in infernum, & Electorum elevationem in cœlum? Respondeo, quod attinet ad incolas irrationales, nullus videtur futurus, quia naturaliter perire debent igne illo prævio cuncta animalia, etiam aquatilia in cujus signum proijciente Angelo quasi monte ardente in mare: *Mortua est tertia pars creaturæ eorum, quæ habebant animas in mari.* Post judicium autem non resurgent, neque constat Deum creaturum alia de novo; nec videntur practicé necessaria ad ullum finem (fore autem necessaria ad pulchritudinem hujus mundi, nimis probat, & non constat eum habiturum determinatum illum pulchritudinis gradum, qui consistit in animalibus irrationabilibus) siquidem incolæ rationales tunc futuri pro nulla penitus re egebunt, sicut nos egemus modò subsidio bestiarum, neque generabitur ullum animal ex putredine, quia cùm mundus hic renovandus sit in æternum nullam habebit corruptionem, aut putredinem. Propter eandem rationem nullum restabit vegetabile. Complexum enim ex solis terra, aqua, & aëre, puris ab omni sorde, mixturáque rerum extranearum, prout tunc erunt, & prout modo non sunt, nisi accedat aliquod subsidium ex atomis, halitibus, vaporibus, exhalationibus vagantibus per superficiem terræ, & ascendentibus ex partibus interioribus, quorum nil dabitur tunc, siquidem cessatura est omnis generatio, & corruptio id generis. Complexum, inquam, illud etiam adjutum influxibus syderum, impar est producendo ullum vivens

Apoc. 8.

vivens adhuc vegetabile : Unde initio mundi fuit necessaria specialis cooperatio Dei, expressa imperiosis illis verbis: *Germinet terra herbam virentem &c.* ut illam germinaret. Similiter nullum restabit minerale, quia ad nil penitus erit necessarium, & rationem pulchritudinis nimis probare jam dixi, & quia verò similius videtur, ignes omnes subterraneos, qui nunc sparsi sunt per totum hunc globum, quique magnum influxum habent in fabricas metallorum, & marmorum, revocandos tunc fore ad centrum, id est, ad infernum. Et hinc etiam sequitur non futuras tunc nubes, pluvias, atmosphæram terrestrem, aut ullum aliud phænomenum, cùm horum omnium magna origo sint subterranei ignes, non multum distantes à superficie. Et ratio præcipua est, quia ab illa die 35. cessatura videtur omnis generatio, & corruptio distincta ab ea, quæ naturæ humanæ secundùm se est valdè connaturalis, v. g. mutatio ubicationis, cessatio ab unis actibus intellectus, & voluntatis, atque conceptio aliorum &c. Erit igitur, ùt videtur verosimile, pura terra, pura aqua, cùm ea tamen mixtura, quam illius moles requirit, ne redigatur in pulverem, purus aër, purus ignis (hæc quatuor elementa sunt partes primariæ hujus mundi, unde nullum deficiet tunc, sed renovabitur, & purgabitur) & puri homines; reliqua verò omnia mixta, sicut montium, & vallium inæqualitas, nunc quidem necessaria, tunc verosuperflua, in æternum exulatura videntur, & quidem de æterna duratione terræ videtur constare, quia *terra in æternum stat.*

Genes. 1.

Eccles. 1.

LXXXIII. De mari est aliqua controversia, sit necnè perseveraturum, quoniam Joannes postquam dixit: *Vidi cælum novum, & terram novam*, addit, *& mare jam non est.* Ergò docet cœlum, & terram non quidem destruenda, sed renovanda esse: Mare verò non renovandum, sed destruendum fore, atque exsiccandum, de quo Augustinus dubitat, inquiens: *Utrum maximo illo ardore siccetur, an & ipsum vertatur in melius, non facile dixerim.* Verumtamen probabilis est opinio eorum, qui censent mare non esse destruendum, quoad substantiam, (cùm sit pars adeò primaria, & integralis hujus globi terraquei, & cùm sit aqua unum ex elementis mundi hujus; Unde si hic mundus perseveraturus est quoad substantiam, necesse est, quòd perseverent etiam quoad substantiam sua elementa, sive prima principia) sed esse renovandum quoad entitatem, & corrumpendum solum quoad accidentia. Hæc renovatio, & corruptio consistet in eo, quòd illa eadem individua aqua in eadem, vel simili voragine, demptis imperfectionibus salsedinis, gravitatis, turbulentiæ, graveolentiæ &c. quæ omnia necessaria erant ad fines divinæ Providentiæ respectu hominum victurorum in hoc globo, usque ad diem Judicii, redigatur in pristinum statum, quem habuit, quando creata fuit, id est, evadat aqua pura elementaris, qualis est illa, quam disput. 1. dixi; incubare supra stellas fixas, & sic evadat, quasi spiritualis, in eo respectivè sensu, in quo de nostro corpore ait Paulus; *Seminatur corpus animale, surget corpus spirituale*, id est, ità purum, & defæcatum, ut spiritus videatur. Quod autem neque Joannes, neque Petrus quidquam dicant expresse de renovatione maris, sed cœlorum duntaxat, & terræ, non urget. Quoniam ut benè observat Ribera, neque Moyses dixit quidquam expresè, ac formaliter de creatione aquæ, & tamen certum est, quod fuit in principio creata: Sicut ergò sub illis verbis Moysis: *In principio creavit Deus cœlum & terram*, intelligitur creatio aquæ, quippe quæ est una ex partibus integrantibus primariis globi terraquei, qui à parte magis habitata hominibus simpliciter, & absolutè vocatur *terra*: Ità in utrisque verbis utriusque Apostoli intelligitur ob eandem rationem renovatio aquæ. Neque urget illud *mare jam non est*, quia sine ulla violentia potest intelligi de non esse, quale erat prius, de non esse quoad accidentia, secundùm quæ horridum, & notissimum erat. De persona quippe eadem in individuo, sed quæ notabilem aliquam subjerit mutationem, passim dicimus: *Jam non est ille.*

Apoc. 1.

Apocal. 21.

Lib. 2. de Civ. c. 16.

1. ad Cor. 15.

2. Petr. 3.

Riber in 21. Apoc.

Satis námque notum est responsum illius sapientis juvenis, qui amasiæ dicenti: *Ego sum illa*, respondit: *At ego non sum ille*, & Æneas de Hectore eodem in individuo loquens ajebat: *Quantum mutatus ab illo Hectore &c.* Non est ergo inusitatum, sed frequens valde dicere, *jam non est*, de re illa, quæ licèt physicè quoad substantiam, & entitatem sit eadem, notabiliter mutata est.

LXXXIV. Cùm ergò mare habiturum sit notabilem mutationem dictam, mirum non est, quòd Joannes dicat de illo: *Jam non est.* Hac autem phra. si non utitur loquens de cœlo, & terra, quamvis subituris non minorem mutationem. Tum quia liberum fuit ei, unis verbis loqui de uno, & alijs de alio; tum quia cùm mare sit hominibus terribile, secus cœlum, & terra, expressioribus verbis amovere voluit terrores maris. Unde dixit: *Mare jam non est.* Sanè Petrus prædicere quoque videtur non esse cœlorum, elementorum, & terræ. *Cœli magno impetu transient; elementa verò calore solventur, terra autem, & quæ in ipsa sunt, opera exurentur. Cùm igitur hæc omnia dissolvenda sint &c.* Et tamen hoc testimonium communiter intelligitur non de non esse harum rerum quoad substantiam, sed non esse quoad accidentia, quæ modò habent, seu de non esse, qualia nunc sunt. Verò itaque simillimum est, permansurum mare quoad substantiam, sed absque ullo motu, & procella, quia hi motus nascuntur maximè ex submarinis halitibus, spiritibus, seu exhalationibus, magno impetu erumpentibus ex fornacibus submarinis, & agitantibus aquas, sicut agitare solent hanc nostram atmosphæram, quando flat ventus, adjuvantibus etiam supernè ventis radentibus superficiem maris, & adjuvante insuper ipsa marinæ aquæ gravitate, quæ si semel motum concipiat, atrocissimè movetur. Atqui tunc deficient omnes illæ fornaces subterraneæ, & submarinæ, quia licèt nunc necessariæ sint hominibus nunc habitantibus terram, tunc prorsus inutiles erunt hominibus tunc habitaturis eam, nempe illis, qui solo peccato originali tenebuntur. Unde omnes ignes subterranei, quos modò sparsit Deus per hunc globum, videntur extinguendi, aut revocandi, ut suprà dicebam, in centrum, infernum videlicet damnatorum. Deficient similiter venti, deficiet gravitas aquæ marinæ, & deficient omnia, quæ corpus illud inquietant. Ergo nullus in eo erit motus. Neque luna inducet tunc fluxum, quem modò inducit, neque vasta corpora cœlestia, quæ inter tropicos movebuntur ab ortu in occasum, rapient post se mare illis suppositum, ut modò rapiunt, juxta ea, quæ scripsi in Philosophia Tract. inter explicandum omnes motus marinos.

2. Pet. 3.

LXXXV. Quia licet hæ causæ inducant hos motus in subjecto capace, quale modò est mare propter densitatem, & resistentiam, quam habet, & qualis etiam est tota Regio à nobis usque ad stellas, propter summam copiam atomorum, corpusculorum, halituum, vaporum &c. quibus referta est; attamen inducere nequibunt hos motus in subjecto incapace, quod ab illis adeò distantibus moveatur; quale tunc erit mare, & tota dicta Regio propter totalem tenuitatem, puritatem, & exilitatem, quam habebunt, utpote redacta ad purum, & simplex esse elementare. Similiter neque mare illud irrumpens per tortuosos subterraneos canales, erumpet per montium vertices, unde neque erunt tunc lacus, fontes, fluminave à mari, sive à pluvijs (quas jam negavi suprà) nascitura, tum quia homines illi nullatenus his egebunt, & hæc ad nullum finem erunt necessaria, nisi ad illum valde generalem pulchritudinis mundi, qui finis si admitteretur, multa alia admittenda fore probaret: tum quia origo aquarum erumpentium ex mari ad formandum lacus, fluvios, & fontes, est, quam dedi loco illo citato Philosophiæ. Nimirum gravitas aquarum superiorum maris, prementium inferiores, ut penetrent

netrent per anguſtos, tortuoſos, & difficiles canales ſubterraneos, & erumpant, quà porta datur. Item perpetua inquietudo aquarum illarum, item ſiccitas ſuperiorum partium terræ, attrahentium inſtar ſpongiæ aquas, item ignes ſubterranei mittentes ſurſum in vaporem partem magnam aquarum, quæ ſupra ſuam regionem derivantur ex mari. Complexum horum omnium eſt cauſa extractionis aquæ tantæ ex mari ad ſuperficiem terræ; atqui tunc nulla ex his cauſis dabitur, ut toties dixi; ergo nec dabuntur fontes, nec lacus, nec fluvij. Et hæc eſt alia cauſa, ne dentur herbæ, olera, arbores, & alia vegetabilia; imò ne detur ullum animal diſtinctum ab illis dictis hominibus, qui utpote immortales, & incorruptibiles, nullo horum egebunt.

LXXXVI. Quod attinet ad incolas rationales hujus globi terraquei, duo erunt illorum ordines: unus obiter per accidens & tranſeunter in eo habitantium; alter habitualiter, permanenter, ac per ſe (attentâ ſuâ conditione, & æterno Dei decreto) habitaturorum in eo per totam æternitatem. Primi ordinis erunt homines ſancti habitualiter, ac quaſi per ſe æternum victurorum in Empyreo. Hos namque, ut ſæpe dixi, non debemus imaginari, quaſi marmoreas ſtatuas æternè affixas loco eidem, quinimo ut capaces eundi quocunque voluerint, cum præditi ſint futuri dote agilitatis, unde, ut ſuſpicabar Diſp. 4. num. 167. Philoſoph. natural. vagabuntur quandoque per terreſtrem etiam globum, viſuri etiam oculis corporeis, quibus etiam Deum coluerunt, ſtupenda opera corporea Divinæ Potentiæ, quin propterea relinquant cœlum pro formali, hoc eſt beatitudinem formalem, ſicut neque Angeli relinquunt eam modo, quando ad nos deſcendunt, neque deſinunt aliquando cum Domino eſſe, neque Chriſtus Dominus illa beatitudine carebat, quando in Palæſtina verſabatur; & quidem Reprobi punientur in oculis corporeis, quibus peccarunt, cur Sancti non præmiabuntur in oculis corporeis, quibus meruerunt [?

Item ſi Prædeſtinati nunquam omnino diſſceſſuri eſſent ab Empyreo ad globos inferiores ſyderum fixorum, & Planetarum, elementorum, & terræ minùs propriè dixiſſet Petrus: *Novos verò cœlos, & novam terram ſecundùm promiſſa ipſius expectamus, in quibus juſtitia habitat.* 2. Petri 3. Ut quid enim *expectamus* id, quo nunquam in æternum fruituri ſumus, certi de hac non fruitione? quæ juſtitia habitabit in terra renovata, ſi non alij habitabunt eam, quam homunculi illi peccati originalis rei? Non eſt ergo à veritate alienum, quod multoties in tota æternitate Sancti multi habitabunt in hoc globo terraqueo, ubi ſuas luctas, & ſæva etiam prælia habuerunt cum diabolo, cum carne, cum mundo, tametſi habitatio futura ſit tranſiens, obiter, & quaſi per accidens.

LXXXVII. Alter ordo illorum erit, qui cum nullo alio lethali mortui ſunt, quam originali; hi enim alicubi eſſe debent, non in cœlo, non in inferno; videtur ergo, quod in terra, quam ab initio dedit Deus filijs hominum. De his egi ſuprà num. 59. & ſeqq. Modò addo, quòd cum illi victuri, & reſurrecturi ſint in corpore virili (quam enim rationalem vitam haberent in corpore bimeſtri, ſemeſtri &c.) & anima rationalis junctiones rationales exerceat in corpore humano virili, aptéque organizato, ut illa organizanda videntur, gens illa uſu rationis fruetur. Aſt cum nullo uſura ſit cibo, potu, veſte, ſanguine, qui alimentum ſit, aut generationi ſerviat, aut ſimili adjutorio hujus noſtræ caducæ vitæ, eò quòd Deus in ſtatum immortalitatis, & incorruptibilitatis translaturus ſit ipſos, cùm hæc inquam ita ſint futura, multâ arte, nullo exercitio ex noſtris utetur, quia nullius ex his noſtris rebus indiga erit. Item corpora illa, ſicut neque glorioſa, neque damnata, non habebunt humores v. g. bilem, pituitâ, phlegma &c. Neque vaſa, & membra, quæ nutritioni prærequiruntur, vel illam ſupponunt, ut ſunt inteſtina, ſplen veſica &c. quia iſta ſunt partes integrantes quidem naturæ noſtræ, ut in hoc ſtatu corruptibi-

litatis, sed non naturæ humanæ secundum se præcisè, quapropter habebunt corpora humana pura secundùm perfectam figuram, & integritatem partium primariarum, quibus defacto compegit Deus corpora humana, præscindendo á corruptibiltate. Rursus cùm nullum unquam commissura sit peccatum, eo quia jam non erunt in statu viæ, nec Deus concessurus sit ipsis liberum arbitrium ad peccandum, cúmque nullam expertura sit rebellionē appetitus contra rationem; eò quòd, licèt habeant peccatum originale, quod maxima radix est hujus inordinationis, habebunt illud vividum quidem, & efficax in ordine ad æternam pænam damni, sed mortificatum in ordine ad cætera, sicut habuerunt illud, quando ex vita hac discesserunt, nam quod tunc faciebat temperies corpusculi bimestris, aut semestris, aut unius anni &c. faciet in longissima ea vita, quæ eos manet, efficax decretum Divinum conservandi eos in personali innocentia, & nunquam concurrendi cum eis ad ullum peccatum. Inde est, quòd neque leges, neque Magistratus, neque Respublicas, neque Principes habebunt, sed segregatim vivent sparsi per terraqueum hunc globum, non sanè more pecudum, sed more innocentium, nemini facientes, & à nemine accipientes injuriam, nihil appetentes, & nullius rei indigentes, & consequenter vitam simplicem, tranquillam, & quietam habentes, leges naturales non tam erunt illis leges, quàm antecedens impotentia faciendi quod aliàs prohibetur per illas.

LXXXVIII. Quando diversimodè opinentur (non enim scient singuli omnia) unusquisque proferet suam opinionem, & hinc sistet, quin judiciorum diversitas redundet in voluntates eo modo (sed respectivè, ac servatis servandis) quo sancti Angeli interdum discordantes in judicio (siquidem nec ipsi sciunt omnia, & capaces sunt judicandi diversimodè super multis, quæ neq; agnoscunt intuitivè, neque à Deo accipiunt per revelationem, ut ex Daniele, & alijs Prophetis colligitur) non dissentiunt in voluntatibus; quando membris corporis aliquid agant v.g. ambulare, loqui &c. agent, donec vellent, & donec vires humanæ possint, & hoc absque fatigatione, ac molestia; quando vires illæ humanæ non possint, cessabunt, non propter fatigationem, sed propter impotentiam (quia vires illæ terminum habebunt) sicut nos non propter fatigationem, sed propter physicam impotentiam non possumus manuprendere Lunam. Horum & similium ratio, quasi à priori resolvitur in decretum Divinum (cujus existentia est valde verosimilis, & contra quam nil insurgit ex natura rerum, aut ex sacra doctrina) infligendi hominibus illis hanc unam pænam *æternæ privationis gratiæ ac gloriæ*, & consequenter non negandi eis ullam ex eis naturalibus perfectionibus, atque felicitatibus, ut satis probabiliter judicat Suarius, quæ spectant ad naturam humanam non secundum se præcisè, v. g. non secundùm statum puræ naturæ, sed secundùm systema perfectionum pure physicarum, & naturalium, quas adhuc post peccatum originale voluit concedere huic naturæ, & quarum nonnunquam dedit aliquod indicium, & quæ insuper sunt consequenter ad decretum efficax Divinum conservandi eos homines immortales, & incorruptibiles in ea conditione vitæ per totam æternitatem. Ex hoc decreto Divino prudenter statuto, quandoquidem gens illa nullo membro sui corporis, nullo actu suæ mentis abusa est contra Deum, prudenter inferuntur, quæ cum dicto Doctore dixi de illa gente, habitatura hunc mundum post judicium finale. De vita Chr. lib. 3. q. 2. Disp. 3.

Daniel 10. Zachar. 1. Apocal. 5.

CAPUT VI.

Quo sensu Christus post diem Judicij tradet Regnum, & subijcietur Deo.

LXXXIX. ALtera difficultas est: Supposito, quod post diem judicij status miserrimus damnatorum, futurus sit, quem sub metaphora mortis temporalis prædixit Job: *Terram tenebrosam, & opertam mortis caligine, terram miseriæ, & tenebrarum, ubi umbra mortis* (non mors ipsa physica, quia miseri illi Job 10.

immortales erunt) *& nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitat*: quem Dominus toties nos docuit. *Tenebras exteriores. Ibi erit fletus, & stridor dentium.* Et alibi. *Crucior in hac flamma*, inter quam, & Beatos firmatum erit invincibile *Chaos magnum*, quatenus ex vi absoluti atque efficacis decreti Divini, nullus damnatus possit ascendere ad Beatos & nullus horum possit descendere ad illos: quem Isaias vaticinatus fuit, inquiens: *Vermis eorum* (nempe tristis memoria *potui*, & *nolui*) *non morietur*, de quo verme tanquam de tormento specialissimo reflexionis digno, ter nos admonet Dominus per Marcum. *Et vermis eorum non moritur*; & denique, quem olim quoq; Paganis antiquis suboluisse voluit Deus, ex qua notitia dixit unus. *Immortale jecur tundens, fœcundáque pœnis viscera.* Item. *Sedet, æternúmque sedebit infelix Theseus.* Suppositio inquam hoc, quæritur, qualis erit status Ecclesiæ triumphantis non quidem in ordine ad alia; sed in ordine ad Christum, & ád Deum Patrem.

Luc. 26. *Isai 66.* *Marc. 9.* *Æneid. 6.*

XC. Fundamentum huic quæstioni dedit Paulus, qui loquens de resurrectione generali: *Sicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Christo* (hoc est, propter merita Christi, quia hic est causa meritoria tanti miraculi, quamvis illud in plurimorum perniciem, eorum culpa cessurum est) *omnes vivificabuntur*: Item de inæqualitate gloriæ, ac pœnæ, ad quam resurgent: *Unusquisque*, inquit, *in suo ordine*: Item de fine hujus mundi. *Deinde finis*, subjungit de Christo, *cùm tradiderit regnum Deo, & Patri*, quod tunc erit finis mundi hujus, item *cum evacuaverit omnem Principatum & potestatem & virtutem*, nimirum mundanam (quia in fine mundi cessabunt Reges, Magistratus, Monarchiæ, exercitus, & omne robur humanum) & diabolicam quia tunc etiam Christus triumphavit, & ultimo infelices omnes illos Angelos, qui ex his choris rebellârunt, simul cum Lucifero, illos in æternum sepeliens in inferno, ne amplius quidquam audeant juxta illud. [Diabolus, qui „seducebat eos, missus est in stagnum „ignis & sulphuris, ubi, & bestia, & Pseudopropheta cruciabuntur die, ac „nocte in sæcula sæculorum. Quos eosdem Angelos, Apostatas scilicet, Principatus, & Potestates, jam olim in Cruce *traduxit confidenter. palam triumphans illos in semetipso*, tametsi adhuc sit nobis colluctatio adversus eosdem, id est, *adversus Principes, & potestates, adversus mundi Rectores tenebrarum harum*, & ne aliquis putaret se loqui de solis humanis potestatibus, addit Apostolus, *contra spiritualia nequitiæ in cœlestibus*, id est, è numero, & genere cœlestium. Ex Cruce enim, seu propter meritum passionis suæ, ligavit illos, tanquam canes ad catenam, sed relinquens eis facultatem mordendi, atque dilaniandi stultos, qui ipsis accederent, in fine verò mundi cessabit hæc facultas; unde tunc evacuabit omninò, & absolutè *omnem Principatum, & potestatem, & virtutem* diabolicam: unde obiter suspicari possumus, quod cum semel, iterum, atque iterum meminerit Paulus Angelos horum chororum, ut Christo, & nobis adversantes plures fortè ex his tribus choris apostatarunt cum Lucifero, aut fortè diaboli, qui nos magis persequuntur, fuerunt olim ex his tribus choris, non enim sine causa inculcat toties eosdem choros, ut nobis adversarios.

ad Cor. 15 *Apoc. 20.* *Ad Coloss. 2*

XCI. Pergit Paulus dicens de Christo: *Oportet autem illum regnare, donec ponat omnes inimicos sub pedibus ejus.* Sanè *oportet*: quia ut impleatur promissio Patris: *Dixit Dominus Domino meo sede à dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum.* Oportet, imò necessarium est, quòd Christus regnet, hoc est, dirigat, gubernet, absolvat, poniat, præcipiat, præmiet, & reliqua Regiæ Majestatis exerceat usque ad finem mundi, quia tunc tandem Lucifer cum hominibus, & Angelis, qui suas partes secuti sunt, & non antè, inviti, & absque ulla facultate excutiendi jugum, subjecti erunt Christo Domino ex vi absoluti, & efficacis decreti divini, non permittendi illis ullam ampliùs ulteriorem rebellionem, & infligendi illis pœnam debitam pro contumacia præterita; Illud itaque *regnare*, quod dicit Paulus, & hoc *sedere*,

quod dicit David coincidunt in idem; tribuitur autem soli Patri tam illud decretum, quam illius effectus, quoniam licèt ambo indivisè procedant ex tota beatissima Trinitate; At, ut semel, & iterum dixi ex Augustino, solus Pater est primum principium, primáque origo cæterorum omnium bonorum, exceptâ divina essentiâ: Et in locutionibus doctrinalibus traduntur res per resolutionem in suum primum principium, quod simul est ultimum resolutivum. Illa verò

Matth. 1, ambo *donec* significant sicut illud Matthæi: *Non cognoscebat eam, donec peperit filium suum.* Cuncta hæc tria *donec* habent sensum merè exclusivum interruptionis, & quasi parenthesis alicujus in illa re, de qua est sermo: v. g. non *cognoscebat eam donec*, valet, hujus non cognitionis, sivè, non commercii maritalis non fuit ulla parenthesis, sive interruptio per cognitionem oppositam in toto tempore, quod partus processit, unde filius non fuit ex Josepho, sed ex Maria; similiter regnare, & sedere *donec*, valet, nulla parenthesis, nulla interruptio est per actum oppositum in regno, sive sessione Christi in tempore toto, quod præcedit omnimode subjectioni hostium Christi, habent itaque verba illa sensum merè exclusivum, & limitatum usque ad terminum post illam significatum non autem sensum *positivum*, & transgredientem illum terminum hoc est significantem positivè, directè, aut indirectè, eventurum oppositum post rem, cui præponuntur illa adverbia, cujus rationem à priori dabo num. 95. neque per verborum torturam coarcto illud *donec* ad significandum hoc modo. Sic non alloquebantur etiam Latini, quorum unus, & magnæ inter illos authoritatis loquens de tercentis annis, quibus duraturum erat regnum Albæ Longæ, & alludens ad Rheam Sylviam filiam Numatoris, cui regnum albanum debebatur, & quam suus Patruus Amulius renuntiaret sacerdotem vestalem, ne prolem haberet, frustra tamen, quia sub ementito Marte geminos edidit: Loquens inquam de illius regni duratione,

Æneyd. 1. ait, *donec Regina sacerdos Marte gravis geminam partu dabit Ilia prolem*, & tamen illud regnum non cessavit partu eo, quoniam post eum duravit usque ad Jullum Hostilium, cujus tempore Cloelius ultimus Rex albanus mortuus est juxta Livium, juxta quem Hostilio præcesserunt Romulus & Numa, de quibus ibidem scribit: *Romulus septem & triginta regnavit annos: Numa tres & quadraginta.* Quibus si addas annos juventutis Romuli, & duorum interregnorum, & qui regnante jam Hostilio præcesserunt morte Cloelii, ultra 80. ad minimum annos habebis durationis Regni Albani, post quam *Regina sacerdos Marte gravis &c.* Ergò in sermone Latino Albanum duraturum *donec Regina sacerdos &c.* non significat eventurum oppositum, id est, protinus cessaturum illud regnum post eum partum. Liv. lib. 1. Idem lib.

XCII. His missis pergit Apostolus explicare statum, quem tunc habiturus est mundus: *Novissima autem inimica destruetur mors*, nimirum per omnium quondam mortuorum hominum immortalitatem oriundam ex efficace absoluto decreto divino conservandi vivos in æternum omnes, qui resuscitati sunt; Et similiter destruetur mors spiritualis, peccatum videlicet per simile decretum divinum, non amplius permittendi ulli creaturæ ullum peccatum formale, hoc est factum cum libertate indifferentiæ, siquidem nulla jam creatura erit in statu viæ. Post quæ concludit Paulus, *cùm autem subjecta fuerint illi* (nempe Christo) *omnia, tunc & ipse Filius subjectus erit ei, qui subjecit sibi omnia.* Hic erit status, quem habebit triumphans Beatorum status respectu Christi, & respectu Dei Patris. Sed duæ occurrunt hic difficultates. 1. Quid est physicè à parte rei illa traditio regni: *Cùm tradiderit regnum Deo, & Patri* (nominatim autem *Patri* propter ipsius caracterem & notionem, tum innascibilitatis, tum Primatus in origine aliarum divinarum Personarum) Num Deus Pater, à quo poscimus edocti per ipsum Christum. *Adveniat regnum tuum*, caret hoc regno, aut indiget, quod sibi ab alio tradatur, cùm ipse sit prima origo, & primum principium regni hujus, ac propterea non dicitur de aliis Per-

Personis divinis, sed de solo Patre, quòd ipsi tradendum sit regnum. Respondeo 1. cum S. Augustino ajente: *Cùm tradiderit regnum Deo, & Patri, id est cum Patrem regnare monstraverit, ut per speciem, manifestationemque claresçat, quod nunc à fidelibus creditur, & ab infidelibus non putatur*: Quam explicationem elicit S. Doctor ex quadam observatione, quam ibi meminit à se facta suprà Scripturam. Sic enim inquit, plerumque scriptura loquitur, ut quod semper est, tunc fieri dicatur ab aliquo, cùm in eo cognosci cæperit: quam observationem multis exemplis firmavi Decade 4. num 17. Post judicium itaque finale tradet Christus Patri regnum, quatenus ostendit toti suæ Ecclesiæ Patrem regnare, hoc est, esse principium, & originem primam omnium donorum creatorum, quæ species regni soli Patri convenit, non autem Filio, qui à Patre est genitus, neque Spiritui sancto, qui ab utroque procedit. Vide duo exempla hac super re suprà num. 26. & num. 15. Ostendet autem Christus, quatenus toti illi suæ triumphanti Ecclesiæ largietur in aula propria Dei, nempe in cælo cæli visionem beatificam, qua hoc intuetur illa Ecclesia. Et quia hanc visionem solus Christus meruit nobis, non autem Pater, aut Spiritus sanctus, ideò quamvis illa nobis donetur à tota sanctissima Trinitate soli JEsu Christo specialiter tribuitur, ut causæ videlicet meritoriæ. Simplex itaque sensus illius *cùm tradiderit*, est juxtà hanc primam solutionem. „Cùm dederit nobis, ut causa meritoria, visionem beatificam, qua intuea„mur solum Patrem esse primam origi„nem omnium donorum. Sed hanc sententiam nobilitare voluit ornatu, & elegantia verborum illorum, *cùm tradiderit regnum Deo & Patri.*

Aug. q. 69. ex 83.

XCIII. Respondeo 2. cum S. Cypriano cælum significat fideles, qui, ut ipsum citat S. Augustinus: *Cœlesti homine induti non immeritò cœli nomine nuncupantur*, & sic exponit ille petitionem quotidianam: *Fiat voluntas tua sicut in cælo & in terra*, quatenus nimirum, *non tantùm pro fidelibus, ut augeatur in eis, vel perseveret fides, verùm etiam pro infidelibus, ut habere incipiant eam, quam penitus non habebant, & contra quam corda insuper inimica gestabant, sancta erat Ecclesia*, ut ibidem dicit Augustinus. Consonat Gregorius monens, *quòd sæpe in sacro eloquio regnum cælorum præsentis temporis Ecclesia dicitur.* Igitur post finale judicium tradet Christus regnum Deo Patri, quatenus coram tota Republica Angelica illi offeret triumphantem illam Ecclesiam, quam *aquisivit sanguine suo*, patiendo utique non autem strepitu militari, sicut acquisivit portiunculam unam terræ, ille, qui moribundus dicebat. *Do tibi partem unam extra fratres tuos, quam tuli de manu Amorrhæi in gladio, & arcu meo*: offeret inquam illam *jam non habentem maculam, aut rugam, aut aliquid hujusmodi.* Quoniam licèt in hac vita *nemo mundus à sorde, nec infans, cujus est unius diei vita super terram*; Unde meritò refutatur Palagius, qui ajebat hominem justum nullo fœdari peccato in hac vita, & in hujusmodi verificari sponsam Christi non habere maculam, aut rugam, *tanquam sponsa ejus non sit*, adjungit Augustinus, *quæ per universam terram, quod ab eo didicit, dicit*: *Dimitte nobis debita nostra.* Attamen non erit ita post finale judicium, quia loquens de aula illa sublimi, dicit Joannes: *Non intrabit in eam aliquod coinquinatum, aut abominationem faciens.* Et postea iterum; *Foris canes, & venefici, impudici, & homicidæ, & idolis servientes, & omnis, qui amat & facit mendacium.* Quamobrem tradit regnum Patri, quippe coram Angelis offeret Patri, tanquam primo principio omnium bonorum purissimam illam Ecclesiam inquiens Angelis, quod ex Isaia aptat illi Paulus; *Ecce ego, & pueri mei, quos dedit mihi Deus*, & dicens Patri glorioſus, quod quondam dixerat morti proximus, *quos dedisti mihi, custodivi, & nemo ex eis periit, nisi filius perditionis*, & utrique rationali reipublicæ, Angelicæ nimirum, & humanæ ostendens exactam suam obedientiam paternæ voluntati, de qua dixerat: „Hæc est autem voluntas ejus, qui „misit me Patris, ut omne, quod dedit „mihi, non perdam ex eo, sed resusci„tem illud in novissimo die.

Idem de Perf. c. 3. Cypr. de orat. Dom.

Hom. 12. in Evang.

Actor. 20.

Geneſ. 48.

Ad Ephes. 5.

S. Leo ſer. 1. de Nat.

Aug. de Perſev. c. 5.

Apocal. 21

Ibid. 22.

Ad Hebr. 2.

Iſai 8.

Joan. 17.

Idem c. 6.

XCIV.

XCIV. Hæc autem oblatio, in qua videtur ſtare phyſicè à parte rei illa traditio regni, conſiſtet in his duobus. 1. In manifeſtatione prorſus evidente, ac intuitiva, tum dictæ voluntatis paternæ, ut *omne* (id eſt *nihil*, propter ſubſequentem negationem) *quod dedit mihi, non perdam*, id eſt, *nil* perdam, tum obedientiæ Chriſti, tum fructus obedientiæ hujus, hoc eſt, puritatis, & ſanctitatis, quæ conſpicua erit in ſingulis individuis ſanctæ illius Eccleſiæ, tum primæ originis horum bonorum, nempe divinæ paternitatis, tum æterni illius arcani propoſiti ſecundùm electionem myſterio-
Ad Eph. 1. ſam, *quâ benedictus Deus, & Pater Domini noſtri JEſu Chriſti, elegit nos in ipſo ante mundi conſtitutionem.* 2. In confirmatione in gratia, & gloria æterna, quæ confirmatio trahet originem ex meritis Chriſti (ac propterea ipſe, & non alius faciet hanc oblationem, ſive traditionem) & vi cujus confirmationis ſpecialiſſimæ, nullus unquam in tota æternitate ex illa Eccleſia deflecteret, nec latum unguem à voluntate Patris, ſed in omnibus, & per omnia, & ſemper, & abſque ulla exceptione, totum illud regnum, ſive tota illa Eccleſia pleniſſimè ſubjecta erit Deo non per timorem, aut per ſolam impotentiam phyſicam peccandi, ſed inſuper per ſummum reſpectivè amorem, atque complacentiam de hac impotentia, ita, ut totum illud regnum plene in hoc etiam ſenſu ſit Patris, & ſit ſubjectum Patri, & ſit traditum Patri, cujus aliàs etiam erat, & cui aliàs ſubjectum erat propter multos alios titulos, & totum hoc propter merita Chriſti. Hæc omnia complexus videtur Apoſtolus paucis verbis, ſed myſteriorum gravidis. *Cùm tradiderit regnum Deo & Patri.* Hic etiam eſt promiſſus dies, de quo Dominus di-
Joan. 14. xit Philippo, & occaſione illius electis omnibus: *In illo die vos cognoſcetis, quia ego ſum in Patre meo, & vos in me, & ego in vobis.* Quando ſimus traditi per Chriſtum Deo Patri, tunc ille perfectè erit in nobis; & nos in illo. Hic etiam eſt
Idem 16. dies, de qua idem Dominus dixit: *In illo die me non rogabitis quidquam* (non pro vobis, quia nullo indigebitis, non pro aliis, quia nullus alius erit viator, pro quo rogetis) *Amen, Amen dico vobis, ſi quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis.* Non quia me non rogaturi, rogaturi ſitis Patrem, ſed quia pleniſſimè cognoſcetis illum eſſe primum fontem, ex quo manabant omnia, quæ propter merita mea poſcebantur, tametſi omnia illa ſimul, ac indivisè fierent à tota beatiſſima Trinitate. Unde caſu, quo aliquid ab eo petieritis in nomine meo, ab illo fieret, ut à principio à quo ipſe ſum penitus, & ex quo, & me procedit ſanctus Spiritus, cùm ipſe à nullo ſit factus, genitus, aut procedens. Hæc dixerim ſupponendo illud *rogabitis* poſitum eſſe pro *peteris*, ut inſinuare videtur anthiteſis immediatè ſubjuncta, *ſi quid petieritis Patrem*, & quia cùm in cœlo non evadant omniſcii Sancti, poſſunt in cœlo ipſo interrogare à Chriſto non pauca; unde illud non *rogabitis* videtur non poſſe ſignificare *non interrogabitis*, quod ſi oppoſitum ſit verum, conſule Maldonatum. Demùm quòd verba illa *in illo die*, ſignificent diem adventus Spiritûs ſancti, ut cenſent multi, non tollit, quòd ſignificent etiam diem æternæ beatitudinis, ut judicat hic author, quoniam nota eſt conſuetudo ſcripturæ docendi unas res ſub typo, & figura aliarum, & tunc utræque ſignificantur eiſdem verbis. Hactenus de illa traditione Regni.

Mald. in 16. 23.

XCV. Altera difficultas naſcitur ex altero, quod adjungit ibi Apoſtolus, nempe: *Cùm autem ſubjecta fuerint illi omnia; tunc & ipſe Filius ſubjectus erit ei, qui ſubjecit ſibi omnia.* Subjectio omnium ad Filium facilis eſt intellectu, quoniam tunc omnes reprobi, ſive dæmones, ſive homines, jam erunt ſcabellum pedum Chriſti, atque recluſi in æterno carcere. Prædeſtinati autem tam Angeli, quam homines reverebuntur illum tunc, tanquam caput ſuum mortale, hoc eſt tanquam illum, propter cujus merita electi fuerunt à DEO ante conſtitutionem mundi, juxta Syſtema prædeſtinationis, quod dedi, explicui, & probavi Tract. de Incarnatione. Omnia ergò erunt jam tunc per Patrem ſubjecta Filio, non eſt itaque difficultas in hac ſub-

subjectione; sed in subjectione, qua tunc juxta Paulum Filius subjectus erit Patri, qui subjecit illi omnia; Dico ergo primò, hæc subjectio non consistet in eo, quod Filius relinquat locum, quem habet ad dexteram Patris. Et descendat in inferiorem, quia realitas significata per metaphoram sedendi ad dextram Patris consistit in eo, quod Filius quoad Divinitatem sit æqualis Patri, quoad humanitatem verò sit supra omnem aliam creaturam, at quando post judicium finale omnia sint subjecta Filio, hic neque desinet esse æqualis Patri secundùm Divinitatem, neque desinet esse superior respectu omnis alius creaturæ, ut patet, ergo tunc non est Patri subjiciendus, quatenus relinquat locum ad dexteram Patris; Et hæc est ratio propter quam illud *donec* de quo agebam n. 92. non significat cessationem sedendi à dextris DEI post inimicos Christo subactos. Secundò, neque consistet in eo, quòd Filius tunc, ut Deus nascatur, & descendat ex Patre, ut ex sua prima, & unica origine; Ut homo autem sit illi essentialiter subditus, sicut reliquæ creaturæ; quasi ante illud tempus non verificata fuerint hæc duo, quia jam vides chymeram resultantem ex eo, quod alterutrum aliquando non fuerit verum.

XCVI. Tertiò neque consistet in eo, quòd Filius prius adversatus fuerit unquam Patri, & tunc futurus sit prorsus obsequens, conformis, & subjectus tam positivè, quàm negativè, quoniam licèt *in diebus carnis suæ* (id est carnis mortalis, quæ profectò non desinebat esse sua, & caro Dei, eò quod esset) *preces, supplicationesque ad eum, qui possit illum salvum facere à morte cum clamore valido, & lachrymis.* Obtulerit, ut constat ex sudore sanguineo in horto. Et ex toto capite 17. Joannis; imò quamvis in cœlo nunc *etiam interpellat pro nobis*, ut post ascensionem se facturum pollicitus est morti proximus. *Ego rogabo Patrem, & alium Paraclytum dabit vobis*, tantúsque ardor, & energia in petente, imò interpellante, etiam videatur innuere aliquam resistentiam in concedente, vel saltem, quod petens non est certus de voluntate concedentis; verumtamen neutrum ex his duobus accidit in orationibus præteritis, aut præsentibus Christi ad Patrem. Non incertitudo, quia ut ipse testatur: *Ego autem sciebam, quia semper me audis*, non item difficultas, aut renitentia in Patre concedente v. g. *clarificavi, & iterum clarificabo*, aut negante v. g. *Calicem, quem dedit mihi Pater, non bibam illum*; Orabat enim cum clamore valido, & lachrymis, & nunc etiam interpellat pro nobis. Ut discamus nos, & propter nostram disciplinam, sicut puerorum Magistri formant caracteres, aut sonant instrumenta, aut vertunt in latinum græcum, vel hebræum, sermonem vulgarem, ut discipuli discant; Unde Ambrosius rectè admonet super illud: *Erat pernoctans in oratione*, inquiens, *species tibi Christiane datur: forma præscribitur, quam debeas æmulari, quid non te pro salute tua facere oportet, quando pro te Christus in oratione pernoctat.* Secundo. Quia firma, & valida est illa sententia Augustini: *Cùm constet Deum alia etiam non orantibus, sicut initium fidei, alia non nisi orantibus præparâsse.* Prænoscebat Christus, & prænoscit modò sacrosancta illa anima Patrem non concessurum ea pro quibus tunc illa orabat, & pro quibus modò interpellat, nisi dependenter ab hac interpellatione, & clamore illo valido; Unde obtinendi ergo conditionatum purificabat conditionem, ut loquuntur Scholastici. De cætero voluntas divina Christi orantis, cùm sit realiter, & virtualiter, & omni modo voluntas Patris, non potuit huic adversari voluntas humana, quamvis distincta ab illa illi erat plenissimè subjecta, quippe ratione unionis hypostaticæ nullam culpam, aut imperfectionem moralem committere poterat. Atque Christum Dominum secundùm humanitatem vocat Deus in illius typo, nempe in Dávide *Virum secundùm cor meum*, qui faciet *omnes voluntates meas*, ut citat Paulus. Illa igitur subjectio post judicium, de qua hic Apostolus non potest, quam reijcio nunc.

Ad Hedr. 5.
Luc. 22.
Joan. 14.
Ibid. 11.
Ibid. 12.
Ibid. 18.
Ambr. 5. in Luc. cap. 6.
Aug. de Pers. c. 16.
Actor. 13.

XCVII. Dico 2. Prædicta subjectio po-

potest consistere 1mo. in eo, quod dicit Augustinus: Post producta enim verba hæc Apostoli, adjungit, *Non quasi modò non ita sitis, sed tunc manifestum erit Jecundùm locutionem superiùs tractatam*, nempe qua etiam explicuerat illud, cùm *tradiderit regnum Deo, & Patri*; Librum autem hunc 83. quæstionum, & suum agnoscit, & alicubi emendat S. Doctor, sed non hæc verba quæstionis 69. quamobrem ideò juxta hunc Patrem, Filius post diem judicij subiectus erit Patri, quia tunc palam, & manifestum fiet toti curiæ cælesti, jam tunc, & nunquam antea congregatæ, illum subjectum esse Patri, & quia solet in Scriptura dici, rem *tunc* esse, aut fieri, quando speciali aliquo signo fit publica, & manifesta, ut ibidem probat, & pluribus exemplis ostendi Decade 4. num. 17. & seqq. v. g. *nunc cognovi, quòd timeas Deum*; cùm tamen multò antè cognoverit Angelus ille Abrahamum timuisse Deum, nempe quando propter hujus præceptum reliquit Patriam, & cognationem suam; quando se, ac suos circumcidit &c. Similiter. *In veritate comperi, quia non est personarum acceptor Deus.* Cùm id jam olim comperisset, quando audivit à Christo Domino: *Euntes in mundum universum, prædicate Evangelium omni creaturæ.* Item: *Docete omnes gentes*; sed quia in Casu illo Cornelii Centurionis expertus fuit Petrus singulare signum hujus Divinæ æqualitatis cum gentibus, ideò tunc dicit, *in veritate comperi &c.* Simile est illud: *JEsus proficiebat sapientia, & ætate, & gratia apud Deum, & homines.* nempe nova in dies dabat indicia sapientiæ, & gratiæ, in quibus certè non proficiebat physicè, ac realiter, quatenus novos, & novos acquireret gradus sapientiæ, aut gratiæ, siquidem ab initio habuit omnes thesauros sapientiæ, & scientiæ Dei, simile item est illud, *dignus est agnus, qui occisus est, accipere virtutem, & Divinitatem &c.* Cùm tamen jam olim accepisset illam, videlicet, quando *Verbum Caro factum est*, quapropter illud *accipere* valet *solenniter notum esse, quod acceperit.* Parco aliis. Juxta ergo hanc consuetudinem scripturæ dicendi rem tunc esse aut fieri, quando speciali aliqua demonstratione fit publicum, & notorium illam fieri, aut esse; Dicit Augustinus Filium post judicium subijciendum Patri, quia solennissimè fiet tunc notum omnibus Prædestinatis, nunquam ante illum diem Coadunatis, illum subjectum esse Patri secundùm humanitatem utique, nam ut ibidem adverit: *Manifestum est ergò hoc secundum susceptionem hominis dictum.*

S. Aug. q. 69. & 83. Idem l. 1. retr. c. 26.

Genes. 22.

Actor. 10.

Marc. 16.

Apocal. 5.

XCVIII. Sed quia potest aliquis inquirere. Quid tandem est physicè, ac ex parte rerum hæc subjectio Filii quoad humanitatem propter generalem, atque transcendentalem subjectionem omnis creaturæ ad suum Creatorem? Et quodcunque illud sit, publicè, ac solennissimè notum est omnibus sanctis Angelis, sanctisque animabus per visionem beatificam ante diem Judicii, quia inquam id potest aliquis inquirere, ideò dico, specialem eam subjectionem, quam Paulus prædixit, posse consistere in eo, quod cessaturis post diem judicii omnibus controversiis omni sermone contentioso circà Christum quoad essentialia, & accidentalia, cessaturáque omni difficultate obediendi ei, cessabit omnis triumphus actualis ejusdem, & solùm remanebunt Trophea, hoc est, effectus, seu signa antiquorum bellorum, & triumphorum actualium. Cessaturo insuper ipso Christo à continua interpellatione pro suis membris, hoc est, pro nobis transgressis jam tèrminos viæ, & statum, in quo militia est, & tentatio continua; His inquam omnibus cessaturis Christus ipse, & nos in solius Dei, & Patris, ut primæ originis felicitatis illius, contemplatione, amore, & laudibus primariè absorbebimur, eòquod contemplatio, amor, gratitudo & laudes, tum erga ipsum Christum Dominum, in quo, id est propter cujus merita electi sumus à Deo, & Patre ante constitutionem mundi, tum erga Verbum, & Spiritum sanctum (sine quorum tamen contemplatione, atque fruitione non subsistit præsens beatitudo, quam expectamus) re-

resolventur tanquam in primum principium, & ultimum resolutivum *innascibilitatis*, quam positivum *primarietatis*, sive primatus in ratione originis aliarum Divinarum Personarum, & omnium aliorum bonorum.

Matth. 10. Marc. 9. XCIX. Explicatur. Christus Dominus, ut ipse testatur, non venit *pacem mittere, sed gladium*, nempe non inter bonos, & bonos (quia his dixit: *Pacem habete inter vos*: Et rursus: *Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis*, & sæpe alibi) sed inter bonos & malos: *Joan. 14. Luc. 14. Idem 2. Ad Rom. 9. Isai. 8.* v. g. *Si quis venit ad me, & non odit patrem suum, & matrem, & uxorem, & filios & fratres, & sorores &c.* Quando scilicet impedimentum sunt homini sequendi Christum. Unde jam ab initio positus fuit *in ruinam, & in resurrectionem multorum, & in signum, cui contradicetur.* Et jam ab initio fuit prædictum de ipso, ut Paulus exponit ab Isaia: *Erit vobis in sanctificationem, in lapidem autem offensionis, & in petram scandali*; Sed triumphavit semper, & regnavit. Item tri- *Psalm. 63.* umphabit, & regnabit usque ad finem mundi: quoniam *sagittæ parvulorum factæ sunt plagæ eorum.* Et quamvis fremant gentes, & populi meditentur inania adversùs Dominum, & adversùs *Psalm. 2.* Christum ejus: attamen: *Qui habitat in cœlis, irridebit eos.* Primus gladius divisionis, ruinæ, scandalum, & contradictio contra Christum fuisse videtur inter Angelos juxta systema, quod dedi in PhyloiophiaNatur. Disput. 4. n. 158. inter explicandum incolas Empyrei; Sed triumphavit ibi Christus voce Michaelis intonantis, *Quis ut DEUS*, & pes- *2. Petr. 2.* simos adversantes, atque contradicentes Angelos *rudentibus inferni detractos in tartarum tradidit cruciandos.* Secundum bellum contra Christum fuit per subversionem totius generis humani in *Sap. 2.* hujus radice: *Invidia autem Diaboli mors introivit in orbem terrarum.* Triumphavit quoque ibi, nam *ipse lignum tunc notavit damna ligni, ut solveret.* Et protinus notificatum fuit Angelo illi pessimo *ipsa conteret caput tuum*, vel *ipse* significando semen, sive Filium mulieris, ut videtur consonum verbo Hebræo.

C. Tertium bellum contra Christum fuit atrox illud, quod in calamitosis 1656. annis, quæ diluvio præcesserunt movit Diabolus contra genus humanum, cujus assertor, & caput renuntiatus fuerat Christus, quibus miseris sæculis videns Deus, *quod multa malitia hominum esset in terra, & cuncta cogitatio cordis intenta esset ad malum omni tempore*, (adjutus quippe Diabolus tanquam domestico proditore, hominum valida, & præpotente complexione, quâ homines illi fruebantur, dominabatur, & sæviebat tanquam in aula propria) *Pœnituit eum, quòd hominem fecisset in terra*, id est, propter stragem, quam edidit, visus est pænitere, juxtà regulam, quam dedi Decad. 3. num. 92. ubi dixi solere scripturam loqui de rebus, non prout sunt physicè, sed prout vulgò hominum apparent esse, regnavit nihilominus Christus etiam tunc: quoniam quos dedit ei Pater ex illis hominibus, quia in eo electi fuerant ante constitutionem mundi, non perdidit ex eis quemquam: quandoquidem propter ejusdem merita conservatum fuit filum, & series pietatis in illis nostris Patriarchis à Seth, usque ad Noë inclusivè, & forsan in aliis non paucis, ut suspicabar Disput. 2. num. 26. & seqq. Quartum bellum, seu contradictio contra Christum fuit á diluvio usque ad Abraham. Quamvis autem de eventu hujus belli non habeamus in sacris codicibus notitiam; summopere consonum rationi est judicium illud Augustini, cujus suprà memini, loquentis sic de Christo: „Ab initio generis *S. Aug. de* „humani aliàs occultiùs, aliàs eviden- *temp. Chr.* „tiùs, sicut congruere temporibus di- *rel. cont.* „vinitus visum est, nec prophetari de- *Porph.* „stitit, nec qui in eum crederent, de- „fuerunt. Et postea: „Cur non „credamus etiam in cæteris hàc, atque „illàc

Gen. 6.

Ex Jo. 18.

„illàc gentibus, alios, atque alios fuisse „quamvis eos commemoratos in eis- „dem authoritatibus non legamus? Valde rationale est hoc judicium. Viguit itaque in hoc etiam bello regnum Christi quoad illos, quos dederat ei Pater. Quintum bellum fuit ab Abraham usque ad legem promulgatam. Tunc etiam regnavit Christus, nam propter ipsius merita (secundum calculum humanum *futura*; sed secundùm immensitatem, & æternitatem Dei jam *præsentia*) liberati fuerunt multi ab efficace contradictione Diaboli: „Cùm vi- „deritis Abraham, & Isaac, & Jacob, „& omnes Prophetas in regno Dei &c.

Luc. 13.

CI. Sextum à promulgatione Legis Mosaycæ usque ad promulgationem Evangelii, quantum autem in hoc tempore viguerit regnum Christi contra Diabolum, & apud Deum (quidquid sit de quasi universali ignorantia hominum hac super re) constat ex inclytis illis viris, & fœminis, quos Pater dedit Christo ex lege illa, & quos in ipso elegit ante constitutionem mundi, & quorum nullus periit intuitu meritorum Christi. Constat item ex eo, quod audivit Joannes: *Centum quadraginta quatuor millia signati, ex omni tribu filiorum Israel*, nempe ante Evangelium promulgatum, ut verosimilius videtur, quando scilicet tribus illæ conservabantur invicem discretæ, & formabant Ecclesiam Hebræam, post susceptum quippe Evangelium cessavit illa discretio, & quotquot ex illa Ecclesia conversi fuerunt ad Christum, mixti fuerunt cum populo gentili; similiter converso, & dimissis illis nominibus fecerunt cum eo, *unam, sanctam, Catholicam, Apostolicam Ecclesiam*, unámque solam olivam juxta Paulum castigantem sic Ethnicos. *Si tu ex naturali excisus es oleastro, & contra naturam insertus es in bonam olivam*: *quantò magis &c.* Etenim de Christo dicitur: „Ipse enim est pax „nostra, qui fecit utraque unum & me- „dium parietem Maceriæ solvens &c. Quapropter post Evangelium susceptum jam non est tribus Juda, tribus Ruben, tribus Simeon, ut olim erat, sicut neque distinctio est Judæi, ac Græci, Masculi, ac fœminæ, servi, ac liberi, sed *unus Dominus, una Fides, unum Baptisma, unus Deus, & Pater omnium.* Verisimile ergò est, signatos illos, quos meminit Joannes, omnes fuisse ex tempore Legis Mosaicæ ante promulgationem Evangelii, quos ex illa lege dedit Pater Christo, & quos in ipso & propter ipsum elegit ante constitutionem mundi, & consequenter in ipsis viguit regnum Christi nondum nati apud homines, sed jam præsentis Deo, & apud hunc merentis, quamvis autem ibi non legatur tribus Dan in odium, ut multi putant, Antichristi nascituri ex tribu illa, tametsi non discernibili hominibus tunc victuris. Hoc non tollit, quod aliqui ex illa electi fuerint in Christo, & propter hujus merita erepti ex potestate Diaboli. Sampson profectò fuit ex illa tribu, & Paulus scribit illum in cathalogo priscorum illustrium fidelium, cum Davide & Samuele: scribit enim. „Ge- „deon, Barac, Sampson, Jepthe, Da- „vid, Samuel, & Prophetis, qui per fi- „dem vicerunt regna operati sunt justi- „tiam, adepti sunt repromissiones.

Apoc. 7.

AdRom. 11

adEphes. 2

CII. Septimum prolixum, atrocissimum bellum (& non coram Deo solo, ut hæc omnia priora, & clam hominibus, sed apertum omninò, & coram hominibus, & adversùs Christum formaliter, ut talem) fuit, est, & erit ab exordio Evangelii usque ad fatalem illam noctem diei 34. de qua suprà, in qua hic mundus peribit, movit Diabolus hoc bellum 1. per Judæos adversùs missionem Christi à Patre. 2. Per Arrianos adversùs consubstantialitatem. 3. Per Nestorianos, quibus alii præcessérunt, & quos Mahumetani subsecuti sunt, adversùs ejusdem Christi Divinitatem. 4. Per Euthychianos adversùs ipsius naturam humanam. 5. Per Cyrum, Pir-

Pirrum, Sergium, Paulum, & alios Monothelitas adversùs integritatem ejusdem, & perfectionem quoad naturam humanam. 6. Per Moderniorum Hæreticorum colluviem adversùs ejusdem præsentiam physicam, & realem in Eucharistia, adversùs Sacramenta, quæ instituit; adversùs legum suarum, & suorum obedientiam necessatiam ad vitam æternam, & adversùs articulos omnes Christianæ fidei tempore decem illorum Principum, de quibus suprà, qui viam sternent Antichristo, renovabit hæc bella: quoniam ut de ipsis dictum

Apoc. 18. fuit Joanni: *Hi cum agno pugnabunt.* Sed in his omnibus bellis stat, & viget regnum Christi; *Agnus vincet illos, quoniam*

Ibidem. Ad Rom. 1. Lib. de Prædest. & lib. de Pers. *Dominus Dominorum est, & Rex Regum;* Et cùm sint, *qui cum illo sunt vocati* (nempe *sine pœnitentia*, quippe sine illa *sunt dona & vocatio Dei*, ut ex Paulo toties citat Augustinus) *electi & fideles.* Idcircò in omnibus his bellis contra dogmata, & mores Ecclesiæ Christi stant, & triumphant quicunque electi sunt in ipso ante constitutionem mundi, & ex his, quos dedit illi Pater, non perdit quemquam. Palàm enim restificatus est ipse Christus de Ecclesia sua, quod

Matth. 16. Ibid. 21. *portæ inferi non prævalebunt adversùs eam,* nec non, *qui ceciderit super lapidem istum, confringetur super quem verò ceciderit, conteret eum.*

CIII. Ex toto hoc discursu, liquidò constat, quòd continua bella per Diabolum, controversia, lites, schismata, dissentiones durarunt ab exordio mundi, & ad finem usque durabunt contra *Christum*, partim palam, & coram hominibus ipsis, ut à publicatione Evangelii, partim clam, & coram solo Deo, & Angelis ejus, ut usque ad initium prædicationis Christi; Item partim contra ipsum directè, ac formaliter in se ipso, partim contra ipsius leges, & præcepta immediata, aut mediata, partim demùm contra illos, qui electi sunt in ipso, & propter ipsum ante constitutionem mundi, & quos ipsi dederat Pater, & qui ipsius membra erant, & quorum persecutionem, ut contra se motam à Diabolo reputabat, & reputat ipse Christus, qui Saulo adhuc spiranti *Minarum, & cædis in discipulos Domini*, dixit, *quid me persequeris?* non Meos, sed *Me*, quia ego sum motivum directum, formale, proximum, & immediatum, propter quod Diabolus te instigat, ut meos persequaris. Tunc sic: Hæc omnia bella lites, dissentiones, totus hic strepitus, *hi motus animorum, atque hæc certamina tanta*, super Filio Dei directè, vel indirectè, quæ concutiunt cælum & terram ab initio usque ad finem mundi, cessabunt post diem judicii, quia tunc una parte creaturarum rationalium sepulta in inferno, & altera in æternum unità Deo per Christum, huic omnia subjecta erunt, quippe uni per amorem, alteri per omnimodam impotentiam, nil prorsus contra ipsum directè, aut indirectè mutire audebunt. Et tunc ipse Filius, quoad humanitatem subjectus erit Patri, quatenus cessantibus omnibus controversiis de Filio (non autem æterna contemplatione, & amore illius, nec æternâ ergà illum gratitudine) cessantibus omnibus oppugnationibus, & propugnationibus tum Filii, tum suorum præceptorum omnes beatæ mentes & voluntates à prædictis curis liberæ vacabunt contemplationi, amori, fruitioni Dei Unius, Trini (& nominatim Patris per quandam attributionem, quatenus ipse solus ex notione sua, est prima origo aliarum Divinarum Personarum, vide exempla benedictionis fidei, atque doctrinæ quæ ex Augustino dedi num. 26. & 51. in quibus actibus, & certitudine de eorumdem æternitate posui Disput. de Beatitudine, formalem Beatitudinem, & non in eis actibus circà Humanitatem sacrosanctam. Quamobrem subjectio Filii quoad humanitatem videtur, quòd juxta Paulum consistat in eo, quod contemplatio, &

Act. 9.

amor beatificus absorbebunt omnes præteritas curas circà humanitatem, multò magis, quam Sol Meridianus absorbet fulgorem stellarum verè tunc lucentium, retentis vero amore, reverentiâ, & gratitudine dictis, erga sacram illam Humanitatem.

EN FINEM MUNDI.

INDEX

INDEX PRIMUS.

Disputationum, Capitum, & §.§um; Primus numerus Disputationem significat; Secundus Marginalem.

DISPUTATIO I. De Creatione mundi usquè ad Creationem inclusivè hominis.

CAput 1. Negantur tria suppositatrium quæstionum 1.
Caput 2. Præambulum ad systema mundi. num. 9.
§. 2. De tempore intrinseco, seu durationibus n. 14.
§. 3. De Vespere, Mane, Die, ac luce antè solis productionem num. 17.
Caput 3. Systema Creationis mundi 1. n. 32.
Caput 4. De operibus in singulari primi Diei 1. 42.
Caput 5. De operibus secundi Diei 1. n. 50.
§. 2. Alterum opus secundi Diei. 1. n. 65.
Caput 6. De operibus tertii Diei 1. n. 68.
Caput 7. De operibus quarti Diei 1. n. 70.
§. 2. De locis, in quibus DEus produxit Solem, & Lunam 1. n. 73.
§. 3. De materia, ex qua DEus formavit cœlestes globos, de eorum impotentia cadendi, habitatione ac perpetuitate 1. n. 80.
§. 4. De animatione stellarum 1. n. 81.
Caput 8. De operibus Diei quintæ 1. n. 89.
Caput 9. De operibus Diei sextæ 1. n. 91.
§. 2. De formatione corporum Adami, & Evæ 1. n. 96.
§. 3. De costa Adami, ex qua formatum fuit corpus Evæ 1. n. 109.
Caput 10. De corporeitate Diabolorum 1. n. 112.
Caput 11. De serpente seductore 1. n. 118.
§. 2. Objectiones 1. n. 121.
§. 3. Alius modus explicandi colloquium serpentis cum Eva 1. n. 133.
Caput 12. De locutione bestiarum in Paradyso 1. n. 138.

DISPUTATIO II. De primis incolis hujus mundi usque âd diluvium.

Caput 1. Propagatio, & civiles disciplinæ hominum antè diluvium 1.
Caput 2. Tres hominum progenies ante diluvium 2. n. 19.
Caput 3. Mores, & victus hominum illorum 2. 26.
Caput 4. An omnes, qui diluvio perierunt sint in æternum damnati 2. n. 40.

DISPUTATIO III. De ultimo mundi quadriennio.

Caput 1. An, & quando sensus allegoricus, aut moralis, aut Anagogicus scripturæ tenendus sit fide divina. 3. num. primo.
§. 2. Loca scripturæ super Antichristo 3. n. 7.
Caput 2. Quid, & quotuplex sit visio Prophetica 3. n. 14.
Caput 3. Exponitur, & abjicitur millenariorum sententia 3. n. 25.
Caput 4. De quatuor bestiis præfigurantibus, quæ futura sunt in ultimo quadriennio 3. n. 45.
§. 2. De quinta bestia 3. n. 56.
Caput 5. De Gog, Magog, de lateronibus suis 3. n. 63.
§. 2. Cujus erit ille Gog 3. n. 69.
§. 3. De distantia procellæ Gogeæ à fine mundi 3. n. 75.
Caput 6. De muliere amicta sole, Ecclesiam præmonstrante 3. n. 81.
§. 2. De Dracone mulierem persequente 3. n. 90.
§. 3. De fuga mulieris, & adjutorio quod habuit 3. n. 100.
Caput 7. Coordinatio eorum, quæ hactenus dicta sunt, & systema ultimi quadriennii 3. n. 105.

§. 2. Tres conjecturæ, & exercitia, quæ tunc habebunt Henoch, & Elias 3. n.111.
§. 3. Alia quæ contingent in illo quadriennio 3.n.122.
§. 4. Quid post necatum Gog? & fatalis dies hujus mundi 3.n.130.
Caput 8. Tres reflexiones supra dicta 3. n.135.

DISPUTATIO IV. De ultima nocte, & die mundi hujus.

Caput 1. De resurrectione & ejus circumstantiis 4.n.1.
Caput 2. De judice, & Thronis 4.n. 23.
Caput 3. De apertione librorum 4. n. 32.
Caput 4. De sententia Apostolorum 4. n. 39.
§. 2. De sententia supremi Judicis 4.n. 46
§. 3. Reproborum sententia 4.n.
§. 4. De Parvulorum sententia, & genere vitæ post judicium universale 4.n.
§. 5. De illis, qui nunquam audierunt fidem 4.n.
§. 6. Exempla alia providentiæ specialis 4. n.
§. 7. Reflexio supra totam hanc disputationem 4.n.
Caput 5. De statumundi post sententiam executam 4.n.
Caput 6. Quo sensu post diem judicii Christus Dominus tradet regnum, & subjicietur DEO & Patri 4.n.

INDEX SECUNDUS.

Quæstionum, quæ in hoc opere resolvuntur; primus numerus Disputationem: Secundus marginalem significat.

1. Quæstio 1. Quis fuit primus homo, qui Augustinum movit ad renuntiandum voluptatibus? In Prologo.
2. Quid faciebat DEus in tota æternitate antè Creationem hujus mundi 1. 1. & seqq.
3. Quanpo creavit DEus cœlum, & terram? Et ubi? 1.4.& seqq.
4. An potuerit hic idem mundus alibi condi, & sub alia figurâ. 1.6
5. Quid, & quotuplex sit tempus? 1. 9.
6. An corpora Cœlestia moveantur retrogadè versus orientem. 1.11.
7. Quis *vesper*, quod *mane*, quæ *lux* fuerunt antè solis productionem? 1.17. & seqq.
8. De quo initio temporis loquatur Lateranense, quando loquitur de creatione Angelorum & hominum? 1.20
9. Quo sensu B. virgo, & sanctus filius contriverunt caput Diaboli? 1.22
10. Quæ fuit lux primo die producta? ubi? An moveretur? 1.24. & 41.&76
11. Cur post horas tres à prima creatione cœli, & terræ produxerit DEus lucem materialem? 30.
12. Quodnam systema creationis mundi? 1.32.& seqq.
13. Quo sensu potuit DEus producere hunc mundum, ante, ac etiam postquam illum produxit de facto? 32.
14. Quando fuerunt creati Angeli 1. 34. & 39.
15. Quando aquæ? 35.
16. An illud Joannis *in principio erat verbum* alludat ad principium creationis mundi? 1.36.
17. Cur non dixit Moyses tenebras fuisse super faciem Empirei? 1.37.
18. An terra sit sphærica? 1.37.
19. Quando fecerit DEus infernum damnatorum? 1.38
20. An verba illa *inanis & vacua* negent, terram habuisse prima die metalla, marmores montes, specus &c. 1.
21. Quando incæperunt lacus, & flumina, & quomodo? 1.38.
22. Quando, & quamdiu fuit status viæ Angelorum? 1.39.
23. Quæ fuerunt opera primi Diei? 1.42.
24. An firmamentum sit hæc nostra regio aërea? 1.42.
25. Quas proprietates habet, & quas non habet Empyreum? ubi de ejus distantia ab stellis fixis. 1.43. qui & quales incolæ sui? 1.47.
26. Quomodo DEUS sit actu physicè realiter in omni loco? 1.44.
27. Quomodo intelligenda prædestinatio ad gloriam? 1.47.& seqq.
28. An,

28. An, & quomodo inter se colloquantur Angeli, & beati alii? 1.49
29. An Christus Dominus ut homo sit caput morale Reip. cœlestis? ibid.
30. Quæ fuerunt opera secundi Diei? 1.50
31. An detur cœlum Christallynum, sivè aqueum; an sint aquæ veræ, elementares supra cœlum stellatum? 150. & seq.
32. An aquæ supercœlestes fuerint pars diluvii universalis? 1.52
33. An ignes ruentes ex Planetis, & stellis combusturi sint hunc mundum? ib.
34. Quanto tempore aquæ, & ignes possunt trahi è cœlis in terram ab Angelis virtute sua naturali? 1.55
35. Quomodo appareret hic noster mundus è Luna spectatus? 161
36. Anno diluvii quis aspectus terræ, Lunæ, crepusculorum, & Eclypsæon luminarium? 1.63. & seqq.
37. Quot sunt cœli? 1.65
38. An nova sydera interdum visa in firmamento producta ibi fuerint initio mundi? 1.67.
39. Quæ fuerunt opera tertii Diei? 1.68
40. Cur animalia non fuerunt creata ante diem quintum? 1. 68
41. Quæ opera quarti Diei, ubi de motoribus, & motibus astrorum? 1.70.
42. In qua parte æthereæ regionis creavit DEus solem, & lunam? 1. 73
43. Quod systema habebant in hoc, & in altero Hemisphærio signa cœlestia, quando creata sunt? 1.75
44. Christus quo sensu crucifixus hora tertia, & hora nona, 1. 76
45. Sol cur creatus hora tertia pomeridiana? 1.76
46. An sydera sint habitata? 1.80. An sint animata ibid. 81
47. Quæ fuerunt opera Diei quintæ? 1. 89
48 Quæ amphibia creata fuere hac die? ibid.
49. Volucres ex qua materia factæ fuerunt? 1.9. & seqq.
50. Quæ opera Diei sextæ? 1.91. Et quæ specialia tunc contigerunt? ibid.
51. Cur alia animalia, & non aquatica adducta fuere ad Adamum? 1.91
52. An, & cur prohibitio arboris intimata fuerit immediatè, ac directè soli Adæ? 1.91
53. An si Eva sola comedisset fructum vetitum, contraheremus peccatum originale? 1.91
54. Quid si aliud grave peccatum commisissent ambo distinctum ab illo? ib.
55. In quonam stetit, & in quonam non stetit physicè peccatum Adæ? ibid.
56. Quid si non ipse, sed aliquis ex suis filiis comedisset fructum illum, & quid si Adam genuisset filios ante commestionem illam, & alios filios post illam? ibid.
57. Quæ dominatio competeret mulieri in statu innocentiæ? 1. 92. Et an subjectio viro sit mulieri imposita in pœnam peccati? ibid.
58. An deficiente peccato adæ dominarenturuni homines aliis? 1. 94
59. An deficiente peccato originali committerent homines alia peccata? 1.94
60. Ex quot, & quibus rebus formatum fuit corpus Adæ? & 96. & à quo n.98. & seqq. & cum quibus aliis formis substantialibus præcesserit animæ rationali? ibid. 109
61. An costa, ex qua formata fuit Eva necessaria fuerit ad integritatem corporis Adæ? 1. 109. Et uter habebit illam in resurrectione universali? 1. 111
62. An serpens, qui mulierem decepit fuerit animal verum: An potius Diabolus. Ubi. An & quo sensu Diaboli dici possint corporei post peccatum? 1. 112. & 118.
63. Cur abuti serpente, & non alio animali permissus fuerit Diabolus? 1. 119
64. Cur Eva, & Balaam, non obstupuerint ad loquelam bestiarum? 1.123
65. An, & quando loqui prudenter possimus cum irrationali: & punire non peccantem? 1.125
66. Quomodo potuit esse pœna serpentis id, quod est juxta suam naturam? 1. 127
67. An organizatio, forma, & figura, quam defacto habent animalia sit illis essentialis? 1. 127
68. Quam specialè pœnam diaboli significant verba DEI ad serpentem? 1. 128
69. Quo sensu dicitur maledictus inter bestias terræ? 1.128
70. Quo, supra pectus suum graditur? ib. 130. Et quo, terram comedit? 131. Et quo, inimicitiæ, positæ sunt inter eum, & mulierem? ib. Et quo per mulie-

rem contritus est. Ibid. 132. Et quæ insidiatur calcaneo ejus ibid.
71. An bestiæ locutæ sunt in Paradyso? 1.138
72. Quomodo institutæ sunt linguæ matrices? 1.142
73. Qui, & quales fuerint homines ante diluvium? 1. & seqq.
74. Cur nepotum Seth, non verò Caini, annos vitæ notet scriptura? 2.3
75. An Abel fuerit celebs? 2.4. & 19
76. An, & quomodo homines antè diluviani moniti fuerint de diluvio? 2.9
77. Qui primi inventores artium aliquarum? 2.17
78. Quæ, & quales progenies hominum antè diluvium? 2.19
79. Cur gigantes evaserunt potentes, & famosi post mixtionem filiorum DEI cum filiabus hominum? 2.22
80. Cur mixti, nempè, qui ex parentibus disparibus nascuntur, vivaciores esse solent? 223
81. An Angeli mali commisti fuerint cum fœminis? 2.25
82. Quos mores habuerint homines antediluviani? 2.26. quem victum? 30
83. An, & quo sensu filii puniantur propter peccata parentum? 2.26. & seqq.
84. Quæ vitia maximè regnarunt antè diluvium? 2.29
85. An esus carnium fuerit tunc prohibitus? 2.30
86. An omnes, qui diluvio perierunt sint in æternum damnati? 2.40
87. An, & quando supplicium temporale assequatur etiam justos? 2.42
88. An, & quo sensu Christi anima prædicavit mortuis tempore diluvii? 2.44
89. Quo sensu, qui moritur in læthali protinus damnatur? 2.45
90. An, & quando sensus allegoricus misticus moralis, anagogicus scripturarum tenendus sit fide divina? 3.1. & seq.
91. De quo, vel quibus loquatur Daniel capitibus 11. & 7. atque duodecimo?
92. Quæ abominatio desolationis, de qua loquitur Dominus? 3.7
93. Unde proveniebant repentini Prophetarum transitus? 3.9
94. Quæ scripturæ clarius loquantur de ultimo tempore mundi? 3.7. & seqq.
95. Quid physicè, & quotuplex sit visio prophetica? 3.14. & seq. Ubi multi assignantur modi, quibus hæ visiones contingere potuerunt & oculi corporis, & phantasia, & mente.
96. Cur Prophetæ loqui soleant de futuris tanquam si jam essent præterita? 3.14. Et cur toties utantur verbo video. ibid.
97. Oculis corporeis quomodo potuit Deus videri ab Adam Job, & aliis? 3.16
98. Quomodo potuerunt esse imaginariæ visiones propheticæ? 3. 19. quotuplices ibid.
99. Quomodo non fuerunt falsæ visiones rerum, quæ alias repugnant? 3.20
100. An visiones, quas habuerunt Salomon, & Petrus, fuerint intellectuales, an potius imaginariæ? 3.21
101. Quotupliciter potest fieri prophetica visio intellectualis? 3. 23
102. Millenariorum sententia, quam probabilitatem habet? 3.25. & seqq. absolutè non est vera ibid. 35
103. Juxta millenariorum sententia quam vitam agent in terris sancti redivivi? super quos regnabunt? ubi? quodnam suum regnum? quid fiet post illos mille annos quietis, & regni? 3.38 & seqq.
104. An, & quando pastoribus Ecclesiæ liceat fugere? 3.36
105. Quid significent in Apocalypsi mille anni incarcerationis Diaboli, & regni sanctorum cum Christo? 3.38
106. Quid significent illæ voces *ligavit, misit, clausit, signavit*? 3.38
107. Quo sensu non seducit Diabolus amplius gentes? 3.40. & est modo ligatus?
108. Quo sensu sancti jam regnent cum Christo? 3.42. & habent resurrectioẽ? 43
109. An propter alios parcat DEus aliis? ibid.
110. Quæ bestiæ, & quomodo præfigurabant prophetis res ultimas mundi? 3.45. Ubi de 4. bestia terribili, quæ apparuit Danieli, de Dracone coronato, de bestia ascendente è mari. De bestia gestante meretricem.
111. Quo sensu Angeli boni prælientur cum malis? 3.47
112. Quid significent capita septem, & & cornua decem Draconis? 3.44
113. Cur

113. Cur in beſtia præfigurante Antichriſtum cornua apparent coronata & capita ſine corónis? 3.50.ſed cum blaſphemiis 3 52

114. Cur præfiguratur ille in beſtia marina? 3.52

115. Cur Roma oſtenſa fuit Joanni ſub habitu meretricio? 3.53.& ſeqq.

116. Cur vocatur meretrix, Babylon, Mater fornicationum, cum religionis aula eſſet futura? Ibid. 54

117. Quid præfigurabat beſtia aſcendens de terra, & habens cornua duo? 3.56

118. Quomodo inexcuſabiles erunt homines, qui credent prodigiis patrandis ab Antichriſto, & ſuo vicario? 3.57.& ſeqq.

119. Quo ſenſu ſcriptura interdum utatur verbis ſonantibus peccatum eſſe opus DEI? 3. 60

120. Quæ plaga gladii, & quaſi in mortem, erit illa, quam Antichriſtus accipiet, & quomodo curabitur? 3. 61.& ſeqq.

121. Quis ille Gog Magog, & ſui Laterones 3. 63. & ſeqq. Ubi quo ſenſu magis, aut minus graſſaturus eſt Diabolus tempore Antichriſti, quam tempore Gogi.

122. Quæ cauſæ impellent eum ad invadendum ultimam Eccleſiam 3. 68

123. Quas clades infliget DEus exercitui illius? 3.70

124. Quæ contingent deleto exercitu Gogi 3. 71. Ubi quid ſignificent illi ſeptem menſes, & ſeptem anni, de quibus Ezechiel?

125. Quando contingent illa *areſcentibus hominibus &c. ſonitus maris & fluctuum. Abſconderunt ſe in ſpeluncis, ſicut enim erant in diebus ante diluvium, comedentes & bibentes &c.* 3. 73. & ſeqq.

126. Quem ſenſum habeat illud *ſtatim poſt tribulationem*, & illud, *tunc veniet conſummatio* 3.74.& 75

127. Quæ ſcripturæ ſacræ perierunt? 3.76

128. Ad quæ, & qualia alludit reſponſio Chriſti ad quæſtionem de fine mundi? 3.76.& ſeqq.

129. An muliere amicta ſole præfiguretur Eccleſia futura in ultimo quadriennio? 3. 81. & ſeq.

130. Cur Eccleſiaſticus ſenatus exponatur Joanni ſymbolo fœmineo? 3. 184. & cur virorum cætibus adſcribi ſolet fœmineum nomen?

131. Cur ſtella in manus Chriſti? in capite autem illius mulieris? 3.85

132. Quo ſenſu Roma dicitur Ebria de ſanguine ſanctorum? 3.88

133. Quo ſenſu Eccleſia eſt Mater Chriſti, & Chriſtus filius Eccleſiæ? 3. 91

134. Quo ſenſu partus illius muleris raptus eſt ad DEum? 3.39

135. Quo ſenſu opera noſtra aſcendunt ad DEum per miniſterium Angelorum? ibid.

136. An, & quando fugiet ab urbe Roma Eccleſiaſticus ſenatus in paleſtinam? 3,46

137. An ſemel tantum fugiet, & cur cum alis aquilæ, & non columbæ? 3.48

138. An ſint tempora diverſa illa de quibus loquitur Joannes circa fugitivam illam mulierem? 3. 99. & quomodo paſcetur in deſerto 3.97.& 116.& ſeq.

139. Qualis futura eſt prædicatio Evangelii in univerſo orbe? 3. 106.

140. Quale ſyſtema ultimi quadrienni quoad ſtatum mundi civilem, & Eccleſiaſticum? 3.106.& ſeq.

141. Qualis ſtatus futurus extra regiones antiqui Imperii Romani. Ubi de Perſa, & Turca 3. 111

142. Quales, & quanti futuri ſint Henoch, & Elias? 3.115.& ſeq. baptizabuntur, & Papæ ſubjicient ſe 3. 116.& ſeqq.

143. An baptiſmus adminiſtretur abſque falſitate homini nullum penitus habenti peccatum? 3.118.

144. Quæ ablationes jugis ſacrificii, de quibus Daniel loquitur? 3.122

145. Quo ſenſu Chriſtus Dominus ſpiritu oris ſui interficiet Antichriſtum? 3.126

146. Quibus capitibus loquitur Daniel de Antiocho, quibus de Antichriſto. 3 7 & ſeqq. item 127

147. Quid fiet illis quadraginta quinque diebus pacis poſt mortem Gog usque ad Chriſti Domi: adventum? 3.73

148. Quæ ſint illa memoratu digna per Danielem prædicta in illo numero dierum ſcilicet. *A tempore cum ablatum fuerit juge ſacrificium &c. dies mille ducenti nonaginta. Beatus, qui expectat, & pervenit usque ad dies* 1335. n.3. 16.& ſeq.

149. Quænam sit fatalis dies mundi hujus? 3.131
150. Qua parte Diei futura sit mors, & resurrectio universalis & Domini adventus? 3.131.& seq. 4.1
151. Quamdiu hic mundus sit duraturus? 3.133
152. Cur decem principes prodromi Antichristi apparuerunt Danieli in capite bestiæ: Nabuchodonosoris autem in infima parte statuæ? 3.135
153. Qua de causa Roma destruetur à prodromis Antichristi? 3.138
154. An, & quando posteri solvant pœnas debitas suis majoribus? ibid.
155. Quænam sit discessio, quam venturam ante Antichristum dicit Paulus? 3.143
156. An interdum liceat Episcopo fugere, & gregem suum relinquere? 3.143
157. Resurrectio universalis quamdiu? quomodo fiet? quo ministerio fiet? Ubi fiet? 4.2.& seqq.
158. Quo sensu nos, *qui vivimus, qui residui sumus adventum Domini, non præveniemus eos, qui dormiunt*, quinimmo mortui, qui in Christo sunt resurgent primi? 4.14.& 5
159. Ubi sonabit ultima illa vox, seu tuba Archangeli vocantis ad judicium? 4.8 & 13.
160. Quot, & quæ intervenient in cujuslibet hominis resurrectione? & quænam fient ab Augelis, quænam non fient? 4.19
161. Ubinam gentium, & locorum continget judicium universale? 4.23
162. Cur DEus, Angeli, & res spirituales toties proponuntur in scriptura quasi sint res corporeæ? 4.24
163. Cur de solo Patre æterno dicitur, quod trahit, & docet homines quod deditfilio judicium omne, quod ab ipso est omne datum optimũ? 4 26.& 51
164. Quæ persona sanctissimæ Trinitatis exercebit actionem judicandi omnes homines? 4.28
165. An reprobi visuri sint in die judicii humanitatem Christi? 4.28
166. Cur DEus agens cum hominibus toties utebatur ceræmoniis, & actionibus externis, ac sensibilibus? 4.8.& 29. & 49
167. An Thronꝰ Christi judicantis, & Apostolorũ verè, ac physice debeant esse tales, atq; ex nubibus formati? 4.29.& seqq.
168. Apostolis cur dabuntur in die judici Throni ex nubibus? 4.30
169. Qui alii judicaturi sunt? ibid. An verè, & realiter judicabunt 4.42
170. Quo sensu in die judicii laus erit unicuique à DEo? 4.32
171. Quid sit physicè à parte rei illa apertio librorum? & seq.
172. An singulis Angelis, & hominibus infusurus sit DEus in die judicii claram singulorum meritorum, & culparum singulorum hominum, & Angelorum? 4.35
173. Quis ille alter liber, quem Joannes appellat *vitæ*, & apertum dicit 4.36
174. Qua hora Diei incipiet, & qua absolvetur judicium universale, & consequentur quamdiu durabit? 4.46
175. In quo consistet physice sententia, quam dabunt Apostoli? 4.44
176. An, & cur judicium universale peragendum sit voce, & signis sensibilibus? 4.49.& seq.
177. An, & quo sensu prædestinatio sit propter merita? 4.52
178. An, & quo sensu sit propter peccatum Originale discretio prædestinati à reprobo? ibid.
179. Qua veritate dicet judex prædestinatis omnibus, *Edistis mihi manducare*. 453
180. Cur opera misericordiæ dicenda sint omnibus electis tanquam ratio suæ beatitudinis. 4.53
181. Cur ignis æternus paratus Diabolo, non vero dicitur paratus hominibus. Cœlum autem dicitur paratum hominibus, non vero Angelis? 456
182. An, & quando majorem ostenderit DEus benevolentiam cum hominibus, quam cum Angelis? 4.56
183. Quo jure damnabuntur sententiâ finali, qui nunquam audierunt cælestem ullam doctrinam? 4.58.& seq.
184. Ad quam pœnam damnabuntur, qui mortui sunt cum solo originali? 4.58
185. Ubi habitabunt, & quam vitam agent post judicium finale? 459.& seq.& n. 87
196. Quibus perfectionibus, & dotibus fruentur? 4.60
187. Quæ memoratu digna evenerunt vesperè hoc est horâ pomeridianâ tertiâ? 1.23.& 41. Item 4.48
188. An ordinariæ providentiæ sit hominem damnare protinus propter primũ lethale? 4.68 186. An

189 An peccatum factum absque ulla memoria, & advertentia DEI ab hoc æternè puniatur? 4.68.
190. An paganus, qui rectè moraliter vixit deseratur à DEO in sua infidelitate? 4.69.& seqq.
191. An fuerint ejusmodi Pagani? 4. 70.& seq.
192. Quo sensu Rahab fuerit meretrix? 4.74.
193. Quando, & quomodo ibunt reprobi in supplicium æternum? 4. 78.
194. Qua hora Diei fiet renovatio hujus mundi? 3.47.
194. Qualis erit status hujus mundi post executam finalem sententiam? 4. 89.
196. Quæ generatio, & corruptio cessabit: quæ non cessabit à die judicii. 4.82.
197. Quæ elementa, & quomodo perseverabunt? 4. 82. Ubi. An mare sit perseveraturum. 83. sed absque motu, ex eis, quos modo habet. ibid.
198. An sancti post judicium finale habitaturi sint interdum mundum hunc inferiorem? 4.86.
199. A quibus habitandus sit habituater, & permanenter? 4.87.
200. Quo sensu Christus post diem judicii tradet regnum, & subjicietur DEO? 4.89.
201. Quid significare soleat vox *donec*? 4.91.
202. Quid sit physicè illa traditio regni à Christo facienda? 4.92.
203. Quid sit physicè ex parte rerum, Christum sedere à dextris DEI? 4.95.
204. Quo sensu Christus Dominus olim oraverit cum clamore valido: & nunc interpellat pro nobis? 4.96.
205. In quos gladium, in quos pacem invexit Christus? 4.99.
206. Quot, & quæ specialia contra Christum bella? 4.99.& seq.
207. An signati illi, de quibus Joannes, ex omni tribu filiorum Israel, fuerint ex antiqua Ecclesia hæbrea? 4.101.

INDEX TERTIUS.

Locorum Sacræ Scripturæ, quæ in hoc opere explicantur: primus numerus Disputationem II. Marginalem significat.

Ex Genesi.

FActum est vespere, & mane dies &c. 1. 19.& seq. & 41.
Ipse conteret caput tuum. 1. 22.
Possedi hominem. 1. 36.
Tenebræ erant super faciem abyssi. 1.37.
Terra autem erat inanis, & vacua. 1. 38.
Divisit lucem à tenebris. 1.40.
Cataractæ cœli apertæ sunt. 1. 56.
Operti sunt omnes montes excelsi sub universo cœlo. 1.56.
Germinet terra herbam. 1.69.
Producant aquæ &c. 89.& 107.
Formatis Dominus DEus de humo cunctis animantibus &c. 1. 90.
Et posuit eum in Paradyso. 1.91.
Ex omni ligno Paradysi comede. 1.91.
De ligno autem scientiæ. &c. 1 91.
Sub viri potestate eris. 1.92.
Subjicite. Dominamini. 1.95. & 2. 30.
In faciem ejus spiraculum vitæ. 1.96.
De limo terræ. 1. 96.
Faciamus hominem. Ædificavit Dominus DEus costam. 1.98.
Replevit carnem pro ea. 1.110.
Qui dixit ad mulierem. 1. 112. 118.
Vir Luctabatur cum eo, & cum videret, quod cum superare non posset. 1.118.
Serpens erat callidior. 1. 119.
Quia fecisti hoc, maledictus es. 1. 124
Fecitque DEus duo luminaria magna. 1. 129.
Super pectus tuum gradieris. 1. 130.
Terram comedes cunctis diebus. 1. 131.
Inimicitiam ponam inter te. 1. 131.& 3. 103
Ipsa conteret caput tuum. 1. 121. Item. Tu insidiaberis calcaneo ejus.
Confusum est labium universæ terræ. 1. 142.
Factum est autem post multos dies ut offeret Cain &c. 2. 4.
Omnis, qui viderit me occidet me. Item cumque cœpissent homines multiplicari. 2. 4.

Cogno-

Cognovit quoque Adam uxorem. 2. 5.
Iſte cœpit invocare nomen Domini. 2.15
Iſte conſolabitur nos. 2.17.
Genuit filium ad imaginem, & ſimilitudinem ſuam. 2.5.
Eruntque dies illius centum viginti annorum. 2.9. & 10.
Videntes filii DEI filias hominum. Item omnis quippe caro corruperat &c. 2. 21. 41.
Poſtquam ingreſſi ſui filii DEI ad filias hominum. 2. 22.
Omne, quod movetur, & vivit, erit vobis. 2.31.
Ut ſint vobis in eſcam. 2.32.
Cunctis diebus terræ ſementis, & meſſis. 2.33
Carnem cum ſanguine non comedetis. 2.34. & 2.38.
Noë verò invenit gratiam. 2.41.
Apparuerunt ei tres Angeli. 3.16.
Non vocaberis ultra Jacob. 2.40.
Cum quingentorum eſſet annorum. 3.75
Putasnè centenario naſcetur filius. ibid.
Filiæ diſcurrerunt ſuper murum. 3.84.
Mutaſti mercedem meam decem vicibus 3.88.
Nunc cognovi, quod timeas DEum 3. 95. & 4.97.
Non creſcas. 3.140.
Arcum meum ponam in nubibus. 4.49.
Cuncta cogitatio cordis intenta eſſet ad malum 4.100.
Pœnituit hominem feciſſe 4.100

Ex Exodo, & Levitico.

A veſpera usquè ad veſperam celebrabitis Sabbata veſtra 1.76. & 4.48.
Obſerva eum, & audi. 188.
Honora perſonam ſenis. ibid.
Pontifex id eſt ſacerdos maximus inter fratres 1. 128.
Ego indurabo cor ejus 1.131.
Viſitans iniquitatē Patrum in filios 2. 26
Egreſſusque ignis à Domino devoravit eos 3. 12.
Viderunt DEum Iſrael 3.16
Placatusquè eſt Dominus 3. 42
In æternum. & ultra 3. 71
Viſitans iniquitatē Patrum in filios 3.140
Cœperunt audiri tonitura micare &c. 48
Conſtitui te DEum Pharaonis 4. 42
Idcirco poſui te, ut oſtenderem &c. 4.57
Provide autem de omni plebe viros potentes & timentes DEum 4.72

Ex Numeris, & Deutheron.

Ne fortè elevatis oculis ad cœlum 1.88
Cur percutis me 1.112.
Non ingrediatur Mamzer 2.23
In mille generationes 3.37
Quomodo perſequatur unus mille, ibid.
Et nunc Iſrael audi præcepta 3.64
Tabernacula tua Jacob ibid.
Vivat Ruben ibid.
Hæc eſt Judæ benedictio ibid.
Ad cœlum usquè muratas 3.71
Ad extremum etiam ipſi peribunt 3.87
Nonnè hæc condita ſunt apud me 3.139
Mane notum faciet Dominus. Item confeſtim igitur, ut ceſſavit loqui, dirupta eſt terra &c. 4.78
Factum eſt grande miraculum, ut Core pereunte 4.78.

Ex libro Joſue, & Judicum, & Ruth.

Ipſe eſt DEus in cœlo ſurſum &c. 144
Vidit virum ſtantem contra ſe 1.118
Stellæ manentes in ordine ſuo 1.121
Filii autem Iſrael prævaricati ſunt 1. 127
Inter cætera ligna promovear 1. 128
Tu ſurge, & irrue in nos 1. 131
Ne forte dicatur, quod à fœmina interfectus ſim ibid.
Ait Judas Simeoni fratri ſuo 3.64
Pone inſidias urbi poſt eam 5.49
Novi, quod Dominus tradiderit vobis. It.
Dominus enim DEus veſter ipſe eſt Deus 4.73
Nullus poterit vobis reſiſtere ibid.
Quocumquè perrexis pergam 4.75

Ex primo, & ſecundo Regum.

Juxta lapidem adjutorii 1. 23
Dominus enim præcepit, ut maledicere 1.131
Percuſſit Saul mille, & David &c. 3.40
Suſcitat de pulvere egenum 3.54
Propter Saul, & Domum ejus ſanguinum 3.138
Recenſui quæcumque fecit Amalec. ibid.
Videbis æmulum tuum 3.140
Dedit quoque DEus ſapientiam Salomoni 4.35
Gyra poſt tergum eorum, & venies ad eos, ex adverſo pyrorum 4.49

Ex 3o, & 4o. Regum.

Nonne cor meum in præſenti erat 1.45
Vade in tabernacula tua Iſrael 1.47

Altare

Altare, altare hæc dicit Dominus 1. 125
Dominus sonitum audiri fecerat 3. 15. & 23
Et vidit, & ecce mons plenus equorum &c. 3.16
Tu nosti solus cor omnium 3. 21
Cor docile. Placuit ergo sermo 3.21
Propter David patrem tuum 3. 32
Vide Domum tuam David 3. 64
Sanaberis; 3. 72
Derelinquam mihi in Israel septem millia 3. 97
In Hebron regnavit septem annis. 3. 98
Veruntamen non est aversus Dominus abira furoris sui magni 3 139
Propter peccata Manassæ ibid.
Per illum enim dedit DEus salutem Syriæ 4.75

Ex Libris Paralipomenon.

Cœlum, & cœli cœlorum non te capiunt 1. 44
Princeps inter triginta 1. 128
Subsannabant nuntios DEI 2. 9. Illis irridentibus eos ibid.
Egit pœnitentiam valdè coram DEO 3. 139
Tu enim solus nosti corda 4.33.

Ex Libris Esdræ, Tobiæ, Judithæ, atque Esther.

Nequè reminiscaris delicta mea 1.129
De stirpe Agar; item animo, & gente macedo 7.33
Invenit juvenem splendidum 3.16
Unus ex septem, qui adstamus ante Dominum 4. 24
Sic honoratur quemcumq; Rex honorare voluerit 4.29

Ex Job, atque Psalmis.

Nudos spoliasti vestibus 1. 23
Annos æternos. A montibus æternis 1. 26
Præcipit soli, & non oritur 1. 27. qui respicit terram, & facit eam tremere, ibid. Qui transit montes; ibidem. Irascimini, & nolite peccare ibid.
Cum me laudarent astra matutina 1. 41
Super Maria fundavit eum 1.58
Solem in potestatem Diei 1. 73
Misericordiam, & judicium cantabo tibi Domine 1. 76
Terram autem dedit filiis hominum. 1. 80
Minuisti eum paulo minus ab Angelis 1 82
Fecit cœlos in intellectu 1.84
Stellæ non sunt mundæ in conspectu 1. 85
Non avertas faciem tuam à me, & similis ero descendentibus in lacum 1. 90
Pelle, & carnibus vestisti me 1.99
Sicut aspidis surdæ, & obturantis 1 120
Ne memineris iniquitatum 1. 129
Ego hodie genui te 3.1
Scientiam viarum tuarum nolumus 3.4
Nunc autem oculus meus videt te 3. 16
Verbi, quod mandavit in mille generationes 3. 37. Ibidem: A latere tuo mille.
Non poterit ei respondere unum pro mille. ibidem.
Mille anni antè oculos tuos. ibidem.
Tibi soli peccavi 3. 40
Militia est vita hominis 3.42
Mihi autem nimis honorati sunt ibid.
Ipsum rapiet armatus 3. 52
De post fœtantes 3. 54
Irruit in me quasi gigas 3. 69
En venter meus quasi mustum 3.86
Decies confundistis me 3. 88
Quis dabit mihi pennas, ut columbæ 3. 93
Rapere pauperem, dum attrahit eum 3. 101
In innocentia cordis sui, & in intellectibus &c. 3.116
Reddes unicuique juxta opera sua 3.141
In novissimo die 4.1
In matutino interficiebam omnes peccatores 4.1
Rursus circumdabor pelle mea 4.9. & 11
Altissimus dedit vocem suam 4.17. & 55
Ut justificeris in sermonibus tuis; & vincas cum judicaris 4 36
Deleantur de libro viventium 4.37
Prævenit in benedictionibus dulcedinis 4.51
Heu mihi, quia incolatus meus 4. 58
Qui me comedunt, non dormiunt 4. 67
Ubi umbra mortis 4.89

Ex libris Salomonis, & Ecclesiastici.

Sicut nebula texi omnem terram. Eccles. 24
Qui vivit in æternum creavit omnia simul 1.35
Dominus possedit me in initio 1.36
Penetrabo omnes inferiores partes terræ 1.76
Lustrant universæ incircuitu 1. 84
Non didici sapientiam, & scientiam &c. 1.90
Murenulas aureas faciemus tibi 1.105
Si mordeat serpens in silentio 1. 120
Acerbo enim luctu dolens pater 2.29
Spes, quæ differtur affligit animam 2. 46
Sub arbore malo suscitavi te 3.54
Verba Eccles. 3. 84
Stultus sicut Luna mutatur 3. 85
Stultus transilit, & confidit ibid.
Per me reges regnant 3.88
Aqua frigida animæ sitienti &c. 3. 116
Per quæ quis peccat 4. 9
Manè consurgent, & non invenient me 4.15
Comedent igitur fructus viæ suæ 4.65
Reliquit illum in manu consilii sui 4. 66
Si volueris mandata servare ibid.
Terra in æternum stat 4.82

Ex Isaia, Jetemia, Baruch, & Ezechiele.

Vocabo eos, & stabunt simul 1. 28
Præparata est haberi Jophet à Rege 1. 38
Foramina tua in die, qua conditus es præparata sunt 1. 38
In medio lapidum ignitorum ambulasti 1. 39
Neque locus inventus est eorum amplius ibid.
Immensus est, & non habet finem 1.44
De Sion exibit lex 1.74
Manus meæ tetenderunt cœlos 1. 84
Erit lux lunæ, sicut lux solis &c. 1. 85, & 3.133
Non erat aspectus, & desideravimus eum 1. 90
Videbit omnis caro 1.96
Anima, quæ peccaverit bid.
Salvabit mihi brachium meum 1.121
Audi terra. Ecce ego adducam 1,125
Terra, terra, terra audi. ibid. Repulit. Dominus altare suum ibid
Quomodo obscuratum est aurum. Item. Qui nutriebantur in croceis 1.131
Ego Dominus decæpi 1. 131
Vox in Rhama audita est 3.2
Verè languores nostros ipse tulit ibid.
Sepelient ibi Gog 3.12
Vidi Dominum sedentem 3.16
Consummatio abbreviata justitiam &c. 3. 26
Ut diripias spolia, & invadas prædam 3. 36
Justificasti sorores tuas 3. 40
Esto eis in præceptum 3,63
Cogitabis cogitationem pessimam, & dices ibid.
Congregata est de populis multis 3.65
Domus Thogorma latera aquilonis 3. 66
Ab aquilone pandetur malum. Item. Convocabo omnes cognationes Regnorum aquilonis. Item. Dedi omnes terras istas in manu Nabuchodonosor 3.66
Ad terram, quæ reversa est gladio, & congregata est de populis multis. Dices ascendam ad terram absque muro &c. 3. 68
De lateribus aquilonis 3. 69
Gladius uniuscujusque in fratrem suum 3. 70
Judicabo eum peste, & sanguine ibid.
Imbre vehementi, & lapidibus ibid.
Ignem, & sulphur pluam ibid.
Dabo Gog locum nominatum. Item. Sepelient eos domus Israel. Post menses autem septem, quærere incipient. Item ignis septem annis 3.71, & 64
Morieris tu, & non vives 3.72
Immittam ignem in Magog 3.73
De quo locutus sum in diebus antiquis 3.76
Virgo filia Sion 3.84
Nolite confidere in verbis mendacii 3.88
Curavimus Babylonem. Item. Fugite de medio Babylonis 3.96. & 142
In tempora longa iste prophetat. ibid.
Reliquiæ salvæ fient 3.97
Velociores fuerunt persecutores nostri 3.98
Sicut excussio oleæ duarum, vel trium 3. 103
Spiritu labiorum suorum interficiet &c. 3. 125

Noë, & Daniel, & Job fuerint in medio 3.139
Patrès noſtri peccaverunt, & non ſunt, & nos iniquitates eorum portavimus 3.140
Quis poterit infirmare 3.140
Non dicent ultra. Patres comederunt uvam acerbam. Item: quid eſt, quod inter vos parabolam vertitis in proverbium 5.141
Pro ſuavi odore fœtor 4.9
Projectus es de ſepulchro tuo 4.16
Erant autem multa valdè ſuper faciem campi, ſiccaque vehementer 4.18
Usquè ad ſenectam ego ipſe; & usquè ad Canos 4.24. & 56
Ecce teſtem populis dedi eum 4.30
Conſtitui te hodie ſuper gentes, & ſuper 4.42
Vermis eorum non morietur 4 89
Ecce ego, & pueri mei 4.93

Ex Daniele, & Prophetis minoribus.

Ne fortè expoliem eam nudam 1.23
O Iſrael quam magna eſt Domus DEI? 1.43
Fluvius igneus rapidus egrediebatur à facie ejus 1.53
Curre loquere ad puerum iſtum 1.92
Effundam de ſpiritu meo 1.96
Vir Gabriel, quem videram 1.118
Et David regem ſuum 1. 122
Cibus ejus electus 1.131
Quam magna eſt domus DEI & ibi fuerunt gigantes nominati 2.15
Ex Ægypto vocavi filium meum 3.2
Juge ſacrificium. Abominatio deſolationis 3.7. & 8
Tempus, & tempora, & dimidium &c. 3.8
Populus autem ſciens DEum ſuum. 3.9. item. Impii in teſtamentum; item applicabunt eis &c.
In illo tempore conſurget Michael 3.9. & 46
Multi de his, qui dormiunt, & &c. Alii in vitam æternam 3.10
Ego audivi, & non intellexi. Item clauſi ſunt, ſignatique ſermones 3.10
Vidi autem ego Daniel ſolus viſionem 3.16
Seniores veſtri ſomnia ſomniabunt 3.17
Fui in ſpiritu 3.23
Super tribus ſceleribus, & ſuper quatuor &c. 3.39
Regnum autem, & poteſtas &c detur 3.42
Omnes populi, tribus, & linguæ ſervient ei 3.44
Ecce beſtia quarta terribilis 3.45
Cornua decem ipſius regni decem &c. ibid.
Princeps autem regni perſarum reſtitit 3.48
Sermones contra excelſum loquetur 3.63
In æternum, & ultra 3.71
Qui ad juſtitiam erudiunt multos 3.76
Septuaginta hebdomades abbreviatæ 3.78
Aggæus nuntius Domini de nuntiis 3.84
Ex ſemetipſa judicium, & onus ejus 3.87
Quaſi filius hominis veniebat 3.95
Dedit ei poteſtatem, & honorem ibid.
Si exaltatus fuerit, ut aquila 3.97
A tempore cum ablatum fuerit juge ſacrificium 3.99. poſita fuerit abominatio ibi, & 105
Canet ibi juxta dies juventutis ſuæ 3.100
Convertet cor Patrum ad filios, & cor filiorum ad Patres 3.115
Mane Techel, Phares 3.125
Perditio tua Iſrael 56
In die illa non erit lux, ſed frigus, & gelu. Dies unaque nota eſt Domino, non dies, neque nox, & in tempore &c. 3.131. & 4.46
Babylon magna, quam ego ædificavi 3.133
Commiſcebuntur quidem humano ſemine, ſed non adhærebunt ſibi 3.136
Abſciſſus lapis de monte ſine manibus ib.
Lapis autem, qui percuſſerat ſtatuam ib.
Michael unus de principibus primis 4.19
Antiquus dierum ſedit &c. 4.25
Quaſi filius hominis veniebat 4.27
Judicium ſedit 4.32. Libri aperti ſunt.
Deducam eas invallem Joſaphat 4.39
Filius honorat Patrem 4.42
Danielem honoravit, & hoſtias, & incenſum 4.43
Prædicatum eſt de eo, quod haberet 4.43
Veniet Dominus DEus, omnesque ſancti cum eo cum cæteris, quæ in eo capite 14. prædicunt Zacharias 4.46
Ego quaſi nutritius Ephraim 4.56

Ex Machabeis.

Singulorum membra non ego ipſa compegi 1.99.

Misit Rex senem quendam 3. 7
Væ mihi. Ut quid natus sum videre contritionem populi mei, & contritionem &c. 3. 142
Omnis, qui zelum habet legis statuens testamentum 3. 143
A quo non esset misericordiam consecuturus 4. 15

Ex quatuor Evangelistis, & actibus Apostolorum.

Fiat mihi secundum verbum tuum 1. 22
Inclinato capite tradidit spiritum 1. 22
Qui volunt hic transire ad vos non possint 1. 23
A sexta autem hora tenebræ &c. 1. 30
In principio erat verbum 1. 36
Videbam Satanam tanquam fulgur &c. 1. 39
Sabbatum illucescebat 1. 41
Advesperascit, & inclinata est dies. ibid.
Joannes quidem signum fecit nullum 1. 44
Gratiam pro gratia 1. 48
Salus ex Judæis est 1. 74
Appositæ sunt in die illa animæ &c. 1. 46
Indispositione Angelorum 1. 106
Missus est Angelus Gabriel ibid.
Apparuit illi Angelus. ibid.
Luna non dabit lumen suum. Item stellæ cadent de cœlo 1. 118
Ut omnis, qui credit in ipsum non &c. 1. 120
Quæstum magnum præstabat Dominis 1. 121
Abscondisti hæc à sapientibus 1. 122
Ecce pater tuus, & ego dolentes. ibid.
Ficus cui maledixisti aruit 1. 125
Qui autem non habet, & quod habet &c. 1. 129
Ipse est Elias, qui venturus est 1. 129
Potestatem calcandi supra serpentes. 1. 130.
Non est in alio salus; neque &c. 2. 40
Edebant, & bibebant, uxores ducebant 2. 42. 44
Solutis doloribus inferni 2. 46
Resuscitans JEsum; sicut in Psalmo &c. 3. 1
Per Prophetam dicentem. Et Ægypto &c. 3. 2
Per Jeremiam Prophetam vox in Rhama audita est ibid. Item lex Isaiam Prophetam dicentem. Ipse infirmitates ibid. Si vultis recipere ipse est Elias. Item Elias quidem jam venit 3. 3
Videntes videant, & non videant 34
A Daniele propheta prædictam 3. 7. ib. qui legit intelligat.
Pro multis effundetur 1. 10
Homo quidam nobilis. Homo quidam plantavit &c. 3. 20
Cecidit super eum mentis excessus. 3. 22
Ille vos docebit omnia 3. 22
Absit Domine. Ibid.
Nequè fiet 3. 26. & 69
Cum illud bibam vobiscum novum. It. Manducavimus, & bibimus cum illo 3. 34. & 44.
Vidit, & gavisus est 3. 41
Violenti rapiunt illud 3. 42
Videns fidem illorum ibid.
Sol obscurabitur 3. 130
Quem occidistis inter templum 4. 74
Statim autem post tribulationem &c. 3. 44. 74
Abscondisti hæc à sapientibus 3. 50
Audituri estis prælia, & opiniones præliorum 3. 51
Confidite. Ego vici mundum 3. 55
Non pro eis autem rogo tantum. ibid.
Cui volo do illam. ibid.
Id ipsum autem, & latrones 3. 56
Ecce prædixi vobis. Nolite credere 3. 58
Quæ manus tua, & consilium tuum decreverunt fieri 3. 60
Dimitte mortuos sepellire mortuos suos 3. 62
Omnis, qui biberit ex hac aqua. ibid.
Ut sit unum, sicut & nos unum sumus. ibid. & 53
Non bibam amodo de hoc genimine. ibid. 3
Manducavimus, & bibimus cum illo. ibid.
Cum adhuc essem vobiscum. ibid.
Ut ergo dixit eis. Ego num 3. 67
Breviabuntur dies illi. 3. 69. & 78
Nec ipsum arbitror mundum capere posse 3. 71
Viri ninivitæ surgent in judicio. 3. 72. & 4. 47
Sonitus maris, & fluctuum 3. 71
Arescentibus hominibus præ timore. ibid.

Sicut

Sicut enim erant in diebus antediluvium comedentes 3. 74
Tunc veniet consummatio 3. 74. & 35
Jejuni permanentes, nil accipientes. ibid.
Unus assumetur, & unus relinquetur. ibid.
Quod signum adventus tui, & consummationis seculi 3. 77
Si quis vobis dixerit. Ecce hic est Christus 3. 79
Si alius venerit in nomine suo 3. 79
Levate capita vestra, quoniam appropinquat redemptio 3. 80
Omnibus dico. Vigilate. Ibid.
Dimisit Ecclesiam 3. 81
Ubicumq; fuerit corpus, illic congregabuntur 3. 83
Ipse meus frater, & soror, & mater 3. 87
Venerunt volucres cœli, & comederunt ea 3. 91
Sin autem ad vos revertetur 3. 94
In omnes gentes primum oportet prædicari Evangelium. Item in universo orbe 3. 106. & seq.
Jam non sum in hoc mundo 3. 108
Opiniones præliorum, consurget gens in gentem. Nondum est finis 3. 112
Initia sunt dolorum. ibid. & 113
Tunc tradent vos in tribulationem, &c. ibid.
Testificantes Judæis, atque gentilibus 3. 115
Hic dicet tibi, quid te oporteat facere 3. 117. & 4. 70
Dimitte nobis debita nostra 3. 118
Si alius venerit in nomine suo, illum accipietis 3. 122
Media autem nocte. Item si venerit in secunda vigilia. Item an media nocte 3. 131
In veritate comperi, quia non est personarum 3. 133
Crediderunt in eum discipuli ejus. ibid.
Implete mensuram Patrum vestrorum 3. 140
DEI voces, & non hominis; confestim percussit eum Angelus 3. 140
Nondum venerat hora ejus 3. 143
Omnes dispersi sunt per regiones Judææ 3. 144
Mercenarius autem fugit 3. 143
Resuscitabo eum in novissimo die 4. 1
Quem occidistis inter templum 4. 3
Factus est repente de cœlo sonus 4. 8
Separabunt malos de medio justorum. Item statuet oves quidem à dextris 4. 14
Mittet Angelos suos cum tuba 4. 14
Colligent de regno ejus omnia scandala. ibid.
Tunc plangent omnes tribus terræ 4. 15.
Et tunc incipient dicere montibus. ibid.
Ite potius ad vendentes 4. 15
Venit hora, in quâ omnes, qui in monumentis sunt audient vocem, &c. 4. 16
In resurrectionem judicii 4. 16
Non est impossibile apud DEũ omne &c. 4. 17
Filium hominis venientem in nubibus. 4. 23
Accumbent in regno DEI 4. 24
Cum illud bibam vobiscum novum. ibid.
In majestate sua, & omnes Angeli cum eo 4. 25
Nec enim pater judicat quenquam 4. 26
Hic est filius meus dilectus 4. 26
Ipse est, qui constitus est à DEO judex 4. 28
Insufflavit 4. 29
Beatam me dicent omnes generationes 4. 29
Abraham miserere mei, & mitte, &c. 4. 30
Sedebitis super sedes duodecim 4. 31
Confitebitur illum coram Angelis 4. 32
Sanctificetur nomen tuum. ibid. Proficiebat sapientia, & gratia ibid.
Nil est opertum, quod non reveletur. 4. 41
Regina austri surget in judicio 4. 42
Præcinget se, & faciet illos discumbere. 4. 43
Accipite spiritum sanctum 4. 50
Elevatis manibus benedixit eis ibid.
Elevatis sursum oculis, dixit Pater ibid.
Venite benedicti Patris mei &c. 4. 51. & seq.
Dedistis mihi manducare 4. 53
Discedite à me maledicti &c. 4. 55
Hoc est opus DEI, ut credatis &c. 4. 64
Domine Domine; nonne in nomine tuo 4. 65
Qui faciet omnes voluntates meas. 4. 96
Qui autem non cognovit, & fecit digna plagis 4. 68

In domo Patris mei mansiones multæ sunt ibid.
Venerunt transfretum maris 4. 70
Religiosum, ac timentem DEum 4. 70
Non est in alio aliquo salus. ibid. Item.
Venerat adorare in Jerusalem. Item. Dixit autem spiritus Philippo, &c. ibid.
Proconsul cum vidisset factum 4. 71. Item. Vir macedo quidam erat stans, & deprecans eum. Ibid. Vetati sunt ab spiritu sancto 4. 71. Item non permisit eo spiritus JEsu.
Nisi granum frumenti cadens in terram. ibid.
Clarificavi, & iterum clarificabo ibid.
Vidimus stellam ejus in oriente ibid.
Semper docui in Synagoga 4. 74
Non discedebat de templo ibid,
Qui autem non crediderit jam judicatus est. Item qui verò non crediderit condemnabitur 4. 77
Ibunt hi in supplicium æternum 4. 78
Cahos magnum firmatum est 4. 79
Vermis eorum non moritur 4. 89
Donec peperit filium suum 4. 91
Acquisivit sanguine suo 4. 93
Quos dedisti mihi custodivi ibid.
Ut omne, quod dedit mihi non perdam. ibid.
In illo die me non rogabitis quidquam. 4. 94
In illo die vos cognoscetis, quia ego &c. ibid.
Si quid petieritis Patrem. ibid.
Ego autem sciebam, quia semper me audis 4. 96
Pernoctans in oratione 4. 96
In veritate comperi, quia non est personarum &c. 4. 97
JEsus proficiebat Sapientia &c. ibid.
Non veni pacem mittere. Item. Pacem habete inter vos. Item. Pacem relinquo vobis 4 99
In signum, cui contradicetur 4. 99
Quid me persequeris 4. 103

Ex Epistolis sancti Pauli.

Delens, quod adversus nos erat chirographum 1. 22
Usque ad tertium cœlum 1. 65
Non enim vir ex muliere. Item. Caput mulieris vir: non est creatus vir propter mulierem 1. 93
Sicut serpens evam seduxit 1. 121
Sine Patre, sine matre &c. 1. 129
Propterea tradidit illos DEus in passiones 1. 130
Manere apud vos, si Dominus permiserit 1. 131
Quis vitem conserit, quin de fructu ejus &c. 2. 36
Cui enim dixit aliquando Angelorum 3. 1
Non semetipsum clarificavit 161
Quæ sunt per allegoriam dicta 21
Hæc autem in figura facta sunt 3. 3
Quæcumquè enim scripta sunt 3. 5
Acceperunt mulieres de resurrectione 3. 10
Peccatores constituti sunt multi ibid.
A longe eas aspicientes, & salutantes 3. 41
Principes, & potestates, & mundi rectores 3. 55
Qui parce seminat, parce &c. 3. 58
Quem Dominus JEsus interficiet spiritu oris sui, & destruet illustratione 3. 63. & 125
Vivus est enim sermo DEI, & efficax, 3. 63
Sicut fur in nocte, ita veniet. Cum enim dixerit pax & securitas 3. 74
Ostendens se tanquam sit DEus 3. 79
Induimini Dominum JEsum Christum 3. 85
Christum induistis. ibid. Induentes novum
Quos iterum parturio 3. 87
Sine Patre, sine matre &c. 3. 95
In novissimis temporibus discedent quidam à fide. Item. In novissimis temporibus instabunt tempora periculosa. Erunt homines se ipsos amantes 3. 113. Hos devita ibid.
Neque enim ego ab homine accepi illud 3. 116
Ne fortè in vacuum currerem, aut &c. ib.
Ideo mittet illis DEus operationem erroris 3. 122
Dies Domini sicut fur in nocte 3. 131
Ut referat unusquisque propria corporis 3. 141
Ne quis vos seducat ullo modo, quoniam nisi venerit discessio primum 3. 142
Et creatus fuerit homo peccati. ibid.
Damasci præpositus gentis Aretæ regis 3. 144
In momento, in ictu oculi &c. 4. 2

Mor-

Mortui, qui in Christo sunt resurgent primi 4.3
Primitiæ Christus, deinde hi, qui sunt. 4.3
Ecce mysterium vobis dico. Omnes quidem ibid.
Nolumus vos autem ignorare fratres 4.4
Excipiens exploratores cum pace 4.72
Deinde nos, qui vivimus, qui &c. 4.6
Corpus animale surget corpus spiritale, 4.18. & 22. Ubi etiam seminatur in corruptione, simul rapiemur cum illis in nubibus 4.23
Non est enim regnum DEI esca, & potus 4.24
Illuminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia 4.32
Per quam damnavit mundum 4.42
Non volentis, neque currentis, sed miserentis 4.51
Cujus vult miseretur ibid.
Elegit nos in ipso ante &c. 451
Ut ostenderet divitias suas &c. 4.57
Sine lege peribunt 4.58
In Christo omnes vivificabuntur 4.90
Cum tradiderit Regnum DEO, & Patri. Item. Cum evacuaverit omnem principatum, & potestatem, & virtutem, cum reliquis, quæ ibi adjungit Apostolus 4.90. & seqq.
Rectores tenebrarum harum, contra spiritualia nequitiæ in cœlestibus ibid.
Inimica destruetur mors 4.92
In diebus carnis suæ 4.96
Fecit utraque unum 4.101
Unus Dominus, una fides ibid.
Sampson. Jephte ibid.

Ex aliis Epistolis Canonicis.

Quod fuit ab initio 1.36
Ab initio Diabolus peccat 1.39
Angelos verò, qui non servaverunt &c. 1.39
Subjugale mutum animal hominis voce loquens prohibuit &c. 1.121
Antichristi multi facti sunt 1.129
Prophetavit autem, & de his septimus 2.15
His, qui in carcere erant spiritibus veniens prædicavit &c. 2.44. & mortuis Evangelizatum est, ut judicentur quidem &c. 2.45
Hic est Antichristus &c. 3.41
Omnis spiritus, qui solvit JEsum 3.92
Ubi est promissio, & adventus ejus 3. 113
Memores estote verborum &c. ibid.
Sicut, & charissimus frater noster Paulus. Item. Depravant sicut, & ceteras scripturas 3.120
Ecce venit Dominus in sanctis millibus suis facere judicium 4.25
Descendens à Patre luminum 4.26
Sed etiam pro totius mundi 4.47
In quibus justitia habitat 4.59
Super exaltat autem misericordia judicium 4.61
Suscipiens nuncios, & alia via ejiciens 4.72
Sapientia primum quidem pudica est 4. 80
Elementa verò calore solventur 4.84

Ex Apocalypsi

Civitas non eget sole, neque Luna 1. 24
Effundite septem phialas iræ DEI 1.52
Nolite nocere terræ &c. 1.92
Cauda ejus trahebat tertiam partem stellarum 1.94
Occisa sunt in terræ motu nomina 1. 136
Descendit ignis à DEO de cœlo 3.11
Cæteri occisi sunt in gladio sedentis 3. 27
Animas decollatorum propter 3.27
Cæteri mortuorum non vixerunt ibid.
Circuierunt castra sanctorum, & civitatem dilectam 3.3. & 68
Regnaverunt cum Christo mille annis 3. 37. & 42
Habentem clavem abyssi, & catenam magnam 3.38
Apprehendit, signavitque, misit, clausit ibid.
Ut non seducat amplius gentes donec consumati sint mille anni 3. 39. & seq.
Characterem ejus in frontibus, aut in manibus suis 3.41
Vixerunt 3.42
Cæteri mortuorum non vixerunt 3.43
Hæc est resurrectio prima 3.43. Hæc est mors secunda. ibid. In his secunda mors non habet potestatem. ibid.
Factum est prælium magnum in cœlo 3. 46
Projectus est Draco ille magnus 3.47. & seq.

Accu-

Accusator fratrum nostrorum ibid.
Non valuerunt, nequè locus &c. ibid.
Descendit Diabolus ad vos &c. ibid.
Capita septem, & cornua decem 3. 49
Super cornua ejus decem diademata, & super capita &c. 3.50
Prælium cum reliquis de semine ejus 3. 52
Mulierem ebriam de sanguine 3.53. cum reliquis, quæ de illa dicit Joannes, & 88
Fuit, & non est, & ascensura est 3. 55
Vidi aliam bestiam ascendentem 2.56
Ne quis possit emere, aut vendere 8. 56
Ut loquatur imago bestiæ 3.57
Prophetabunt diebus mille &c. 3.58
Datum est illi, ut darent spiritum 3. 60
Vidi unum de capitibus quasi occisum 3. 61
Septem capita, septem montes sunt 3. 62
Aperuit os suum in blasphemias 3. 63
Occisi sunt in gladio sedentis super equum, qui procedit de ore ipsius 3. 67
Absconderunt se in speluncis 3.73
Diabolus, qui seducebat eos missus est in stagnum ignis 3. 76
Judicati sunt mortui ex his, quæ scripta erant in libris 4.32
Vidi mortuos magnos, & pusillos 4.33
Signum magnum apparuit in cœlo, cum reliquis omnibus quæ de muliere amicta sole dicit Joannes capite 12. Apocalypsis.
Exponuntur de Ecclesia ultima 3. 81. & seq.
Draco magnus, & rufus 3. 87
Potestates tanquam reges una hora. ibid.
Cauda sua trahebat tertiam partem 3. 90
Ascendit fumus incensorum 3. 93
Exite de illa populo meus 3. 96
Carnes ejus manducabunt ibid.
Pascant eam diebus mille ducentis, &c. 3. 97
Prophetabunt diebus mille &c. ibid.
Habens iram magnam persecutus est &c. 3. 98
Datæ sunt mulieri alæ duæ aquilæ ibid.
Misit serpens ex ore suo aquam post mulierem 3. 101
Aperuit terra os suum 3. 102
Virtutem, & potestatem suam bestiæ, ut faciant 3. 110
Duæ olivæ, & duo candelabra 3. 115
Oportet te iterum prophetare ibid.
Blasphemare nomen ejus, & tabernaculum ejus 3. 122
Reliqui in timorem sunt missi 3. 134
Vidi Thronum magnum candidum 3. 139. Item. A cujus conspectu fugit terra, & cœlum ibid.
Hi odient fornicariam 3. 137
Dedit mare mortuos, qui in eo erant 4. 18
Ecce venit cum nubibus 4. 23
Ipsa verò civitas aurum mundum, &c. 4. 24
Vidi Thronum magnum candidum 4. 25
Decies millies centena millia ibid.
In circuitu sedis, sedilia viginti quatuor 4. 31
Ex omnibus gentibus, & tribubus ibid.
Libri aperti sunt 4. 32
Et alius liber apertus est 4. 36
Sol factus est niger 4. 46. & 3. 130
Mortua est tertia pars creaturæ 4. 82
Et mare jam non est 4. 83

INDEX

INDEX QUARTUS.

RERUM, & VERBORUM.

Prior numerus Disputationem significat; Secundus Marginalem significat.

A.

ABel non fuit cœlebs. 2. 4. & 19. Achior homo probus 4. 76

Abominatio desolationis quotuplex 3. 8. quam citat Christus. Ib. Abstinentia à carnibus propter nauseam 2. 38

Ablationes jugis sacrificii, de quibus Daniel 3. 122

Abraham unus forsan ex Judicibus in die judicii 4. 3

Actus primus pro actu secundo 3. 72

Adam, & alii quomodo potuerunt videre DEum oculis corporeis 3. 16. Vide corpus.

Adoratur etiam, quod nondum est; sed futurum est 3. 41

Aer quando est productus 1. 67

Æther quid sit ibid.

Alimenta distincta à carnibus plena succus, ac substantiæ 2. 39

Amphibia quando fuerunt creata 1. 89

Angeli non fuerunt mixti cum fœminis ante diluvium 2. 25. nequeunt operarari immediate in natura 3. 21. quomodo prælientur inter se 3. 47. & seqq. Quomodo per illos ascendant ad DEum opera nostra 3. 93. Quando, & ubi fuerunt creati 1. 34. Quando, & quamdiu fuerant viatores 1. 39. Uni imperant aliis 1. 92. Non aspernantur humanam figuram induere 4. 15. Quodnam illorum ministerium in formatione corporum Adæ, ac Evæ 1. 98. non sunt in otio 1. 103. Illorum Robur 3. 129. Illis utitur DEus ad specialia opera 1. 206. Illos non pudet fateri, se indigere auxilio aliorum 4. 19. Ex quibus maximè choris apostratarunt 4. 90

Anni vitæ notantur in probis, secus in improbis 2. 3

Animalia cur non fuerunt creata ante diem quintam 1. 68. Quæ fiunt ex putri, quando fuerunt creata 1. 89. Nullum irrationale restabit in hoc mundo post diem judicii 4. 82

Annus intrinsecus, & extrinsecus 1. 13

Apostolis, & judicibus aliis dabuntur in die judicii Throni ex nubibus facti 4. 30. Verè, ac simpliciter erunt judices 4. 42. & seqq. Quæ, & qualis sua sententia, & in quo consistet physicè illud munus 4. 44

Apogæum solis cur mutatum sit 172

Apparationes extraordinariæ, ac præter naturales multipliciter fieri possunt 3. 24

Apocalypsis caput 20. exponitur in favorem millenariorum 3. 26. & seqq. Explicatur juxta communem, & verum ibid. 35. & seqq.

Antichristus est materia de qua caput 12 Danielis 3. 9. Illius Monarchia quamdiu durabit 3. 99. Jactabit se esse verum Christum 3. 79. non erit ex ordine regum; sed dynastarum 3. 89. Initio modicus erit postea imperio antiquo Romano potietur 3. 45. Exorietur in medio regionum quibus illud imperium constabat olim 3. 50. & 68. Præfigurabatur in bestia è mari ascendente 3. 51. Enygma sui nominis, videlicet 666. intelligetur ab ultimis fidelibus; At cum nostra non referat, non intelligitur à nobis. ibid. Hierosolymam conculcabit. 3. 114. Duo suo edicta, 3. 122. Merito apparuit Joanni, ut bestia marina 3. 51. Ebibet blasphemias septem regum antiquorum 3. 52. suus vicarius. ibid. Quo sensu respondebunt consulentibus. ibid. 57. Quo sensu interficietur spiritu oris Christi 3. 126. suis miraculis credentes excusationem non habebunt 3. 57. Quando fient illa miracula ibid. Magnam quandam accipiet cladem 3. 61. & seqq. Regnabit septemdecim adhuc dies post necem Henoch,

Henoch, & Eliæ. 3.129. Mors ſua, & ſui Vicarii 3.63 & 125. Erit diſtinctus à Gog 3.11. & 31. & 67. Ipſius Tyrannis ſola non ſignificatur illis verbis *erit enim tunc tribulatio magna* 3.69. Quodammodo erit major, quam Gogæa, ibid. Illo ſæviente multi ſtabunt 3.47

Antiochus non fuit Gog 3.67

Aquæ ſubterraneæ 1.68. Super cœleſtes potuerunt eſſe magna cauſa diluvii univerſalis 1.52

Aquatilia quo ſenſu producta fuerunt ab aquis 1.107. Aqua quando fuit creata 1.35

Artes antè diluvium 2.13. & ſeqq.

Atmoſphæra quid ſit, & quando incæpit 1.18. Nulla erit poſt diem judicii 4.82

Author Canonicus credi debet fide divina in his, quæ dicit ac etiam in expoſitione, quam dat ſacræ ſcripturæ 3.3

Auguſtinus quomodo reſpondebat ad myſterium prædeſtinationis 4.36. Ter fateturſe à Cicerone primum fuiſſe motum, ut voluptatibus renunciaret in Prologo.

B.

BAptiſmus quomodo verificatur in eo, qui nullum omninò habet peccatum 3.118

Beatis quo ſenſu promittitur eſus, & potus 3.44

Bella ſpecialia, & quaſi perſonalia contra Chriſtum Dominum 4.99. Verſus ultimum quadriennium mundi atrocia futura ſunt 4.112

Beſtiæ quinque præfigurantes res ultimas mundi 3.45 & ſeqq.

Beſtia præfigurans vicarium Antichriſti 3.56. Beſtiis cur annumeratus eſt Diabolus 1.129. Beſtiæ quo ſenſu capaces ſunt loquendi 1.138

C.

CAini, & Sethi linearum diverſitas 2.17. Chaos quo ſenſu eſt firmatum. 4.87

Cœlum, & terra quando, & ubi creata fuerunt 1.4. & ſeqq. Quodnam cœlum factum fuit, & quodnam non factum primâ die 1.42

Cœlum Chriſtallinum, ſivè aqueum datur 1.51. & ſeqq. Cœli non ſunt ſolidi 1.59. Quod ſunt 1.65. Cœlum cœli cur ſit regia DEI, & ſanctorum 1.34. Carnium eſus antè diluvium 2.30. & ſeqq.

Centrum præſens univerſi non eſt eſſentialiter tale 1.6

Cicero fuit primus homo, qui Auguſtinum abſtraxit à cæno. In Prologo.

Clades quibus DEus quondam exercitus magnos delevit 5.70

Chriſtus, ut homo eſt caput morale Reipublicæ cœleſtis 1.49. Quo ſenſu crucifixus hora 3. & hora 9. 1.76. Per fœminam deſcendebat ex Chanaam 2.27. Sua verba interdum moralia 3.67. Quo ſenſu dici poteſt filius Eccleſiæ 3.91. Suæ paſſionis, & mortis notitia ex veteri teſtamento 3.75. quo ſenſu ſpiritu oris ſui interficiet Antichriſtum 3.120. Suus adventus ad judicium unde futurus poſt mediam noctem 3.131. Veniet in nubibus 4.23. Cur cum magna pompa 4.25. Quomodo accepit à DEO judiciariam poteſtatem, & quomodo illam exercebit 4.26. & ſeqq. ſpecialem oſtendebat curam tribuendi Patri eximia opera 4.51. Quo ſenſu dicet Electis omnibus *dediſtis mihi manducare* 4.53. Incarnatus, & mortuus etiam pro hominibus reprobis 4.57. Quo ſenſu poſt diem judicii tradet regnum, & ſubjicietur DEO, & Patri 4.89. Eſt cauſa meritoria reſurrectionis omnium hominum 4.90. Quo ſenſu ſedet ad dexteram Patris 4.95. Quo ſenſu oravit cum clamore valido, & nunc interpellat pro nobis 4.96. Inter alios gladium, inter alios pacem induxit 4.99. Contra ipſum quot, & quæ bella 4.99. & ſeqq. Sua reſponſio ad quæſt. de fine mundi 3.76. & ſeq.

Chriſtiani multi tempore Antichriſti vadent quæſitum Pontificem, & illi adhærebunt 3.123

Conſervari rem quid eſt 1.15. Conchilia quomodo formentur 1.89. Conceſſio procedere ſolet prohibitioni 1.91. Commeſtio quid ſit phyſice ex parte rerũ 1.92. Confeſſores ſancti quo ſenſu ſunt martyres, etiam regnant tum Chriſto 3.42. Cornu parvum, de quo Daniel non ſignificat Antiochum, aut maumethem 3.8

Cor-

Corpus Adæ ex quibus rebus formatum eſt 1.96. Corpus realiter præſens, poteſt multis de cauſis non videri ab oculis attentis 1.116. Corpori glorioſo, & immortali non repugnat in hac providentia comedere, & bibere 3.34. Corpus quo ſenſu ſurget ſpiritale 4.21. Corpora Adæ, ac Evæ, quam formationem habuerunt ab Angelis 1.98. Eorundem ſyſtema quoad formationem 1.108

Corruptio, quæ ceſſabit, & quæ non ceſſabit à die judicii 4. 82

Creatura nulla poteſt occidere formaliter immediatè aliam 1.15. Creatura non eſt primum, ſed unicum principium malitiæ moralis 4.56

Crepuſcula quid ſint 1.53. Citius incipiebant, & ſeries deſinebant anno diluvii.

D.

DAmnatorum ſtatus 4 89. Daniel loquitur capitibus 7.11. & 12. de perſonis diſtinctis 3.7. & ſeqq. quæ ſcribit cap. 7. & 12. ſunt de Antichriſto 3.9. & 7. & 127. quamvis cap. 8. & 11. Loquatur de Antiocho.

DEus quid agebat antè primam mundi creationem 1. n. 1. & ſeqq. Ubilibet eſt phyſicè præſens, non minus quam ſumus nos in loco in quo ſumus, ſed non eſt extra ambitum Empyrei 1 43. Quo ſenſu non ſit perſonarum acceptor 1. 47. Quo ſenſu neceſſitatur ad optimum 1.87. Quo ſenſu operatur in nobis ſine nobis illuſtrationes 2.44. Quando, & ubi creavit cœlum, & terram 1 4. & ſeqq. Interdum propter alios parcit aliis 3.42 Quomodo providebit ultimis hominibus, ne fidant miraculis Antichriſti 3 57. De illo interdum loquitur ſcriptura tanquam de cauſa peccati, ſed quo ſenſu 3.60. Punire ſolet improbos ſpiritu diſcordiæ. 3.70. Facit paſſim creaturarum miniſterio, quæ ſe ſolo facere poterat 4. 20. Proponitur ut ſenex, & canus, quando proponitur, ut Pater, atquè ut judex 4. 25. Agens cum hominibus utitur actionibus rebus, & cæremoniis ſenſu perceptibilibus 4.8. & 29. & 49. Interdum ſtratagemata militaria inſpiravit 4.49. Majorem oſtendit ſemper benevolentiam cum natura humana quam cum Angelica 4. 56.

Diaboli per hunc mundum vagantes, & oſtendentes metum, quem habent inferni 1.39

Diabolus quam libertatem indifferentiæ habeat modo 1. 128. Quo ſenſu eſt ligatus, & non ſeducit gentes. 3. 40. cooperabitur forſan illi magnæ cladi, quam acceperturus eſt Antichriſtus 3.61 Ex quibus choris Angelicis fuerunt olim ei Diaboli, qui Chriſto, & nobis maximè adverſantur 4.90. Quam ſpecialem pœnam intimarunt illi verba DEI loquentis ad ſerpentem, & quo ſenſu dicitur maledictus inter beſtias terræ 1.128. Quo ſenſu graditur ſuper pectus ſuum. 1.130. Quo terra comedit cunctis diebus 1.131. Quo item inter ipſum, & mulierem inimicitiæ poſitæ ſunt ibid. Quo mulieri eſt inſidiaturus, & per illam conterendus 1.137. Quo evadere potuit corporeus poſt peccatum 1.112. Quo meretricem inſidentem geſtabat. 3.53. Quo verbum DEI comedit 3.41

Diameter cœli Chriſtallini 1.51

Decem ultimi principes poſſeſſuri Romanum imperium, quinquies memorantur in ſcriptura 3.50. Facient fugere Papam illius temporis 3. 84. & 101. Præcedent Antichriſto, deſtruent, & comburent Romam, & ex Diaboli calliditate prodibunt 3.87. & ſeqq.

Dies intrinſecus, & extrinſecus 1.13. Dies fatales hujus mundi 3. 131

Donec quid ſoleat ſignificare in ſcriptura 4.91. Draco coronatus, quem Joannes vidit exponitur 3. 46. & ſeqq. Duratio hujus mundi per ſex millia annorum refellitur 3. 133

E.

ECcleſia futura in ultimis temporibus proponitur Joanni ſub hieroglyphico mulieris amictæ ſole, & omnes illius qualitates aptantur ei Eccleſiæ 3.81. & ſeqq. Quo ſenſu paritura ſit Chriſtum 3.86. & 92, Suæ ultimæ voces 3. 93. Suus partus raptus ad cœlum ibid. Sua fuga in paleſtinam 3.96. Duæ fugæ ejusdem. 3. 100. Quomodo paſcetur in deſerto 3. 97. Quomodo protegetur à DEO 3. 100. & ſeqq. Quam paucos habebit filios reſpectu apo-

apostatarum à fide 3. 103. Conservabitur in supremo fugitivo senatu Ecclesiastico Ecclesia sancta, Apostolica, & Catholica 3. 142. Ecclesiæ triumphantis status post judicium finale 4.90. Ecclesiast. Authoritas 4.67
Ecclypses lunares citius inciperent, & tardius cessarent anno quo duravit diluvium 1. 64
Elias 3.115. Vide Henoch.
Elementa perseverabunt post diem judicii 4.62
Empyreum non caret luce materiali 1.24 Cur regia DEI est 1.34. Suæ proprietates, ac distantia à stellis fixis 1. 43. Incolæ sui 1.47. Cur vocatur cœlum cœli 1.50
Esus carnium antè diluvium 2.30. Evangelium qualiter prædicandum in universo orbe. 3. 104.

F.

FAmiliæ natu majores præcellere solent natu minoribus 2. 20
Feriis, quibus respondent res initio creatæ 1.146
Fide cur justificari dicimur 4. 51. Fides nunquam audita aut non sufficienter audita non excusabit in die judicii. 4. 56. Prærequirit moralem evidentiam, sivè certitudinem de existentia divinæ revelationis respectivam tamen ad credendum 4. 64. Est per anthonomasiam opus DEI. ibid. Sola non sufficit ad salutem 4. 65. Esse de fide absolutè, ac esse de fide quod nos, quid sint 3. 4. Fideles ultimi confirmabuntur in fide, videntes verificari, quæ tot retro seculis prædicta fuerunt nobis obscurè de illis temporibus 3.6. Multi ex illis fugient cum Papa, & senatu Ecclesiastico in dissita loca conservandi ergo religionem 2.83. & 143.
Figuræ solet tribui, quod proprium est figurati 1.122. Figura est forma externa, quam defacto habent homines, & bestiæ, non est ipsis essentialis 1. 127.
Filii quando, & quo sensu puniuntur propter peccata majorum 2.26
Firmamentum die secundo factum non est regio aërea 1. 42. Quantum spatium complectitur 1. 65. Biduo fuit absque stellis, sed non absquè luce. 1.66. Non est quid solidum, cui stellæ infixæ sint 1. 67. In eo non fuerunt initio producta nova sydera, quæ ibi apparuerunt interdum 1.67
Formæ carnium, sanguinis, ossium, & similes aliæ præcesserunt animæ rationali in corporibus Adæ, atquè Evæ per solum DEUM productæ 1.100.

G.

GEneratio, & corruptio, quæ cessabunt, & quæ non cessabunt à die judicii 4.82.
Gigantes quando cœperunt apparere. Cur potentes, & famosi, cur filii terræ 2.22
Gog ille de quo scriptura, non est Antichristus 3. 11. & 31. & 67. Quisnam erit ille, & Magog 3.63. & seqq. Cur, & quomodo invadet ultimam Ecclesiam 3.68. Non ratione religionis directè, ac formaliter, sed ratione divitiarum. ibid. Persecutio, quam ciebit quodammodo major eritilla, quæ veniet ab Antichristo 3. 69. Quibus cladibus delebitur suus exercitus 3.70. Quæ evenient eo deleto 3.71. Illius hominis sepulchrum. ibid. Turbatio hominum illo sæviente 3.73. Relaxatio morum post illum necatum. 3.74. Illius notitia, quam habemus ex veteri testamento 3.75

H.

HAbere in utero metaphora antiqua ad significandum dicendarum rerum copiam, & voluntatem 3.86.
Henoch, & Eliæ prædicatio, subjectio ad Papam baptismus, miracula, passio, resurrectio 3. 115. à morte illorum usquè ad mortem Antichristi 17. circiter dies 3.123. Quamdiu illis durabit potestas patrandi miracula ibid.
Hebræorum antè Evangelium sanctorum numerus 4. 101. Reciprocè conveniunt cum Christianis plurimi versus finem mundi 3. 115. Sed plurimi etiam sequentur Antichristum 3. 122
Hierosolyma profanabitur ab Antichristo 3.114. Hyperbole frequens in scriptura. 3.77.
Homines, qui in tota vita non habent, nisi semiplenas advertentias 4.62

Homo

Homo sapiens quomodo exponere debet suam opinionem 4.80. Homines rarò, vel nunquam cadunt in infernum propter primum læthale personale 4.68. Quo sensu adscribi possunt choris & hierarchiis Angelorum 1.47. Illorum omnium mors, resurrectio, & vocatio ad judicium, quo articulo Diei evenient 3.132. Multa peccata committerent, licet Adamus non peccasset 1.94. Illorum propagatio, & civiles mores antè diluvium 2.1. & seq. Ipsorum mores 2.26. Victus 30. Homo cur factus post cætera animalia 1.91. Vult DEus quòd ab aliis hominibus discant 4.70. Omnes descendunt ex duobus agricolis 2.15. Non descendunt ex ullo primogenito antè diluvium 2.6

Hora intrinseca, & extrinseca 1.13. Qua Christus mortuus est 1.76. Tertia pomeridiana facta sunt, & fient magna quædam, hoc est vesperè 1.23. & 41. Item 4.48. & seqq.

Hortensius Ciceronis incæpit abstrahere Augustinum à sæculo in Prologo.

Humiditas quid sit 1.96

I.

IDololatria non fuit ante diluvium 2.26 Jethro quamvis reversus ad suos fuit vir probus 4.72

Ignes subterranei quando incœperunt. Ignis materialis comburet hunc mundum 1.53. & 4.1. Ignis elementum non est sub luna 1.60

Imagines Antichristi sub pœna capitis adorabuntur 3.56. Quo sensu respondebunt consulentibus 3.57

Imaginariæ visiones multipliciter fieri possunt 3.17. Tales potuerunt esse multæ ex illis, quas habuerunt Prophetæ 3.19

Incolæ hujus mundi inferioris post universale judicium 4.86. & seqq.

Infernus quando factus fuit 1.38. In illo non mors, umbra mortis 4.89. Quibus doloribus illius solutis surrexit Christus 2.46

Infideles, qui nil audierunt salutare jure damnabuntur 4.58

Insidiæ militares divinitus inspiratæ 4.49

Instinctus quid sit 1.20. Instrumento physico tribui solet quod propriũ est causæ præcipuæ 1.121. Insulæ antè diluvium, & earum utilitas 2.13. Inventores artium aliquarum 2.17

Justè quoq; digni esse solent motre temporali 2.42. Justinus millenariis favet 3.25

Judicii universalis Theatrum erit terra, & atmosphera palestinæ 4.23. Quam individuationem, & universalitatem habebit respectu culparum, & meritorum 4.35. & seq. Incipiet in matutino, & durabit usquè ad horam tertiam pomeridianam palestinam 4.41. & 46

L.

LActantius millenarius fuit 3.25 Librorum apertio in die judii, quid sit 4.32. & seqq. Quam extensionem habebit 4.35. Liber vitæ quid sit 4.36

Limbus patrum quando factus est 1.40

Linguæ matrices quomodo, & à quo institutæ 1.142

Locutiones Angelorum, & aliorum beatorum 1.49. Interdum prudentes licet directe ad subjectum incapax intelligendi 1.125. Bestiis, quæ locutio repugnet, & quæ non repugnet 1.136

Lucifer, & Pharao duo ingentia exempla judiciorum DEI 4.57

Lux primitiva qualis, & ubi fuit 1.24. Quando facta 1.26. Cur tunc, & nequè post 1.30. Illius divisio à tenebris, quæ, & qualis 1.28.

M.

MAjorum memoria utilis multoties ad humilitatem 3.54

Magog quis erit 3.63. Mahumetes non fuit Antichristus nec cornu parvo significabatur 3.8. Mane intrinsecum & extrinsecum 1.13. Quod fuit antè solem 1.12. Respectu cujus loci fuit tale. ibid. 21

Martis, & veneris instrumenta à quibus inventa 2.17

Mare perseverabit quoad substantiam post diem judicii 4.83. Sed absque motu ullo 4.85. Maria profundissima 1.58

Maria virgo quo sensu poterat dicere, Dimitte nobis debita nostra 3.118. Thronum habebit in die judicii coram, cunctis hominibus 4.29. Quo sensu baptizata fuit 3.119. Mechanicæ artes ante diluvium 2.15. Mercatura, & navigationes 2.13.

Michaelis Archangeli laudes 1.49. Misericordiæ opera cur memorantur, ut ratio vocationis ad cœlum 4.53. Spe-

cialem honorem habebunt in die judicii 4. 54. Minerale nullum reſtabit poſt finale judicium 4. 82. Mixti qui ex diſparibus naſcuntur vivaciores eſſe ſolent 2. 23. Millenariorum ſententia exponitur 3. 25. Refutatur 3. 35. *Mille* non ſemper ſignificat numerum definitum 3. 37

Moyſes quam diverſimodè loquatur de Nepotibus Caini, & de Nepotibus Seth 2. 15. Montes altiſſimi quam habeant altitudinem 1. 57

Mors ſecunda, quæ ſit 3. 43. Mortui quam vocem audient filii DEI 4. 16. Monſtroſitas quotuplex ſit 1. 109

Mulier qua authoritate fungeretur in ſtatu innocentiæ 1. 92. An illi impoſita ſubjectio in pœnam peccati. ibid. Amicta ſole præfigurabat Eccleſiâ in ultimo tempore futuram 3. 81. & ſeqq. Muliebre genus appingit ſcriptura viris interdum decoris interdum dedecoris cauſa 3. 84

Multitudo hominum antè diluvium forſan major quam nunc 2. 2

Multi interdum ponitur pro *omnes* 3. 10

Mutua jubjectio, & ſuperioritas in diverſo genere eſt frequens 3. 121

Mundum hunc potuit DEus alibi condere, quam nunc condidit 1. 6. Unde conſtat ſphæricum eſſe? Potuit habere aliam figuram. ibid. Comburetur igne materiali 1. 53. Syſtema illius in ultimo quadriennio temporum 3. 105. & ſeq. Quamdiu durabit 3. 132. Sua renovatio continget hora tertia pomeridiana 4. 47. Qualis ipſius ſtatus poſt executam finalem ſententiam 4. 82. Sui tunc futuri incolæ 4. 99. & ſeqq.

N.

NAhaman vir probus 4. 75. Navigationes antè diluvium 2. 13

Nomen Patriarchæ ſolet tribruere ſcriptura toti ſoboli 3. 64

Nomen illius habere ſolemus, cujus indolem imitamur, & mores 1. 129

Non amplius. Non ultra ſolent in ſcriptura negare non quidem futuritionem rei; ſed frequentiam priorem 3. 40

Numerus major ſolet explicari numero minore 3. 39

O.

OCulis corporeis potuerunt prophetæ videre res futuras aut etiam entitative ſpirituales, quas ſe vidiſſe ſcribunt: {Hæcquè viſio quadrupliciter contingere potuit 3. 15. & ſeqq.

Oculis eisdem quo ſenſu potuit DEUS videri à Job. Moyſe. Eſaia &c. 3. 16

Organizatio, quam de facto habent corpora humana, & belluina non eſt de eſſentia hominum, aut belluarum.

P.

PAgani rectæ moralitatis 4. 70. & ſeqq. Papa, & Cardinales paulo antè Tyrannidem Antichriſti diſcedent ab urbe Roma. Sui angores, dolores &c. 3. 1. 142. & ſeqq. Ipſum recognoſcent Henoch, & Elias, atque ut Chriſti vicarium reverebuntur 3. 115. & ſeqq. Aptantur illi, & ſuo ſenatui omnes qualitates muleris amictæ ſole. 3. 81. & ſeqq. Bis fugient 3. 36. & & 84. & 98

Paradyſi terreſtris aliquæ prærogativæ 1. 22. Parvuli ſine baptiſmo ad quam pœnam damnabuntur 4. 58. Ubi, & quam vitam agent poſt diem judicii 4. 55. & 87. Qua felicitate fruentur 4. 60. Quibus partibus carebant 4. 87

Pater æternus quo ſenſu neminem judicat, & omne judicium dedit filio 4. 26. & ſeqq. Cur ei nominatim Chriſtus tradet regnum, & ſubjectus erit poſt diem judicii 4. 92

Patres probi filios improbos, & Patres improbi, filios probos genuerunt 2. 26.

Patriarchæ, & Prophetæ judicaturi in die judicii 4. 30. Patriarchæ, quos ante diluvium ponit Moyſes non fuerunt primogeniti, & horum omnium lineæ diluvio perierunt 2. 26

Pax, & bellum, quæ Chriſtus invexit 4. 99.

Peccatum Adæ in quo fuit phyſicè, & in quo non fuit 1. 92. & ſeqq. Variæ ſpeculationes ſuper hoc peccato ibid. Quo ſenſu eſt cauſa ne uni reprobi diſcernantur ab aliis reprobis 4. 52. Peccata ſua non erunt in die judicii pudori prædeſtinatis 4. 35. Quæ fiunt ſine memoria & advertentia DEI puniuntur ab hoc, ut capite ſupremo rationalis Reipubl. 4. 68. Punitur interdum ſubjectum, quod non peccavit 1. 127

Permissio quandoque dicitur rei bonæ 1.131. Quæ permittit DEus nonnunquam dicitur facere. ibid. Perigæum solis cur mutatum 1.72
Perseverantiam finalem, quo sensu mereri possumus 4.51
Petri somniū fuit Raptus, sivè extasis 3.22
Pharao, & Lucifer duo insignia exempla justitiæ DEI 4.57. Phantasiæ multiplex visio 3.17. Phænomena nulla erunt post diem judicii, v.g. nubes pluviæ, cometæ, &c 4.82. Philosophi subodorati sunt universale incendium huic mundo imminens 1.52
Pisces cur vocantur reptilia 1.89
Planetæ non moventur retrogadè 1.11
Populi, qui exteras Provincias subjugarunt 3.66
Posteri solvere solent pœnas majoribus. Quo sensu 3.138
Prælium Draconis cum Michaele 3.47. Prædestinatio quid sit, & quomodo intelligenda 1.47. & seqq. Ipsius reconditum mysterium quando aperiendum 4.36. Quo sensu est, & quo sensu non est propter merita 4.52
Principes decem Antichristi prodromi eversuri Romam fugaturi papam illius temporis cum Eccles. senatu 3.135
Propositiones aliquæ videntur affirmativæ, & sunt negativæ 1.90
Prophetarum repentini transitus 3.9. loqui solent de futuris quasi præterita, aut præsentia essent 3.14
Providentia ordinaria requirit extrinsecum ministerium, secus extraordinaria 3.58. Providentiæ speciales cum adultis bonæ moralitatis, ut fidem rectam suscipiant 4.69. & seq.
Purgatorium quando factum 1.10.

Q.

QUadriennium ultimum obscure nobis revelatum sed ultimi illi fideles capient sensum revelationū earum 3.6

R.

RAhab mulier bonæ indolis 4.73. Quo sensu erat meretrix 4.74. Nupsit primarioviro primariæ tribus hebrææ. ib.
Rarum cur occupat spatium majus 1.58
Redemptio quam appropinquaturam dicit Christus 3.80
Reflexio, & refractio solaris lucis sunt crepuscula 1.53
Relaxatio morum post Antichristum, & Gog occisum 3.174. Renovatio hujus mundi qua hora fiet 1.47
Reptilia vox convenit etiam piscibus 1.89
Resurrectio prima quæsit 3.43. Resurrectio universalis futura est post mediam noctem 3.131. Suæ circumstantiæ 4.2. & seq. In quonam consistet physicè ibi, quomodo fiet 4.17. Ipsius Hieroglyphicus 4.18. Quot, & quæ intervenient in illa, & a quonam fient 4.19 Illius causa meritoria 4.90
Roma antiqua cur ebria de sanguine 3.88. Cur gestabatur à Diabolo. Cur habebat poculum aureum in manu sua. Cur Babylon magna 3.53. Cur his nominibus dehonestabatur, cum futura esset aula Religionis 3.54. Evertenda, spolianda, & comburenda à decem principibus prodromis Antichristi 3.87. & 110. Cur? 3.137
Romani quibus artibus devinciebant sibi populos 3.53
Ruth bonæ indolis mulier 4.75

S.

SAlomonis somnium fuit extasis 3.21
Sancti quo sensu regnant cum Christo 3.42
Scripturæ sacræ quæ perierunt 3.76. Scriptura solet negare id, quod quamvis physicè sit, parum est in suo genere. 3.75. Solet non curare numeros fractos. ibid. Solet explicare angustias magnas sub metaphora parturientis 3.86. Solet dicere rem tunc esse, quando specialiter manifestatur, & non esse, quando non constat esse 3.95. & 4.97. Solet uti re bona, ut typo rei malæ, & viceversa 3.136. Solet tribuere aliquibus, quod non ipsis, sed suis competit 4.3. Solet non reputare id, quod brevi durat tempore 4.6. Solet conservare rebus, aut personis nomē paulo ante habitum licet jam desit ratio illius. ibid. Solet loqui de præsenti pro futuro. Item de rebus non prout sunt physicè, sed prout esse solent 4.16. Solet loqui de DEO de Angelis, & de rebus, aliis spiritualibus tanquam si essent res corporeæ 4.24. Solet uti verbis sonantib9 rem esse, ac significantibus solere esse 4.74. Solet affirmare de aliquibus in individuo, quod, non ipsi sed sui fecerunt ibid. Solet loqui de rebus non prout sunt, sed prout apparent esse 1.118. Solet tribuere

buere instrumento physico, quod est proprium causæ principalis 1.121. Et figuræ, quod est proprium figurati 1.122
Solet negare id, quod physicè est, non tamen constat esse 1.129. Suus sensus allegoricus, quando est de fide 3. 1. & seqq. Quis unus sensus, quis alius 3. 4. Solet ponere *multi* pro *omnes* 3. 10. Solet dicere, solet negare id, quod alterius comparatione est minus ibid. Solet numero minore explicare majorem 3.39. Solet loqui de DEO quasi de causa peccati 3.60. Solet in eodem contextu verborum uti voce eadem in diversis significationib9 3.62. Solet nomine individuæ personæ significare integram nationem 3.74. Solet hiperbole uti 3. 71. Solet uti actu secundo pro actu primo 3. 72. Solet nectere verbum, non cum proximè præcedente 1.90.
Septem menses, & septem anni in spoliis legendis exercitus Gogi 3.71. Septentrionales populi nominatim expressi in exercitu Gogi 3. 65. Cur conspirabunt contra ultimam Ecclesiam. ibid. Ex septentrione eruperunt multoties examina hominum, qui provincias exteras subjugarunt 3. 66. Abundant numero, & qualitate equorum 3.69
Septenario significatur interdum numerus major 1. 54
Serpens, qui seduxit Evam, num fuerit realis, an apparens 2.118. Cur dicitur callidissima 1. 120. Quomodo intelligenda tota illa historia ibid.
Solis apogæum, & perigæum cur mutata sunt 1. 72. Cur creatus est sol hora tertia pomeridiana 1.76
Spiritus DEI sæpè non operatur instantaneè, sed successivè 3. 22. Interdum movet ad prædicandum aliquibus, & retrahit à prædicando aliis 4.71
Status æternus damnatorum 4.89. Status hujus mundi post executam finalem sententiam 4.82
Stellæ non moventur retrograde 1.11. An habitentur; an sint animatæ 1. 80. & seq. Cur in capite mulieris amictæ sole, sed in manu Christi 3. 85
Stratagemata militaria divinitus quandoque inipirata 4. 49
Systema creationis mundi 1. 52. & seq. Systema formationis corporum Adæ, & Ævæ 1. 108

T.

TEmpus quid, & quotuplex sit 1. 9
Terra, quando, & ubi creata 1. 4. & seq. An habeat figuram sphericam 1.7 Quo sensu dicitur produxisse bestias 1.107. Terræmotus unde proveniat 1.53
Theatrum judicii universalis erit palestina cum sua atmosphera 4.23. Thronus Dei judicantis juxta Danielem igneus, & juxta Joannē candidus 4.25. Thronus Christi, B. Virginis, & Apostolorū in die judicii, verè, & physicè erunt ex nubibus formati 4. 29. & seq.
Tribus terræ quando plagent, & dicent montibus, cadite supernos 4.15
Tonitru vox DEI 4. 16
Typus rei sanctæ solet esse malus, & rei malæ solet esse sanctus 3. 136

V.

VAllis Josaphat erit Theatrum judicii universalis 4.39. Nec non sua atmosphera 4. 23
Vegetabilia quomodo fuerunt producta initio mundi 1.19. Nullum restabit in hoc mundo post judiciū universale 4.82
Vesper intrinsecus, & extrinsecus 1. 13. Qualis fuerit antè productionem solis 1.17. & seqq. Respectu cujus loci erat vesper 1.21. Vespere magna quædam facta, & facienda 4.48. & Disp. 1. n. 23. & 41
Vicarius Antichristi qualis erit 3.56. & seq.
Viris tribuitut in scriptura genus fœmineum, interdum decoris, interdum dedecoris causa 3.84
Virgines fatuæ, quid significant, & cur audient. Ite potius ad vendentes &c. 4.15.
Visiones propheticæ multifariam contingere potuerunt 3.15. & seq. Non essent falsæ, quamvis objecta illa vila, nec existerent, nec existere possent 3. 20. Non erant actus intuitivi intellectuales, licet visiones vocentur 3.21.
Umbra mortis, non mors ipsa in inferno 4. 89
Unio quænam est de essentia hominis individui 4.22
Unius solius peccatum dedecori, & pœnæ verti solet toti speciei 1.120
Volucres ex qua materia factæ fuerunt. 1.90. & seqq.
Usus carnium antè diluvium 2.30
Vulnus supra vulnus, vulnus giganteum 3. 69

MILTON
DE DOCT
Th
871a